Q3eafissünac ^irgini ^lariac 6e flante ^armelo, fêîrôinis nostri praecipuae patronae ac O^atri, hoc °)'iis in filiate obsequium bicaf

Ructor.

THEOLOGIA

DOGMATICO-SCHOLASTICA

AD

MENTEM S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

VALENTINO ZUBIZARRETA

ex Ordine Carm. Exc. Archiep. S. Jacobi de Cuba

z

Vol. I

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

Editio tertia ab auctore correcta

BILBAO
Ed. Eléxpuru Hnos., Typographi S. Rituum Congr.
1937

Nihil obstat:

S Iambi <|c Cuba, io Februarii 1036.
JoANNKn JoM'.PHUS Hadiola, Presb.,
S E. Cathed. Metrop. Parochus,
Censor.

Imprimatur:

Victoriae, 10 Martii 1936.
‣P MATTHAEUS, Episcopus Victoriensis.

I>c mandato Exemi, ac Rvdtni. Dni. mei Episcopi.
Dn. Antonius Maria P. Ormazabal,
Can. Serius.

Quae juris sunt auctor sibi reservat.

EPISTOLA EMMI. AC RMI. D. D. SECRETARII STATUS SUAE SANCTITATIS.

Secretaria di Stato
di Sua Santità

—

N. 81.814

Dal Vaticano, 29 Luglio 1929.

Ill.m° e Rev.m° Signore:

La S. V. Ill.ma e Rev.ma ha recato al Santo Padre, una viva soddisfazione con l omaggio dei quattro volumi dell'opera da Lei teste compluta di Theologia dogmatica Scholastica.

Delta opera infatti nuovamente espone la dottrina rivelata secondo la forma tradizionale dell'insegnamento ecclesiastico, e non pub non tornare di grande utilità a chi si accinge allo studio delle discipline teologiche, come a chi già in esse sia ottimamente versato.

Sua Santità si compiace per tanto che l'erudito ed accurato lavoro della S. V. rechi nuova testimonianza alla divina parola e nuovo conforto aile menti che ne intraprendono il pio e non facile studio; e insieme fa voti che cotesta nobile e paziente fatica, degno contributo della scuola carmelitana alla coitura ecclesiastica, meriti alla S. V. copiose celesti ricompense, particolarmente benefiche all'ufficio pastorale che ora Le è affidato.

A conferma della Sua grata benevolenza il Santo Padre invia di cuore a V. S. ed a cotesti fedeli la Benedizione Apostolica.

Io poi ringrazio della copia a me destinata e con sensi di sincera e distinta stima mi raffermo

Di V. S. Ill.ma e Rev.ma
Servitore vero,
P. CARD. GASPARRI.

Ml.,no c § ignore ^lons. QSoIcnfino ^nhijarrefa,
^.tciweocowo 6i Santiago δχ ^Su6a.

PROLEGOMENA IN SACRAM THEOLOGIAM

QUAESTIO UNICA

Introductio. Arcana, qui velit, sacrae doctrinae scrutari, et quae sunt a saeculis in Deo abscondita investigare, débet vel ab ipso limine rationem, proprietates aliaque adjuncta scientiae theologicae perspectas habere. Hinc a pluribus annis in morem inductum est *prolegomena* quaedam, quibus notitiae generales ac quaestiones prooemiales hujus scientiae tradebantur, theologicis disciplinis praemittere. Ipsemet Angelicus Doctor, monumentale illud opus *Summae Theologicae* aggressurus, quaestionem praeambulam inscripsit de *Sacra Doctrina.* Hunc theologorum morem gerere volens, et tyronum, quibus meae curae ordinantur, utilitati valde consulere, opportunum duxi indolem ac rationem propriam theologiae et quaestionum, quae ei adnectuntur, heic breviter exponere.

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT THEOLOGIA

1. Nominalis definitio. *Theologia,* si etymon spectes, est vocabulum graecum, quod ex duplici voce Θεο (Deus) et λόγο (Verbum) coalescit, et idem sonat ac *de Deo* sermo seu cognitio A

Realis notio. Theologia potest quoad rem in genere describi: *Scientia quae agit de Deo.* Hinc S. *Augustinus* 2 theologiam appellat *de divinitate rationem sive sermonem.* Et apud priscos Ecclesiae Patres usurpata est *a)* pro designanda doctrina de Deo ejusque attributis. Cfr. Theodoretum, *in Genesim,* c. 1, interrog. 1 (MG 80, 78): *b)* pro significanda etiam doctrina de SSma. Trinitate ct singulis in ea personis satis communiter; vide S. Athanasium, *Oratio I cont. Arianos,* n. 18 (MG 26, 49).

Tractatus de Christi Incarnatione vocabulo *oeconomiae* exprimi consuevit. Vide Patrum testimonia apud Petavium, *Proleg.,* c. 1.

' Quare S. Thomas, *I p.*. q. i, a. 7, *sed cont.* ait: «Dicitur enim theologia quasi Hermo de Deo».

- *De civitate Dei,* 8, c. i; ML 41, 225.

Duplex theologia in genero. Duph< ib r potest de Deo haberi cognitio vel sermo proferri.

1.° *Lumini naturali,* quod in intellectu creaturae est, innitendo. Hoc pacto potest homo, et a fortiori Angelus, ex principiis naturali lumine notis aliquas de Deo cognitiones haurire, ut clare demonstrabitur in tr. *de Deo uno.* Ad rem dicit Scriptura: *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri*\ Unde Concilium *Vaticanum* 2 declaravit ac definivit cognitionem certam unius Dei Creatoris et Domini nostri ex his, quae facta sunt, naturali humanae rationis lumine posse comparari 3.

Scientia, quae sic de Deo ex creaturis lumine naturali colligitur, est ea Metaphysicae pars, quae *Theologia naturalis* seu *Theodicea* communiter in scholis audit, quaeque, utpote pars Philosophiae, philosophis relinquitur.

2.° *Per lumen supernaturale,* quod ex sua natura vires creaturarum, etiam angelorum, omnino superat. Theologiam huic lumini innixam nonnulli vocant *supernaturalem,* non quod entitative sit talis, ut inferius videbitur, sed ratione luminis et principiorum, quae supematuralia sunt, et ad distinctionem theodiceae, quae omnino naturalis est.

Theologia Dei, beatorum et viatorum. Quia tamen triplex est lumen quod diximus *supernaturale,* et tres sunt qui eo utuntur lumine, ratione luminis simulque subjecti triplex theologia seu scientia de Deo in hoc ordine distingui solet, *theologia* nempe *Dei, Beatorum* et *Viatorum.*

A. *Theologia Dei,* quae etiam *comprehensiva* dicitur, est ipsa scientia, qua Deus se ipsum et in se omnia intuetur ac comprehendit. Innititur immediate, sicut inferius dicetur, cum agendum erit de *scientia Dei,* lumini increato, quod est claritas divinae essentiae et intellectus ejus. Hoc sensu, Deus non solum habet scientiam theologicam, sed est ipsamet theologia, quia est in se veritas simplex et suprema, intelligens ac intellecta.

B. *Theologia Beatorum,* alio nomine *intuitiva,* est cognitio quam de Deo habent angeli et sancti in Verbo, cum Deum ejusque omnes perfectiones, non jam in aenigmate, sicut accidit in via, sed facie ad faciem cernunt in caelo; et innititur lumini cuidam supernatural! creato, quod mentem creaturae elevat atque perficit ad videndum Deum, quodque vocari consuevit *lumen gloriae.*

Quod ut probe intelligatur praenotandum est triplicem esse cognitionem de Deo seu theologiam in angelis et sanctis in patria, *beatam* nempe, *infusam et acquisitam,* seu aliis nominibus, theologiam *visionis, revelationis* et *ratiocinii,* a) *Beata* seu *visionis,* quam S. *Augustinus* relate ad angelos 4 cognitionem *matutinam* recte apellat, communis est

1 *Sap.* 13, 5.
2 *Sess.* 3, c. 2; ac can. 1, *De Revel.;* Denz-Bannw., 1785 et 1806.
3 Cfr. P. Raphael a S. Joseph, *Prolegom.,* c. I.
4 *De civitate Dei,* lib. 11, c. 7; ML 41, 322. Juxta S. Augustinum cognitio quam habent angeli de *creaturis* in Verbo vocatur *matutina,* et extra Verbum *vespertina;* sed nunc cognitio etiam beatorum per translationem his nominibus appellatur, et visio tum de Deo tum de creaturis in Verbo vocatur *matutina,* de creaturis extra Verbum *vespertina.*

sanctis angelis et beatis, et est *intuitiva Dei visio* et aliarum rerum in Verbo cognitio. De hac beatorum theologia agendum erit inferius, b) *Theologia infusa beatorum* seu *revelationis* est illa scientia, quam angeli et beati habent per species a Deo infusas seu inditas extra Verbum, et *Augustinus vespertinam* vocat in angelis. Ex sua natura ita superat captum intellectus creati, ut nemo valeat illam naturaliter comparare. Attamen species rerum a Deo inditae ita sunt in hac cognitione propriae, ut objecta in propria specie repraesentent, ut a beatis cognoscantur x. c) *Theologia* tandem *acquisita* est illa scientia de Deo, quam 1) per fidem habuerunt angeli in via et retinent in patria 1, vel 2) proprio labore ac studio unusquisque hominum comparavit ex principiis fidei in via et retenturus est in patria, juxta illud S. *Hieronymi:* «discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in caelo» 3.

C. *Theologia viatorum* seu *discursiva* est cognitio, quam homo, principiis supernaturalibus fidei innixus, de Deo ejusque attributis seu proprietatibus ope ratiocinationis comparat. Innititur lumini fidei cum interventu rationis, et hac de causa dicit Apostolus 4: *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus 5.*

De hac viatorum theologia in praesenti opere acturi quaedam paulo latius praemittenda duximus.

2. Realis definitio theologiae viatorum. Inter omnes, quae de theologia viatorum circumferuntur definitiones, haec impraesentiarum visa est praeferenda: *Scientia quae ex principiis fidei conclusiones de Deo rebusque ad eum quoquo modo spectantibus rationis ope certo deducit.*

Dicitur 1.° *scientia,* ut innuatur theologiam esse habitum intellectualem firmum ac stabilem ad perfectionem facultatis intellectivae ordinatum. Haec particula adsignat genus definitionis, quo convenit cum omnibus aliis scientiis, et distinguitur a qualibet alia perfectione intellectuali, quae scientiae rationem non sortitur, ut fides, opinio, etc.

Additur 2.° *quae ex principiis fidei conclusiones... rationis ope certo deducit.* Quibus significatur differentia specifica, et manifestatur peculiaris ratio theologiae, qua in se constituitur et ab omnibus aliis disciplinis distinguitur. Character igitur essentialis et nota peculiaris theologiae in eo exstat, quod ratio nostra ex principiis revelatis conclusio-

1 Docet Lugo, *T>e Incarnatione,* disp. 20, sect, i, n. n, angelos in caelo per habitum scientiae infusae supernaturalis cognoscere «res supernaturales, nempe gratiam, visiones aliorum beatorum aut dotes supernaturales, praesentiam corporis Christi in Eucharistia, unionem hypostaticam et alia ejusmodi». Quam cognitionem vere esse theologiam infusam nemo negaverit.

2 Angeli habuerunt fidem in via, ut ait Lugo, l. proxime citato, n. 8, quia, ut affirmat S. Thomas, quaedam dogmata, maxime mysterium Incarnationis, tunc revelata sunt eis. Ex fide autem conclusiones deducere et theologiam vere acquirere potuerunt. Imo docent theologi cum P. Joanne a S. Thoma, *In I p.,* q. I, disp. 2, a. 3, n. 4, posse tum angelos tum beatos in caelo ea, quae per visionem vel per species infusas cognoscunt, inter se conferre et ex eis conclusiones deducere, | t de visis in Deo alios extra illuminare.

3 Ep. ad Paulin., n. 9; ML 22, 549.

4 *1 Cor.,* 13, 9.

|| Cfr. Dominicus a SSma. Trinitate, *Bibliotheca theolog.,* lib. r, sect. I, c. I, et P. Raphael a S. Joseph, *Prolog.,* c. I, e quibus haec breviter hausta sunt.

nes deducat. Hinc merito dicitur *scientia fidei* «quatenus ex iis quae... fide percepimus ad alia cognoscenda nostro modo, ratiocinando scilicet, progredimur»[2]. Vel ut ait *Franzelin:* «Theologia proprie dicta, ut a philosophia distinguitur, est *scientia fidei,* seu *scientia* veritatum a Deo revelatarum, sub formali ratione, quatenus revelatae sunt; adeoque est cognitio demonstratione comparata» [1].

Per hanc definitionis partem differt haec scientia 1) a *theologia naturali* seu *theodicea,* quae non ex principiis a Deo revelatis, sed lumine naturali notis, procedit et eruit conclusiones; 2) a *fide,* quae revelatis propter auctoritatem Dei revelantis simpliciter adsentitur et acquiescit; dum theologia veritates a principiis revelatis deductas amplectitur propter evidentiam illationis. Ideoque rationis lumen est elementum necessarium modo inferius dicendo, ut vera ratio theologiae viatorum, quae, ut diximus, discursiva est, salvetur; ratio siquidem ex fontibus revelationis conclusiones doctrinales legitime deducit.

Dicitur tandem 3.° *de Deo rebusque ad eum quoquo modo spectantibus;* ut significetur objectum *materiale* seu *circa quod* theologiae esse Deum resque divinas. Nam, ut ait S. *Thomas,* «omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem» [3].

3. Divisio. Docet S. *Thomas* [4] theologiam esse unam scientiam, quia omnia considerat sub una ratione formali, a qua desumitur unitas scientiarum. Attamen, ob diversitatem materiarum, de quibus agit, vel diversum munus, quo fungitur, imo et ratione fontium solent quaedam ejus divisiones recenseri. Hinc theologiam in genere recte divisimus *ratione subjecti* in *theologiam Dei, Beatorum* et *Viatorum,* et theologiam *Beatorum* subdivisimus in *beatam, infusam* et *acquisitam* juxta diversos modos ac lumina, quibus contingit beatos Deum resque divinas cognoscere.

Sed de theologia viatorum est tantummodo in praesenti disceptatio, et oportet ejus dumtaxat partitiones in medium proferri. Ne tamen confusio in mente studiosae juventutis ex nimia divisione, uti solet, oriatur, praecipuis partitionibus expositis, aliarum meminisse sufficiat.

Dividitur ergo theologia in genere in *speculativam* seu *theoreticam* [5] et *moralem* seu *practicam. Theoretica* est, *quae veritates theoreticas* seu *speculativas Deum respicientes ex articulis fidei deducit atque illustrat. Moralis* recte definitur ab auctore Compendii Salmanticensis: *Facultas seu scientia disserens de actibus humanis in ordine ad Deum ut finem supernaturalem* [6]. Unde *prior* veritates speculativas ex principiis deducit, in earumque sola consideratione sistit; *posterior* veritates practicas ac praecepta respicit, et in eorum executionem tendit, ut homo recte vivat, vitamque adipiscatur aeternam.

1 Kleutgen, *De ipso Deo,* n. 2.
2 *De divin, tradit. Prolegom.,* in principio.
3 *I p.,* q. i, a. 7.
4 *I p.,* q. i, a. 3.
5 Nonnulli vulgarem dictionem sequuti *dogmaticam* appellant.
6 *Comp. Salm.,* tr. 1, c. 1, p. 1. Ed. P. Nicolai, 1931.

Ad moralem reducuntur *ascetica, mystica* [1], *pastoralis* et *ritualis,* quarum exacta notitia repetenda est ex tractatibus specialibus.

Tam speculativa quam practica potest esse

1) Ratione materiae *generalis* et *specialis:*

Theologia *speculativa generalis* seu *fundamentalis* est, quae docet generalia fidei principia in tractatibus *De Apologetica* [2], *De intima constitutione Ecclesiae* et *De Locis theologicis;* et *speculativa specialis* est, quae singulas de Deo, de motu creaturae rationalis in Deum, et de Christo reparatore veritates in revelatione contentas per rationem deducit.

Theologia *moralis generalis* tradit principia generalia moralitatis, agendo de actibus humanis, de conscientia, de legibus, ac de virtutibus et peccatis; *moralis specialis* est, quae de singulis legibus, virtutibus et peccatis necnon de mediis sanctificationis agit.

2) Ratione muneris (simulque methodi) est *positiva, polemica* et *scholastica.*

a) *Positiva* quae, ut ait *Dominicus a SSma. Trinitate* [3], venit a *Positionibus,* sicut *Thetica* quae ad illam reducitur a *Thesibus,* est, non quae agit de jure positivo, sed quae per Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum, etc., verbi scilicet Dei scripti et traditi testimonia, stylo fusiori et oratorio, ad formam dialecticam minus accommodato, substantiam dogmatum eruit, id est, argumentis S. Scripturae et traditionis ostendit articulos fidei vere esse revelatos; atque idcirco dogmatum exsistentiam demonstrat, eorumque veritatem statuit, principia sic ponens firma aliarum conclusionum theologicarum [4].

b) *Polemica* (a voce zôÀS|io;-bellum) in defendendo dogmate catholico adversus infidelium et haereticorum conatus eorumque erroribus convellendis versatur.

c) *Scholastica,* a qua theologi denominantur *Scholastici,* supposita dogmatum exsistentia «veritatum revelatarum naturam et causas, nexus et consequentias inquirit» [5], atque uberius et accuratius fidei sententiam et dogmatum doctrinam demonstrat ac defendit. Ideoque, ut bene notat *Hurter,* ibi dicitur incipere Scholastica, ubi desinit Positiva, et a conclusionibus theologiae positivae tanquam a principiis progreditur ad alias conclusiones eliciendas [6]; vel, ut ait *Kleutgen* «demonstrata (per positivam) dogmata perscrutans, quae in iis sunt inclusa

[1] *Ascetica* et *Mystica* promiscue saepe usurpantur ab auctoribus, sed, si recte inspiciantur, accurate distinguendae sunt, in quantum *ascetica* agit de sanctificatione animae modo humano secundum exigentias gratiae; et *mystica* de notitia Dei experimental! in sanctificatione animae modo extraordinario supra exigentias gratiae sanctificantis. Cfr. P. Chrysogonus, *Compendio de Ascetica y Mistica,* part. I, c. i, a. X; part. 2, c. 3, a. 3; et part. 3, introd.

Eminent prae caeteris in mystica SS. Patres nostri Theresia a Jesu et Joannes a Cruce, quorum opera omnino legenda sunt una cum theologiis mysticis Dominici a SSma. Trinitate, Philippi a SSma. Trinitate, Antonii a Spiritu Sancto, Josephi a Spiritu Sancto et Chrysogoni a Jesu Sacramentato.

[2] *Apologetica* improprie dicitur theologia.

[3] *Bibliotheca theologica,* lib. 1, sect. 6, c. 1.

[4] Cfr. Valentia, disp. 1, q. 1, punct. 1.

[5] Zaoherini, *Proleg. in Theol.,* c. I, § 2.

[6] Hurter. *Prolog.* III.

aperit, nexum, quo inter se vincta sunt ostendit, ad alia ex iis cognoscenda progreditur»1. Methodo utens ad regulas dialectices et ad formam syllogisticam rigorose accommodata, stylo subtiliori ac conciso eadem dogmata perscrutatur ac illustrat. Statum quaestionis ab ipso limine aperit, terminorum significationem exhibet, subjectae materiae propositionem firmat atque omni genere argumentorum demonstrat, difficultates forte exsurgentes undique scrutatur ac solvit, naturales doctrinae consequentias veluti corollaria eruit, et nexum, quo diversae materiae junctae fuerint, ostendit.

Hujus divisionis rationem optime adsignat cl. *Hurter* dicens 2: «Potest (theologus) singulas veritates revelatas et credendas seu fidei dogmata e revelationis fonte *eruere,* erutas *defendere* adversus fidei hostes eorumque refellere errores, statutas et propugnatas pro viribus *illustrare».* Quae eruit *Positiva,* quae defendit *Polemica,* et quae illustrat *Scholastica* merito nuncupatur.

3) Ratione fontis dividitur in *Exegeticam, Patristicam, Synodicam* et *Symbolicam* 3, prout principia, ex quibus argumenta ducuntur, contineantur in sacris litteris, SS. Patribus, Conciliis et Symbolis Ecclesiae.

Partim ad *Theoreticam* et partim ad *Moralem* reducuntur *Calechetica* et *Homilitica,* quae doctrinas tum speculativas tum practicas tradunt methodo et elocutione illis nominibus accommodatis.

ARTICULUS II

QUOD SIT OBJECTUM THEOLOGIAE

4. Status quaestionis. Pro tituli intelligentia et claritate eorum quae in decursu operis dicenda sunt, lubet hic explicationem de objecto habituum et potentiarum e nostris Complutensibus 4 et aliis summis quibusdam philosophis ac theologis depromptam subjicere 5.

Objectum de *objiciendo* dicitur et idem sonat ac *ob jactum,* et est in genere id, quod potentiae vel habitui seu scientiae objicitur attingendum vel cognoscendum, sumpta denominatione a potentia visiva, cujus objectum proprie dicitur objici. Unde est *id circa quod versatur habitus vel potentia.* Appellatur non semel *subjectum,* non quia illis inhaereat scientia, sed quia subjicitur praedicatis, quae de illo in tali scientia demonstrantur. Dicitur etiam *materia circa quam,* sumpta similitudine ab operationibus artium, quae circa res externas et materiales versantur. Haec igitur nomina *objectum, subjectum* et *materia* respectu habituum intellectus promiscue saepe usurpantur. Respectu vero aliorum

1 *De ipso Deo,* n. 38.

2 *Proleg.* II, 3.

3 Sunt nonnulli, qui velint Symbolicam hoc nomine vocitari a metaphoris seu figuris, quae symbola dicuntur. Cfr. Dominicus a SS. Trinit., qui in sua *Bibliotheca theologica,* torn. 7, integram theologiam sub hac acceptione scripsit.

4 *Cursus Philosoph.,* disp. 1, prooemiali, q. 2, n. 8 sqq.

5 Cfr. Salmantioenses, *De ultimo fine,* disp. X, dub. 3, n. 27 sqq.; Philippus a SSma. Trinitate. Prooem., disp. 1, dub. 8; et *Summa theologiae mysticae, discursu prooem.,* a 2; Urraburu, *Logica Maj.,* lib. 2, disp. 4, c. 1, a. 4 et alii.

habituum et potentiarum, objectum quidem interdum appellatur *materia,* sed nunquam dicitur *subjectum.*

Divisio objecti. Dividitur in *formale* et *materiale. Formale* est, quod per se seu ratione sui et principaliter attingitur ab habitu vel potentia. *Materiale* vero est, quod non per se seu ratione sui et principaliter sed ratione objecti formalis, ad quod refertur, attingitur. Utriusque exemplum cernitur in potentia visiva cujus objectum proprium juxta S. Thomam est *coloratum* x. materiale *corpus,* quod ratione coloris inspicitur, et formale *color,* qui per se et principaliter videtur.

In objecto formali duo sunt attendenda, objectum nempe *quod* seu ratio formalis *quae,* et objectum *quo* seu ratio formalis *sub qua.* Objectum formale *quod* seu ratio formalis *quae* est illud quod praecipue et ratione sui et non alterius venit in considerationem habitus vel potentiae 1; vel, si mavis, illud de quo disciplina determinat principaliter 3,* seu quod proponitur in ea ut per se intentum Objectum formale *quo* seu ratio formalis *sub qua* est id quo mediante res cognoscitur 5.* Clara sunt et notissima exempla objecti visus. *Color* est objectum formale *quod* et *lux* objectum formale *quo* hujus potentiae e.

Objectum formale *quod* substat rationi *sub qua,* et hac de causa non semel vocatum est objectum *materiale* a S. Thoma 7. Quod oportet prae oculis haberi, ut confusio vitetur.

Objectum formale *quod* potest esse *adaequatum* vel *inadaequatum,* prout adaequat vel non totam latitudinem potentiae aut habitus, sicut color est objectum adaequatum, albedo vero inadaequatum visus.

Objectum formale *quod* adaequatum, quatenus substat rationi *sub*

l *I p.,* q. i, a. 7.

2 Gabriel a S. Vinoentio, *Log.,* disp. 3, dub. I, n. 5.

3 S. Thomas, *I p.,* q. I, a. 3 ad I.

* S. Thomas, *II-Il,* q. i, a. &ad I.

6 «Formalis ratio sciendi, ait S. Thomas, sunt media demonstrationis, per quae conclusiones cognoscuntur». *II-II,* q. 1, a. 1.

° Horum distinctionem egregie adsignat Banez, dicens: «Altera dicitur ratio *quae,* altera vero ratio *sub qua:* hoc est; quaedam est ratio, quae attingitur (et quidem principaliter) ipsa cognitione scientiae; quaedam vero est ratio sub qua illa attingitur. Prior est illa quae se tenet ex parte objecti secundum suam entitatem, quae est ipsa quidditas et essentia objecti de qua sunt principia proxima scientiae, et quae radix est eorum quae demonstrantur in scientia». *I p.,* q. 1, a. 3, «Primum fundamentum».

Minime nos latet alios aliter hanc distinctionem exponere. Solam rationem formalem *sub qua* appellandam volunt objectum formale; et quod communiter venit sub nomine formalis *quod, materiale* appellant *primarium:* et quod vocavimus *materiale* sine addito, volunt esse *materiale secundarium.*

Tot sunt hac in re dicendi modi et adeo confusi, ut vix queas duos auctores invenire qui in omnibus conveniant.

Usus tamen satis proprius communiter obtinuit objecta eo modo appellari quo in textu exposuimus, et retinendus est.

Caetcrum optandum sane foret, ut, confusionis vitandae gratia, vocum significationes hac in parte non multiplicarentur.

7 Cfr. *tl-II,* q. 1, a. 1. Hanc appellationem verissimam esse fatentur Complulonses, *Logica,* disp. prooem., q. 2, n. 10, et Salmant., *De fide,* disp. 1, dub. I, quia objectum formale *quod* substans rationi *sub qua* se habet per modum materiae ad illam.

qua, specificat potentias et habitus, et hoc pacto solet appellari *objectum attributionis.*

Heic sedulo inquirendum ac determinandum est, quodnam sit objectum tum materiale tum formale theologiae.

5. Theologorum placita, a) Communiter tenent Doctores Deum caeteraque omnia, quae ad eum quodammodo referuntur, esse objectum materiale sacrae theologiae, Deum quidem objectum primarium et caetera secundarium.

b) At non ita conveniunt in adsignando ejus objecto formali *quod.* Tot enim fere invenimus in hac parte sententias quot celebriora theologorum capita. Juxta Durandum [1] est *Deus* ut *Salvator;* juxta Aegidium Romanum [2] *Deris* ut *Remunerator;* juxta Scotum [3] *Deus* ut est *haec essentia;* juxta nonnullos Scotistas *Deus ratione infiniti;* juxta quosdam Thomistas *Deus* ut *verus;* et tandem juxta S. Thomam [4] et saniores ejus interpretes *Deus sub ratione Deitatis.*

c) Quoad objectum formale *quo* sacrae theologiae est etiam aliqua diversitas opinionum inter auctores. *Nonnulli* rati sunt objectum formale *quo remotum* esse revelationem Dei, *-proximum* vero Ecclesiae propositionem [5]; *alii* tamen communius censent unicum objectum formale *quo* theologiae esse revelationem virtualem et mediatam.

6. Thesis I. Objectum materiale theologiae est Deus, et caetera omnia quae ad eum referuntur, primarium quidem Deus, caetera vero secundarium.

Arg. Objectum materiale theologiae constituitur ex his omnibus quae a theologia attinguntur, primarium quidem ex iis quae per se, secundarium vero ex iis quae ratione primarii attinguntur. Sed theologia attingit primario Deum et secundario caetera omnia ratione Dei, ut ex dicendis patebit. Ergo.

7. Thesis II. Objectum formale «quod» theologiae est ipse Deus sub ratione deitatis.

Arg. Objectum formale *quod* cujuslibet facultatis vel scientiae est illud, quod per se et ratione sui attingitur, et ratione cujus caetera cognoscuntur, ut jam dictum est in statu quaestionis. Sed Deus per se et principaliter *sub ratione deitatis* et caetera omnia sub ratione Dei attinguntur a theologia. Ergo Deus sub ratione deitatis est objectum formale *quod* theologiae.

Minor *quoad i.am partem* ex eo probatur, quod theologia sit cognitio de Deo, cujus notitiam ut finem potissimum persequitur [6]. Nomina autem formaliter, nisi aliqua exceptio adsignetur, sumi debent.

Quoad 2.'"n partem patet discurrendo per singula. Nam theologia agit *primo* de ipso Deo ejusque proprietatibus et attributis, tum absolutis tum relativis, quae non sunt nisi ipse Deus; *secundo* de creaturis

1 *I Sent., Prolog.,* q. 5, n. 17 sq.
2 *I Seni.,* q. 3.
3 *I Sent., Prolog.,* q. 3.
4 *P. I.* q. i, a. 7.
6 Sirus Uvadano, O. P., *Universa thomistica theologia,* Syntagma 1, q. 1, a. 1, s». censet, objectum formale *quo* theologiae esse «descendentiain ab aliquo supernaturali, nimirum a fide, vel abstractionem a materia».
" Cfr. S. Thomas, *I. p.,* q. I, a. 7, arg. *sed contra.*

in genere, quatenus ad Deum ut ad auctorem referuntur; *tertio* de creaturis intellectualibus in ordine ad Deum ut ad finem supernaturalem; et sic de caeteris cunctis, ut de gratia et virtutibus, quibus homo in Deum conducitur; de incarnatione, qua homo redimitur; de sacramentis, quibus sanctificatur; ac de novissimis, quibus de conditione post mortem habenda edocetur; imo de ipso peccato in ordine ad Deum agit, quatenus peccatum contrarie relationem habet ad Deum, injuriam ei inferendo.

Difficultatibus satisfit.

8. Obj. 1.° Objectum formale *quod* cujuslibet scientiae debet continere sub se omnes veritates ac conclusiones illius scientiae. At Deus *sub ratione deitatis* non continet omnes veritates theologiae. Ergo. Major patet, quia nulla facultas extenditur ultra suum objectum formale. Minor vero probatur; quia in theologia agitur de pluribus, quae Deus non sunt.

Resp.—Dist. Maj. Objectum formale *quod,* etc., debet continere sub se omnes veritates, *virtute* vel *immediate,* cone.; semper *immediate,* neg. Aliquae veritates quae objectum materiale secundarium scientiae constituunt, continentur virtute sub objecto ejus formali *quod:* et hoc sufficit, ut de illis vera cognitio scientifica habeatur; potest enim studiosus ex habita semel notitia principiorum scientiae, et adhibito syllogismo, in earum cognitionem devenire. Hoc pacto sub Deo continentur virtute plures veritates theologicae, quae ad objectum materiale secundarium hujus facultatis pertinent, et per cognitionem Dei et principiorum fidei cognoscuntur *.

Obj. 2. Omnia quae subsunt rationi *sub qua* theologiae, sunt objectum ejus formale *quod.* Sed plurima subsunt rationi *sub qua* theologiae, quae non sunt Deus *sub ratione deitatis.* Ergo non Deus solus sub ratione deitatis est objectum formale *quod* theologiae. Prob. Min. Nam omnia revelata subsunt rationi *sub qua* theologiae.

Resp.—Neg. Maj. Quae subsunt, etc., sunt objectum formale *quod* theologiae, si per se primo et ratione sui attingantur a theologia, non vero, si ratione alterius et per ordinem ad aliud percipiantur. Omnia autem, quae in revelatione continentur, subsunt quidem rationi *sub qua,* sed non per se et principaliter agit de illis theologia, sed secundario et per ordinem ad aliam rationem superiorem, nempe Deum; et idcirco non sunt objectum formale *quod* theologiae.

9. Thesis III. Objectum formale «quo» theologiae est divina revelatio, non quidem «formalis» et immediata, sed «virtualis» seu «mediata».

I. Pro intelligentia hujus theseos accurate notandum est revelationem in genere nihil aliud esse quam manifestationem veritatis ignotae, a Deo, sive per se sive per suos ministros, nobis factam.

Hic revelatio paulo latius sumitur pro qualibet manifestatione veritatis, sive ignotae sive cognitae, a Deo hominibus facta.

II. Revelatio sic latius accepta potest esse duplex, *formalis* et *virtualis.*

1) Revelatio *formalis* est, qua Deus veritates in se ipsis, sive expresse sive aequivalenter, manifestat, ut sunt omnes articuli fidei.

Potest esse formalis *explicita* vel formalis *implicita.*

Formalis *explicita* est, qua Deus aliquid in propriis terminis manifestat, ut Verbum esse incarnatum. Formalis *implicita* dicitur, qua

* Ad rem S. Doctor: «Omnia alia (praeter Deum) quae determinantur in sacra Trina, comprehenduntur sub Deo, non ut partes vel species, vel accidentia, sed ut ordinata aliqualiter ad ipsum». *I p.,* q. 1, a. 7, ad 2.

Deus aliquid, non in propriis terminis sed aequivalenter, in veritate explicite revelata docet, ut Christhm habere voluntatem humanam aequivalenter declaravit in revelatione *Christus est homo;* quod quidem fieri potest, ut definitum in definitione, relativum in correlativo, pars in toto, et singulare in universali[1].

2) Revelatio *virtualis* est, qua Deus manifestat veritates non in se ipsis, nequidem aequivalenter, sed in alio, ut conclusiones in principiis, proprietates in essentia, et effectus in causa.

In hoc distinguitur a revelatione formali implicita, quod non manifestat in se veritatem, sed solum in objecto formaliter revelato; dum revelatio formalis implicita attingit et manifestat in se suum objectum, adeo ut vi manifestationis Dei sine discursu proprie dicto possimus videre veritatem implicite revelatam, ut revelatio, quae nobis manifestat Christum fuisse verum hominem, declarat in se, ut partem in toto, Christum habuisse verum corpus.

Accurate tamen praenotandum est ea, quae virtualiter manifestantur in veritate formaliter revelata, esse duplicis generis: a) ut proprietas metaphysica, non re sed ratione ratiocinata distincta ab ipsa veritate revelata, et dicitur in ea esse per modum inclusi; et b) ut proprietas physica, quae distinguitur re a veritate eam continente, et est in ea per modum connexi[2].

3) Unde veritates a Deo revelari dicuntur in quadruplici differentia:

a) Aliae *jormaliter explicite,* quae in se ipsis propriis terminis revelatae sunt, ut *Deum esse trinum,* de quibus, si ob auctoritatem Dei revelantis post definitionem Ecclesiae credantur, est fides divina; si ex alio principio per lumen theologicum deducantur, est theologia.

b) Aliae *formaliter implicite,* quae item in se ipsis, non quidem in propriis terminis sed aequivalenter, a Deo dicta sunt in explicite revelatis, ut definitum in definitione, relativum in correlativo, pars in toto, et singulare in universali; v. gr. *Petrus contraxit peccatum originale,* in universali: *Omnes contraxerunt peccatum originale.* Haec nonnisi ratione ratiocinantis distinguuntur ab explicité revelatis; et si, accedente declaratione Ecclesiae, credantur ob auctoritatem Dei revelantis, pertinent ad fidem; si ex altiori principio deducantur per demonstrationem, sunt conclusiones theologicae.

c) Aliae *virtualiter inclusive,* quae a Deo manifestantur, non quidem in se ipsis sed in formaliter revelatis, a quibus non re sed ratione ratiocinata distinguuntur; ut Christum esse radicaliter risibilem declaratur in propositione *Christus est homo.* De his proprie est theologia[3].

1 Cfr. *De fide,* n. 355.

2 «Virtualiter autem, ait Mazzella, in veritate explicite revelata id contineri dicitur quod vel primo, licet realiter sit idem cum illa, formaliter tamen ab ea distinguitur... vel secundo quod nec realiter est idem cum explicite revelato, sed cum eo solum necessario connectitur; ita proprietates omnes physicae... virtualiter continentur in revelata essentia». *De virtutibus infusis,* n. 406.

3 Veritates tum formaliter implicite tum virtualiter inclusive revelatae non semel dicuntur implicite revelatae, quia revera ambae quodammodo continentur in veritatibus formaliter revelatis. Qui clarius eas exprimere vellet, deberet dicere alias esse formaliter implicite alias virtualiter implicite revelatas.

d) Aliae *virtualiter connexive,* quae non in se ipsis sed in formaliter revelatis manifestantur tanquam aliquid realiter quidem distinctum a revelatis, sed physice connexum cum eis, ut effectus physicus in sua causa.

4) Revelatio Dei formalis dicitur objectum formale *quo* fidei divinae, et est immediata ratio adsentiendi veritatibus fidei.

Revelatio ipsa manifestans ea, quae virtualiter in revelatis continentur, et influens in argumento theologico in conclusionem, simulque illustrans mentem theologi, dicitur virtualis et est objectum formale *quo* theologiae.

Ipsamet igitur revelatio formalis, quae est ratio immediata adsentiendi veritatibus revelatis et ab Ecclesia propositis, quatenus mediate manifestat proprietates necessarias rei revelatae et, mediante consequentia, influit in conclusiones, est *revelatio virtualis,* et dicitur objectum formale *quo* theologiae.

10. Conclusio theologica. Ut in hac materia, quae est fundamentalis ratio totius theologiae, solida fundamenta jaciantur, operae pretium est declarare, quae sit conclusio rigorose theologica seu scientia theologica.

Ad hoc animadvertendum est scientias semper esse de necessariis, perpetuis et immutabilibus, ita ut res aliter se habere non possint. Scientiae siquidem important demonstrationem et cognitionem certam ex causis, quae nonnisi in rebus necessariis haberi potestUnde theologia, quae est vera scientia, versatur circa necessaria.

Ex hoc principio facile colliguntur sequentia, quae semper prae oculis haberi oportet in theologicis disciplinis.

1) Articuli fidei formaliter explicite revelati, qui sunt prima principia in scientia theologica, et dicuntur postulata simplicia, ubi ab Ecclesia proponuntur ut a Deo revelati, credendi sunt fide divina catholica ob auctoritatem Dei revelantis, et ut tales defectu demonstrationis non sunt conclusiones theologicae nec scientia theologica.

2) Veritates formaliter implicite revelatae non distinguuntur a veritatibus formaliter explicite revelatis ratione ratiocinata, sed ratione tantum ratiocinante, et, cum educuntur a formaliter explicite revelatis atque in conclusionem deducuntur, admittunt demonstrationem saltem apparentem non rigorosam, et in conclusione non habent rationem verae scientiae, sed potius fidei. Sit exemplum: *Omnes homines contraxerunt peccatum originale. Sed Petrus est homo. Ergo Petrus contraxit peccatum originale.* Cum minor hujus syllogismi implicite includatur in majori sicut singulare in universali, non deducitur proprie per demonstrationem, sed tota apparens argumentatio reducitur ad explicationem terminorum.

l «Ut haec (scientia), ait P. Marcellus a Puero Jesu, de facto in nobis generictur, necesse est, ut illa (principia) transfundant suam certitudinem et evidentiam in conclusiones. Si ergo adsumantur principia, quae aut non continent *necessario* i onclusiones, ut non raro fit in theoriis, quae hypothesibus superstruuntur, aut non recte applicantur ad conclusionem, scientia non generatur, licet aliquando per accidens sit verum consequens vel legitima consequentia». *Logica Major,* n 519 (cd. 2).

3) Veritates virtualiter inclusive in formaliter revelatis tanquam proprietates metaphysicae revelatae, constituunt proprie objectum theologiae, et, cum ratione eruuntur a praemissis revelatis, et per legitimam consequentiam deducuntur in conclusiones, constituunt conclusiones vere et proprie theologicas, quia sunt necessariae et important legitimam demonstrationem. Exemplo rem illustremus: *Deus est ipsum esse subsistens, juxta illud Exodi: Ego sum qui sum. Sed ens quod est ipsum esse subsistens oportet esse simplex, bonum, immensum, immutabile, aeternum, infinitum, etc. Ergo Deus est simplex, bonus, immensus, immutabilis, aeternus, infinitus,* etc. Hinc vides, quomodo simplicitas, bonitas, immensitas, immutabilitas, aeternitas, infinitude, etc., quae sunt proprietates et attributa Dei, virtualiter tantum seu ratione ratiocinata inter se et ab essentia divina distincta, et virtualiter tanquam proprietates metaphysicae revelatae in essentia, per legitimam consequentiam deducantur in conclusiones, et constituant totidem conclusiones proprie theologicas.

Nihil refert ad rem. si ipsae vicissim proprietates a Deo revelentur formaliter explicite, ut non raro contingit, quia in eo casu, ubi accedit propositio Ecclesiae, possunt esse, ut dicetur inferius, a) objectum fidei, cui adsentiendum erit immediate ob auctoritatem Dei revelantis, et b) objectum theologiae, cui adsentimus per adsensum theologicum.

4) Veritates tandem physice connexae cum veritatibus formaliter revelatis, ut sunt effectus physici in suis causis et proprietates physicae in essentia, cum non sint de necessariis et immutabilibus, nequeunt esse proprie objectum theologiae, et revelatio virtualis earum in explicite revelatis non est proprie ratio formalis *sub qua* theologiae.

Quare, argumentum, in quo ex praemissis revelatis eruuntur et deducuntur in conclusionem proprietates physicae connexae cum formaliter revelatis, non est proprie demonstratio nec scientia theologica, quia non est de necessariis. Et conclusio ita deducta, quamvis per accidens sit vera, non potest dici proprie scientifica nec rigorose theologica.

Ut recte animadvertit cl. *Marin*[1], nequeunt adduci exempla revelationis virtualis connexae circa attributa Dei, inter quae non datur distinctio realis. Adducemus exemplum ex materia Eucharistiae: *Post consecrationem panis et vini remanent in Eucharistia vera accidentia. Sed accidentia inhaerent subjecto. Ergo decidentia eucharistica inhaerent subjecto.* Minor hujus argumenti exprimit proprietatem physice connexam ac idcirco contingentem et realiter distinctam a veritate majoris, et cum actione Dei suspendatur lex physica, fallit veritas in conclusione.

11. Revelatio Dei potest dupliciter considerari, ut recte animadvertunt *Banez,* et novissime *Marin*[2]: a) «ut est actio Dei in ipso Deo exsistens»[3] cui respondet infundere lumen (Cajetanus): b) ut importat effectum, «quem Deus relevans efficit in nobis, quo formaliter fit nobis

1 *La evoluciôn homogenea del dogma catôlico,* n. 116.

2 Banez, *in I p.,* q. 1, a. 3, conci. 2; Marin, *La evoluciôn homogenea del dogma catôlico,* n. 114.

3 Banez, *in I p.,* q. 1, a. 3, concl. 2.

aliquid manifestum seu revelatum»J; et est quid objectivum seu ipsum objectum revelatum, illuminans mentem hominis. Et hoc sensu est objectum formale quo theologiae 1.

Dicimus autem revelationem Dei, quatenus attingit in objecto formaliter revelato proprietates et attributa in eo virtualiter inclusive contenta et efficit in nobis aliquid manifestum, esse revelationem virtualem, et cum influit in conclusiones, esse objectum formale *quo* seu rationem *sub qua* theologiae 3.

His ita praelibatis, facilis est probatio conclusionis.

Arg. I. *Ex auctoritate theologorum.* S. Thomas ait: «Sacra doctrina... una exsistens, se extendit ad ea quae pertinent ad diversas scientias philosophicas *propter rationem formalem,* quam in diversis attendit: scilicet, prout sunt divino lumine cognoscibilia» 4. *Capreolus:* «Divina revelatio est formalis ratio qua objecti theologiae» 5. *Cafetanus:* «Lumen divinum absolute est per se ratio formalis hujus notitiae, in quantum scientifica est» 6.* *Banez:* «Nihil aliud est ratio formalis *sub qua* objecti theologiae vel fidei, quam ipsum lumen aut effectus formalis luminis, quod Deus infundit in nobis, ut per illud immediate adsentiamus principiis, mediate vero conclusionibus inde deductis» ~.

Arg. II. *Ex ratione.* Objectum formale *quo* seu ratio formalis *sub qua* cujuslibet scientiae est id, quo mediante res cognoscitur. Omnia autem, de quibus agit theologia, cognoscuntur mediante revelatione, quatenus ea tanquam proprietates metaphysicae virtualiter inclusive contenta in veritatibus formaliter revelatis, lumine theologico per revelationem illustrato educuntur ex praemissis et deducuntur in conclusiones. Ergo.

Theologia igitur, quae est media inter fidem et metaphysicam, habet rationem *sub qua* ab illis distinctam. Ratio *sub qua* fidei est auctoritas Dei revelantis; theologiae vero revelatio virtualis, quatenus in exercitio demonstrationi et rigorosae illationi subjicitur et adsensum postulat theologicum propter demonstrationem; metaphysicae tandem interna veritatis manifestatio.

Dices. S. *Thomas* docet omnia in sacra doctrina pertractari *sub ratione Dei*8. Ergo Deus ipse est objectum formale *quo* theologiae.

Resp. S. *Thomas* ibi agit de objecto formali *quod,* theologiae, ex quo et ratione formali *sub qua* constituitur objectum attributionis, quod unitatem et speciem tribuit scientiae. S. Thomas, ut designaret subjectum theologiae, recte dixit omnia pertractari in sacra doctrina sub ratione Dei.

1 Banez, *in I p.,* q, i, a. 3, conci. 2.
2 «Lumen divinae revelationis, ait Capreolus, est formalis ratio cognoscendi omnia in theologia tradita». *In I Seni.,* prol., q. 4, conci. 6. Cfr. Cajetanus, *In I p.,* q. i, a. 2, «Secundum est».
3 Cfr. Banez, *In I p.,* q. i, a. 3.
4 *I p.,* q. i, a. 4.
5 *In I Sent.,* Prol., q. 4, conci. 6. «Ex quibus».
° *In I p.,* q. i, a. 2 et 3.
' *In I p.,* q. i, a. 3, conci. 2.
' *I p.*. q. I, a. 7.

ARTICULUS III

UTRUM ET QUOMODO THEOLOGIA SIT NECESSARIA

12. Status quaestionis. 1) In praesenti rerum tempestate, qua increduli et rationalistae omnia revelationis jura proterere conantur, haec quaestio magni facienda videtur, et ideo quam diligentissime dilucidanda.

Primam quaestionem *Summae Theologicae* inscripsit Angelicus Doctor *De Sacra doctrina,* et quaesivit *Utrum sit necessarium praeter philosophicas 1 disciplinas aliam doctrinam haberi;* et solida argumentatione, quam sumus statim exhibituri, respondit affirmative. Sed discrepantia orta est inter Commentatores super intelligentia hujus *doctrinae,* quam ostendit S. Thomas esse necessariam. *Nonnulli* volunt S. Thomam nomine *sacrae doctrinae* intellexisse fidem. Sic aliqui supresso nomine apud auctores. Quia, ajunt, S. Doctor loquitur de doctrina, quae est necessaria ad salutem. Sola autem doctrina fidei, non theologia, est necessaria ad salutem. *Alii* vero S. Doctorem praescindere dicunt a fide et theologia, et agere de sacra doctrina, in quantum est cognitio a Deo formaliter vel virtualiter revelata, abstrahendo a ratione crediti et sciti. Ita *Cajetanus* et *Buonpensière 3. Alii* dicunt esse totum aggregatum ex fide et habitu theologico; ita *Dominicus a SSma. Trinitate* 4, etc. *Alii* denique rati sunt S. Thomam egisse de disciplina theologica proprie dicta, in quantum distinguitur a fide. Quorum ratio est, quia tam in prologo quam in articulis sequentibus locutus est de doctrina, quae per adsensum presse theologicum habetur; et minime exsistimandum est Angelicum Doctorem in eadem quaestione et sub eodem titulo diversas materias tractare voluisse. Ita *Banez5 6 Vazquez 0, Joannes a S. Thoma 7, Billuart* 8;* et alii.

Quidquid sit de hac controversia, de necessitate theologiae stricte sumptae movendam in praesenti putavimus questionem, de necessitate fidei suo loco acturi.

2) Porro necessarium dicitur aliquid dupliciter, *absolute* et *hypothetice* seu *ex suppositione* 8. Necessarium *absolute* definitum est a Philosopho, *Quod aliter se habere non potest*10. Sumitur ex principiis essentialibus et causis intrinsecis rei. Sic necessarium est Deum esse, circulum esse rotundum, triangulum habere tres angulos duobus rectis

1 *I p.,* q. i, a. i.
2 Al. *Physicas.*
3 Cajetanus, *Comm. in I p.,* q. i, a. I; Buonpensière, *in I p.,* q. i, a. i.
4 *Bibi, theol.,* lib. i, sect, i, c. i.
6 *In I p.,* q. i, a. i.
6 *In I p.,* q. i, a. I, «Adnotationes».
7 *Quaesi, prooem.,* disp. 2, a. 1.
8 *Disseri. prooem.,* a. 2.
° S. Thomas, *I p.,* q. 19, a. 3.
10 *Metaphysicor.,* lib. 4, c. 5.

aequales. Necessarium *ex suppositione* dicitur quod est determinatum ad unum a causis extrinsecis, efficiente nempe et fine, sicut sagitta necessario tendit in altum, quando mittitur a sagittario, et cibus est necessarius ad vitam.

Ad praesens quod attinet, meminisse sufficiat *necesarii ex suppositione* in ordine ad finis consecutionem, ut gratia est necessaria ad salutem.

Necessarium *ex suppositione* pro fine consequendo est iterum duplex. *Aliud* dicitur necessarium *simpliciter* (alii dicunt *physice)* [1] et est id, sine quo finis *nullatenus* haberi potest, ut cibus necessarius est ad vitam, oculus ad visum, gratia ad salutem. *Aliud* est necessarium *secundum quid* vel *moraliter,* ita tamen ut id, sine quo finis valde difficulter aut imperfecte obtineri potest, necessarium *moraliter* dicatur, ut scientia est necessaria ad vitam socialem; id vero sine quo potest quidem, sed non ita facile, finis haberi, necessarium *secundum quid* audiat; hoc sensu equus aut currus est necessarius ad iter. Ex quo patet necessarium *moraliter* majorem necessitatem innuere quam necessarium *secundum quid,* licet a quibusdam promiscue usurpentur [1].

3) Praenotandum est etiam posse aliquid considerari necessarium hominibus, vel *distributive* pro omnibus et singulis, ut baptismus ad salutem; vel *collective* pro tota communitate, sicut matrimonium est necessarium in societate.

4) fn hac quaestione prae oculis haberi debet *alia* esse in theologica disciplina, quae captum hominis penitus excedunt, ut mysterium SSmae. Trinitatis; et eorum notitia per solam Dei revelationem habetur; *alia* vero, quae possunt quidem lumine naturali cognosci, sed de facto a Deo revelata cernuntur, ut exsistentia Dei. Diversimode autem, ut liquet, loquendum est de his diversis objectis quoad necessitatem theologiae, quae ratione principiorum revelationem supponit.

5) Potest sermo institui de necessitate theologiae *in genere,* prout cognitionem Dei et aliarum rerum ex principiis fidei illatam denotat, vel *in particulari,* prout hac vel illa methodo in scholis tradi consuevit, juxta datas de ea partitiones.

6) Ad duos fines potest ordinari theologia: 1) ad veritatum cognitionem, 2) ad salutem aeternam consequendam. Et pro his finibus consequendis diversa oritur necessitas theologiae.

13. Errores. *Rationalistae* et *Traditionalistae* ex opposito respondent quaestioni. *Illi,* vires naturales hominis supra modum exaggerantes statuerunt «rationem principem normam ac unicum medium esse, quo adsequi possit supernaturalium veritatum... cognitio» [3]. *Hi* vero e contra, ingenium humanum plus aequo deprimentes, ad cognitionem etiam rerum naturalium revelatione opus esse dixerunt.

A longiori horum errorum expositione abstinemus, quia de utroque, cum

1 S. Thomas, *III p.,* q. 65, a. 4, necessarium *absolute* et *simpliciter* promiscue usurpat.

2 Vide Complutenses, *Log.,* disp. I, prooem., q. 7.

2 Cfr. Breve Gregorii XVI damnans opera Georgii Hermes, 26 Sept. 1835, Donz-Bannw., 1619.

agendum erit de possibilitate et necessitate revelationis, iterum sermo redibit.

Interim placeat heic veram de necessitate theologiae doctrinam juxta modo datas explicationes variis thesibus exponere.

14. THESIS I. Theologia est «simpliciter» necessaria ad cognitionem plurimarum veritatum, quae ad Deum referuntur et in dogmate catholico virtualiter continentur; necessaria vero «secundum quid» ad cognitionem veritatum, quae ratione humana investigari queunt.

Prob. 1.a pars.

Arg. Veritates theologicae ita connectuntur cum principiis fidei et dogmate catholico, ut sine discursu theologico ex eis inferri et cognosci nequeantT Theologia ergo est *simpliciter* necessaria ad cognitionem plurium veritatum, quae in principiis supernaturalibus fidei continentur.

Prob. 2.a pars.

Arg. «Quia veritas, ait S. Thomas [1], de Deo per rationem investigata, *a paucis,* et *post longum tempus,* et *cum admixtione multorum errorum* homini proveniret». Quod egregie exponitur ab eodem S. Doctore his verbis:

A. A paucis.

«Unum est quod *paucis hominibus* Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis.

1) »Quidam siquidem (impediuntur) propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit.

2) »Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem.

3) »Quidam autem impediuntur pigritia; ad cognitionem enim eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, quum feré totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur.

»Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest; quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae...»

B. Post longum tempus.

«Illi, qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix *post longum tempus* pertingerent.

1 Hujusmodi sunt veritates quae a moralistis et mysticis de Deo investigantur.
2 *t p.,* q. i, a. i.

1) »Tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis, nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur.

2) »Tum etiam propter multa, quae praeexiguntur, ut dictum est.

3) »Tum propter hoc quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem; sed *in quiescendo fit -prudens et sciens,* ut dicitur in VII *Physic, text.* 20.»

Manifestum est ergo, quod «Dei cognitio, quae homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi *quibusdam paucis* et his paucis etiam *post temporis longitudinem* proveniret».

C. Cum admixtione multorum errorum.

Et quidem *cum admixtione plurium errorum* hujusmodi cognitio proveniret illis paucis hominibus.

1) Etenim «investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando et phantasmatum permixtionem...»

2) «Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione adseritur, quae interdum demonstratio reputatur» 1.

Ex his facile deduces theologiam revelationi innixam ese necessariam *secundum quid* ad ea etiam cognoscenda, quae ratio humana investigare potest.

15. Thesis II. Theologia in se generaliter spectata, prout abstrahit a methodo et ordine quibus hodie in scholis tradi solet, est, attenta Dei ordinaria providentia 1) Ecclesiae «collective» sumptae «simpliciter» necessaria, ut suum finem obtineat Ecclesia. 2) Singulis vero hominibus non «simpliciter» sed «secundum quid» necessaria ad salutem.

Prob. 1.a pars.

Arg. I. Veritatem hujus propositionis ita passim sacrae paginae testantur, ut nihil videantur clarius confirmare voluisse. Sic S. Paulus ajebat: *Oportet Episcopum... esse... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* 2. Quo loco certissime ostenditur aliquos, saltem Episcopos, oportere esse in Ecclesia sanae doctrinae peritos, qui, ut verbis utamur Dominici a SSma. Trinitate, «per scientiam et sapientiam et interpretationem sacrarum litterarum et exactam notitiam mysteriorum fidei instructi (sint) ad docendum et erudiendum alios» 3. Unde ad Ephesios dicitur Christum instituisse Doctores in Ecclesia, ut non corrueret ejus fides. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem cor-*

1 *Contra Gentiles,* lib. 1, c. 4. Cfr. S. Thom., ***II-II,*** q. 2, a. 4.
2 *TU.* i, 7-9.
3 *Bibi, thcol.,* lib. 1, sect. 1, c. 3; «Assertio sic».

poris Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in asttdia ad circumventionem erroris x. Unde S. Hilarius ait: «Fidem non nudam Apostolus atque inopem rationis reliquit: quae, quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obnitendi securitatem» 1.

Necessaria ergo est in Ecclesia aliqua disciplina, qua Pastores et Doctores penitus edocti possint alios erudire et thesauros sapientiae absconditos fidelibus ostendere, *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae* 3. Haec autem doctrina est procul dubio theologia, de qua loquimur. Ergo theologia dicenda est *simpliciter* necessaria ad conservationem fidei et salutem animarum. Hinc apostoli, quibus profunda rerum divinarum notitia sive theologia tradita fuit abundanter, docendi munus acceperunt a Domino, qui dixit illis: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium,* etc. 4, et Paulus non sapientiam hujus mundi, sed, quae a Deo donata sunt ei, loquebatur, ut ipsemet testatur 56

Arg. II. SS. Patres luculenter ostendunt necessitatem theologiae in Ecclesia Dei, non tantum ut altissima divinae sapientiae arcana possint homines investigare et sana doctrina imbuti viam salutis tuto pede prosequi, verum etiam ut robustiores effecti fidem catholicam valeant ab hostium telis defendere ac tueri. Quare S. Augustinus theologiam vocat eam doctrinam qua «fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur» ®. Et iterum Doctores theologos, ut erant Episcopi quos nominat, Ecclesiae plantatores, 'rigatores, aedificatores, pastores et nutritores appellare non erubuit 7. Ut autem fides valeat ab incursibus et impugnationibus haereticorum et incredulorum defendi, theologia est in Ecclesia *simpliciter* necessaria. Quomodo enim Pastores potuissent contra haereses in saeculorum serie obortas dogmata tueri, impiorum sophismata detegere, populorum fidem servare? Sane defensio fidei Christianae accuratam exigit theologiae tractationem, ita ut sint in Ecclesia non tantum qui mysteria et dogmata pie profiteantur, verum etiam qui, per Scripturarum et traditionis studium doctrinam revelatam addiscentes, eruant inde argumenta ad veritates defendendas et fidei integritatem servandam. Integritas autem fidei est necessaria *simpliciter* ad salutem. Ergo nemini

1 *Ephes.,* 4, 11-14.
2 *De Trinitate,* lib. 12, n. 20; ML 10, 445.
3 *Ephes.,* 4, 14.
4 *Marc.,* 16, 15.
6 *I Cor., 2,* 6-8.
6 *De Trinit.,* lib. 14, c. 1, n. 3; ML 42, 1037. S. Augustinus hie loquitur de scientia vere theologica, ut patet ex contextu. Agit enim de cognitione rerum humanarum in ordine ad Deum, de ea scilicet doctrina qua scitur, quomodo fides opituletur piis et contra impios defendatur. Unde S. Thomas, *p. I,* q. 1, a. 2, hunc locum de scientia theologica interpretatur.
' *Contra Julianum,* lib. 2, n. 37; MI. 44, 700.

dubium, quin, providentia Dei ordinaria, sit theologia Ecclesiae *simpliciter* necessaria.

16. Dices. Omnes ac singuli homines uberem a Domino accipiunt doctrinam, quin opus sit in Ecclesia Doctoribus ac Magistris, qui theologiam edoceant, juxta illud Isaiae: *Ponam... universos filios tuos doctos a Domino* 1; et juxta illud Joannis: *Erunt omnes docibiles Dei* 2.

Resp. In laudatis locis sermonem esse de doctrina seu theologia imperfecta et elementari, quae non sufficit ad fidei in Ecclesia defensionem ac conservationem, et salutis aeternae animarum in societate religiosa consecutionem. Cum enim in Lege Veteri per Prophetas et in Novo Testamento per Christum Dominum fidei elementis homines instruerentur, poterant ipsi quasdam de Deo conclusiones deducere et theologiae imperfectam notitiam comparare, et ideo dicuntur a Domino doceri. Sed praeter hoc oportet magisterium doctrinae esse in Ecclesia ad peritiorem aliarum quaestionum pertractationem et ampliorem fidelium instructionem.

Prob. 2.a pars.

17. Arg. Non omnes in Ecclesia acceperunt munus alios docend aut fidem defendendi, sed sunt nonnulli, qui sibimet ipsis attendentes missionem a Deo acceptam sat superque adimplere dicuntur. Unde Apostolus docet non esse omnes Doctores, dicens: *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores?* 3. Huc facit quod egregie S. *Augustinus* de theologia ait: «qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat..., aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur» 4.

Est tamen theologia omnibus necessaria *secundum quid* seu maxime *utilis,* tum ad mores componendos, tum ad hostes propriae fidei redarguendos, tum denique ad salutem aeternam consequendam. Quo enim pleniores acceperit quisque de Deo rebusque divinis illustrationes et haustus, tanto feliciores facturus est proculdubio in via perfectionis progressus. Hinc merito docet *Baconus* «parum philosophiae naturalis homines inclinare in atheismum, at altiorem scientiam eos ad religionem circumagere»5.

18. Thesis III. Theologia scholastica quoad methodum accuratiorem, qua ex quibusdam retroactis saeculis tradi consuevit, non est quidem Ecclesiae «simpliciter» necessaria, bene tamen perquam «utilis».

1) Ante probationem hujus theseos notandum est theologiam aliquam, ut scientia est, in Ecclesia semper exstitisse, eaque Christum Dominum et Apostolos contra incredulos et subortas tunc haereses non semel usos fuisse, ut constat ex diversis Sacrae Scripturae paginis. Quem usum a Christo et Sanctis Apostolis jure haereditario acce-

1 *Is.,* 54, 12-13.
2 *Joan.,* 6, 45.
3 *I Cor.,* 12, 29.
4 *De Trinit.,* lib. 14, c. 1, n. 3; ML 42. 1037.
5 *Sermones fideles,* 16.

ptum SS. Patres retinuerunt, imo et in suis cum haereticis controversiis supra modum propagarunt, ut legenti eorum opera luce meridiana clarius patebit. In primis tamen Ecclesiae saeculis theologia fusa potius oratione et forma magis oratoria, quam subtili disserendi arte, regulis dialecticae accommodata, tradebatur. SS. Patres non integros tractatus theologicos nec materias proposito sibi ordine scripsere, sed doctrinam solidam ac vere theologicam ex Scripturis et aliis hujus disciplinae fontibus mutuatam, ubi occasio se obtulerit, tradidere. Ideoque Patres antiqui theologiam dogmatico-positivam, quae in exponendis et vindicandis fidei mysteriis tota sistit, adepti sunt et docuerunt.

At saeculo vni 5. *Joannes Damascenus,* scriptis *De fide Orthodoxa* egregiis libris quatuor, ampliorem mysteriorum intelligentiam, illustrationem, et. quantum fas erat, penetrationem quaesivit; idque speciali methodo juxta regulas artis syllogisticae. Unde jure creditur theologiae scholasticae parens, saltem quoad ejus accuratiorem formam. Licet enim aliqui ut auctor librorum *De Caelesti Hierarchia, De Ecclesiastica Hierarchia, De Divinis Nominibus* et *De Mystica theologia,* qui gratis ab aliquibus tribuuntur S. Dionysio Areopagitae *, *Isidorus hispalensis* in libris *Sententiarum,* et *Tajon Caesaraugustanus* in libris pariter *Sententiarum,* prima theologiae scholasticae jecerint fundamenta, nemo tamen, quod sciamus, ante saeculum vni eam satis coluisse dicendus est. Hanc igitur theologiam, felicissimis sub auspiciis S. Joannis Damasceni ortani, S. *Anselmus* saeculo xi, et *Petrus Lombardus,* Parisiorum Episcopus, *Magister Sententiarum* vulgo nominatus, saeculo xii professi sunt; S. *Thomas* saeculo xm perfecit, et post ipsum praestantissimi quique Doctores in magnam Ecclesiae utilitatem prosecuti sunt, ac tandem *Leo XIII* saeculo proxime elapso restaurandam curavit.

Ejus munera sunt, ut jam ex dictis patet, omnia fidei dogmata, expensis Sacrarum Scripturarum testimoniis, traditionis documentis, et SS. Patrum effatis, ac comparatis undique veritatum inter se innumeris relationibus, dilucidare, illustrare, et, quantum rei difficultas patitur, demonstrare, adversariorum effugia praecludere, et, omnibus ad trutinam sub regulis dialectices revocatis, argumentorum vim aut debilitatem pandere. Unde *Gener* differentiam inter theologiam positivam et scholasticam optime statuit dicens: «illa fidem gignit, haec ipsam nutrit, roborat, illustrat, amplificat; efficit illa ut credas, haec ut, quae credis, capias ac lubentius teneas» 1. *Scholastica* a conclusionibus positivae, sicut diximus, tanquam a principiis progrediens, statum quaestionis imprimis aperit, vera a falsis secernit, opiniones Doctorum, si quae sint, refert, et postea doctrinam seu thesim statuit, quam omni genere argumentorum strenue probat, roborat atque confirmat, cum aliis doctrinae capitibus comparat, corollaria deducit, et contrarie sentientium argumenta proponit ac solvit.

1 Cfr Wouiers, *Hist. Eccl.,* epoch, i, n. 54. Hurter, *Nomenclator litterarius,* t. i, nn. 256-257.

2 *Thcol. dogm.-schol,,* vol. 1, Prodrom. 1, c. 2, n. 7.

2) Omnes fidei catholicae hostes, cum suas imposturas ac fraudes cernerent per theologiam scholasticam omnino detegi, ortum ejus aegre tulerunt, ipsam postea Novatores saeculi xvi innumeris conviciis insectati sunt, et hodierni naturalistae et rationalistae in ludibria vertunt. Contumeliae praesertim Novatorum et irrisiones philosophorum quorumdam recentiorum eo magis oblectant animum, risumque movent, quo absurdiores sint et audaciores. *Wicleff* adserit *Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in eisdem, esse vana gentilitate introducta, et tantum prodesse Ecclesiae, sicut prodest diabolus.* Consequenter Collegia et universitates appellat *Castra Caimitica* *. *Lutherus* suadet «ut adolescens vitet philosophiam et theologiam scholasticam ut mortem animae suae» 1. Item facultates theologiae Parisiensem et Lovaniensem vocavit lupanaria ac meretrices procacissimas, sorores Sodomae et Gomorrae 3. Adseruit theologiam scholasticam esse *ignorantiam veritatis et inanem fallaciam* 4. Et iterum Academias vocavit *Antichristi lupanaria,* et S. Thomam *phialam irae Dei. Melancthon* quoque, theologiam scholasticam ajebat esse profanam, Parisiis natam, obscuravisse Evangelium fidemque exstinxisse 5* Demum *Calvinus* Scholasticos appellat *asinos cornutos, bestias bipedes* et sophistas; adséritque *quod tota Papatus theologia immane sit chaos et horribilis labyrinthus, quia* (scholastici), *neglecto Christo, sibi insanis et ventosis speculationibus indulgent.* Quid plura? Refert Dominicus a SSma. Trinitate ° ex Surio 7 haereticos Wittemburgenses «theologiae scholasticae libros feretro inclusos instar funeris ad mediam urbis plateam detulisse, sequentibus ministris officiumque defunctorum per ludibrium canentibus, tandemque in ardentem rogum projecisse». Huc tetigit insania, ni dicamus rabies, Reformatorum.

Non minus audaces exsistunt hodierni scientiarum naturalium cultores qui theologiam, signanter scholasticam, ludibrio habent, velut antiquorum paradoxam rejiciunt et ab omnibus ablegandam docent. His dictis:

Prob. 1.a pars.

19. Arg. Theologia scholastica quoad formam disserendi et accuratiorem methodum, qua hodie traditur, ignota fuit ab antiquis, quippe quae saeculo vni in mundum prodiit; et nihilominus Ecclesia incolumis servata et mirum in modum propagata fuit. Ergo theologia scholastica non est Ecclesiae *simpliciter* necessaria.

Prob. 2.a pars.

Arg. I. Enixe commendant SS. Patres usum dialecticae in theologia. S. *Augustinus* «disputationis disciplina, inquit, ad omnia genera quaestionum, quae in litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda,

1 Ex litteris verbi *Caim,* quibus *Carmelitas, Augustinianos, Jacobitas* et *Minore.*. significari contendebat. Vid. Waldensis (Thom.), t. 1, lib. 2, art. 3, c. 69.
2 *Lutheriana Confutatio Rationis Latomianae,* § «Sed haec est».
8 *De abrog. Missa priv.,* «Finge» et «Parum vero».
1 *Lutheriana Confutatio Rationis Latomianae,* § «Sed haec est».
6 *Apolog. contr. Parisiennes,* «Quamquam».
• *Bibi, theol.,* lib. J, sect. 1, c. 3.
7 *Append ad Nauclerum,* ann. 1520.

plurimum valet; tantum ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium»[1]. Apposite ad hanc rem *Melchior Canus* ait: «rationem si a theologia submoveas, theologia ipsa et rem amittet et nomen» [2].

Arg. II. Aliud irrefutabile argumentum petitur a Concilio Constantiensi, quod errorem Wicleffi circa Universitates, studia, collegia et eorum magisterium damnavit ac proscripsit [3].

Arg. III. *Ex Ecclesiae commendationibus.* Ex quo enim orta est theologia scholastica, summis eam laudibus commendatam voluere Summi Pontifices. Jam olim *Alexander IV* Alexandrum Alensem, qui scholasticam profitebatur, praecepit, ut *Summam Theologiae* (scholastica utique forma) scriberet[4]. *Honorius III*[5] ordinavit, ut *ad theologiae* professionis studium aliqui destinarentur. Et *Gregorius IX* [6]*Achdemiam Parisiensem, quae instaurandis studiis scholasticis operam dabat, encomiis ac laudibus celebravit. Unde *Sixtus V* merito haec scripsit: *Quanto igitur magis illi* (haeretici) *hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere et haereditatem patrum nostrorum conservare ac tueri*[1]. Sed praecipue nostris temporibus *Leo XIII* pro restauranda theologia scholastica juxta miram Angelici Doctoris doctrinam plurimum adlaboravit [8].

Jure ergo damnata est a *Pio IX* in Syllabo sequens propositio: *Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt* [9].

Arg. IV. *Ratione.* In dilucidandis quaestionibus oportet maxime, ut adversariorum subterfugia detegantur, vis argumentorum ex utraque parte militantium clare perspiciatur, et falsitates forte latentes omnino patefiant. Veritas enim non odit lucem. Manifestum est autem confusionem et obscuritatem imo et falsitatem facilius in forma oratoria ac expositiva quam in argumentatione syllogistica delitescere; et melius per theologiam scholasticam, quae rem definit, dividit, et paucis propositionibus complectitur, obscura declarari et sophismatum effugia detegi. Ergo theologia scholastica est Ecclesiae perquam *utilis* ad fidem catholicam incolumem servandam, hostium incursiones superandas, et salutem animarum adipiscendam. Unde *Arnobius* quidam, tempore S. Leonis Papae, haeretico in disputatione dicenti: *Cesset ars dialectica,* respondit: *Ars dialectica in rebus obscuris ingreditur, ut videatur esse verum, quod verum est.*

1 *De Doctr. christ.,* lib. 2, c. 31; ML 34, 58.
2 *De Locis,* lib. 9, c. 4.
3 Sess. VIII, prop. 29; Labbè, 12, p. 46.
4 Denitie, *Chartularium Universitatis parisiensis,* I, p. 328 sq.
5 Cap. *Stiper Specula Domini,* Denifle, *Chartularium Univ.,* p. I, 90 sq.
6 *Epist. ad Magistros et studiosos Paris;* Denifle, t. I, p. 114 sqq.
7 *Bulla Doctoratus S Bonaventurae,* § 10.
8 Cfr. Encyclica *Aeterni Patris* (Acta S. Sedis, vol. 12, p. 97 sqq.) et alia ejusdem Pontificis documenta. Tanta est Angelici Doctoris in argumentatione vis, ut Buccems exclamasse dicatur: *Tolle Thomam et dissipabo Ecclesiam.*
9 *Syllab.,* n. 13; Donz-Bannw., 1713.

Difficultatibus satisfit.

20. Plura congerunt haeretici contra theologiam scholasticam quae, utpote ex odio eorum et rabie orta, vix refutatione indigent. Principaliora tamen breviter dissipanda sunt.

Obj. 1.° Veteres SS. Patres nunquam theologia scholastica usi sunt, et nihilominus egregie fidem catholicam tuiti fuere, et per omnes fere mundi plagas propagarunt. E contra vero, ex quo orta est theologia scholastica, plures a fide defecerunt, et propagatio fidei catholicae penitus detenta fuit.

Resp,—Dist. primam objectionis partem; Veteres SS. Patres nunquam usi sunt theologia scholastica quoad methodum rigorosam, qua a praestantissimis Doctoribus invecta est; transeat; *quoad substantiam,* neg. Dupliciter enim theologia scholastica potest considerari. i.° *Secundum se* vel *quoad substantiam,* prout ex principiis revelatis logice arguit ad conclusiones probandas, abstractione facta ab hac vel illa methodo. 2.° *Quoad statum* perfectiorem vel accuratiorem methodum, qua praestantissimi quique Doctores eam excoluerunt. *Primo sensu* theologia scholastica semper viguit in Ecclesia, et SS. Patres eam in fidei defensione ac propagatione utiliter adhibuere. Hac de causa ejus utilitatem ex Sanctis Patribus luculenter probavimus. Imo et *secundo sensu* SS. Patres illam proculdubio adumbravere, ut constat ex locis superius citatis; sed quia non perfecte, ut posterioribus saeculis, eam excoluerunt, ideo orta dicitur saeculo vm, cum nempe ad accuratiorem formam redacta est.

Ad 2.an' partem negandum omnino est fidem catholicam, ex quo theologia scholastica orta est, in Ecclesia defecisse aut diminuisse. Referunt historiographi numerum fidelium ab apostolorum aevo ad haec usque tempora, non obstantibus haeresum apparitionibus et potestatum persecutionibus, singulis saeculis non sine mirabili Dei providentia in Ecclesia crevisse *.

Obj. 2.° S. *Basilüis* ait; «0 ingrati animi vitium insulsum et pravum. Adorant magi Christum, et Christiani inquirunt, quomodo Deus in came sit et quali carne et utrum adsumptus sit homo perfectus an imperfectus» 1. Ergo S. *Basilius* damnat usum theologiae scholasticae.

Resp.—1.° Haec homilia falso adscribitur S. Basilio.

2° Locus *pseudo-Basilii* intelligendus est de illis Christianis, qui, arida rerum divinarum consideratione et discussione contenti, voluntarie privantur merito fidei et obsequiosae contemplationis, minores effecti Pastoribus et Magis, qui, esto notitiam theologicam rerum divinarum adsequi nequiverint, puerum tamen Jesum ex intimo cordis affectu adorare meruerunt. Utrumque ergo oportet fieri.

Obj. 3.° Fidei meritum exstinguitur omnino ac evacuatur per theologiam scholasticam, juxta illud S. *Gregarii:* «Nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum» 3. Ergo tantum abest, ut theologia scholastica sit Ecclesiae utilis.

Resp.—Neg. Ant. Ad auctoritatem S. *Gregorii* dicendum est fidem non habere meritum, ubi totam adhaesionis rationem praestat experimentum; quia hoc in casu non ob inotivum supernaturale, quod ad fidem requiritur, sed ob evidentiam veritatis cognitae adhaereret intellectus. Sed, si quis dogmata, fide supernatural! credita, per rationem ostendere ac illustrare

1 Vid. inferius de religionis Christianae propagatione, n. 260 sqq.

2 *Hom. in s. Christi generat.,* n. 6; MG 31, 1474.

3 *In Evang. hom.* 26, n. 1; ML 76, 1197. S. Thomas, ***II-II,*** q. 2, a. 10 ad 1, hunc textum interpretatur dicens: «Gregorius loquitur in casu illo, quando homo non habet voluntatem credendi ea, quae sunt fidei, nisi propter rationem induit am. Quando autem homo habet voluntatem credendi ea, quae sunt fidei, ex sola auctoritate divina, etiamsi habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc quod est *Deum esse,* non propter hoc tollitur vel diminuitur meritum fidei».

nitatur, non ideo privatur merito fidei sed potius optime meretur coram Deo et Ecclesia.

Obj. 4. Innumerae sunt inter theologos scholasticos discordiae, dissensiones ac lites, et auctoritati SS. Patrum non satis consulitur. Unde *Marcus A ntonius de Dominis* suum ab Ecclesia catholica discessum explicat, quia inter scholasticos «sunt perpetuae controversiae, et theologia instruitur humanae rationis speculationibus potius quam divinae Scripturae testimoniis contexta» *. Ergo noxia Ecclesiae potius dicenda est theologia quam utilis.

Resp.— Dist. Ant. Sunt inter theologos scholasticos discordiae, dissensiones ac lites, *in accidentalibus,* conc.; *in substantialibus,* neg. Plures equidem controversiae ortae sunt inter scholasticos, sed sunt de rebus omnino secundariis. Si quando vero aliquod enascitur inter illos dissidium in dogmatum intellectione aut extensione, Ecclesiam habent magistram veritatis ac normam, cujus vocem audiunt humiles, et cujus doctrinam sequuntur in omnibus, captivantes intellectum in obsequium fidei. Falsum vero est quod *Antonius de Dominis* testatur, quia in magna veneratione semper habitae sunt inter scholasticos divinae Scripturae, quibus nihil familiarius unquam fuit, quam suas doctrinas Scripturae testimoniis firmare.

Obj. 5. Negari saltem non potest theologiam scholasticam bonis litteris, quae in Ecclesia tanti aestimantur, plurimum nocere. Ad quid enim incultus ille, quo utitur, stylus, impolita barbaries ac duriorum verborum excogitatio, quae viros sapientes dedecent, et a dogmatum cultura abhorrent?

Resp. Ad hujus difficultatis solutionem sufficiat verba S. *Augustini* afferre, qui egregie ait: «Sicut enim nostri auctores... de rebus maxime cogitaverunt, sic mundanorum auctorum prope omnis cura de verbis est» a. Et alibi addit: «Bonorum ingeniorum insignis est indoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quaerimus quam patere, quod clausum est?» 3. Verum est stylum quemdam rudiorem in theologia scholastica usurpatum aliquando fuisse, et vocabula technica, ut ajunt, apud rhetores inusitata interdum adhiberi, sed prae oculis semper habendum est facilius errorem sub elegantiorum verborum fuco et rhetorica orationis compositione, quam sub rudi argumentatione delitescere. Hinc plures scholastici, licet orationis ornatum in aliis materiis saepe quaererent, maluerunt tamen sub dura cortice verborum doctrinas theologicas nervose tueri.

Diximus stylum rudiorem in theologia scholastica usurpatum *aliquando* fuisse, quia sunt nonnulli, qui in ipsa theologia scholastica orationis ornatum una cum solida argumentatione non sine laude quaesierunt. Plures, qui hodie solutae orationis elegantia gloriantur, vellent profecto stylum *Melchioris Cani* imitari.

ARTICULUS IV

UTRUM THEOLOGIA VIATORUM SIT SCIENTIA PROPRIE DICTA

21. Hic jam quaeritur de perfectione essentiali theologiae, et investigatur, utrum sit scientia.

A. *Virtutes intellectuales.* Juxta S. *Thomam* 4 et omnes philosophiae ac theologiae doctores quinque sunt virtutes intellectuales, *Intellectus* nempe, *Sapientia, Scientia, Prudentia* et *Ars.* Intellectus seu intelligentia

1 *In Consilio suae profectionis,* n. 7 et 10. Heidelbergae, 1616.
2 *Lib. contr. Adim., c.* 11: ML 42, 143.
3 *De. Doctr. Christ.,* lib. 4, c. 11; MI. 34, 100.
4 *I-II,* ‹l· 57. a· 2-4-

nuncupatur *habitus primorum principiorum,* seu *habitus, quo prima principia scientiarum nobis innotescunt.* Sapientia dicitur *cognitio rerum per altissimas causas.* Scientia est *cognitio certa et evidens per demonstrationem comparata;* vel: *Cognitio certa et evidens ex causis,* id est, *ex praemissis* x. Prudentia est *recta ratio agibilium,* seu *habitus intellectualis honestatem morum dirigens,* et occupatur circa particularia agenda. Ars denique vocatur *recta ratio factibilium,* seu habitus intellectualis, qui praescribit regulas, facultatesque dirigit ad aliquod opus externum efficiendum 1.

B. *Explicatur dejinitio scientiae.*

1. Dicitur *cognitio certa,* quo convenit cum intellectu et sapientia, et distinguitur ab errore, opinione, suspicione, fide humana, etc. Deinde dicitur *evidens,* quia demonstratio evidentiam parit; quo differt a fide divina quae obscura est. Additur denique *per demonstrationem comparata,* quo secernitur ab intellectu et a cunctis aliis habitibus et cognilionibus.

Cum autem theologiae principia fide divina, non evidentia intrinseca, teneantur, manifestum est in conclusionibus theologicis evidentiam, qua principia carent, reperiri non posse; ideo in explicatione hujus definitionis quaestio valde agitatur; utrum nempe evidentia sit una ex conditionibus essentialibus verae scientiae, ita ut ex defectu ejus aliqua disciplina, ex. gr. theologia, desinat esse vera scientia, licet sit cognitio certa et discursiva.

2. Ad cujus dilucidationem diligenter praenotandum est evidenliam posse bifariam in scientiis considerari, *actualem* nempe, cum ex principiis evidentibus et in ipsa scientia demonstratis legitime conclulones deducuntur, ut accidit in Metaphysica; et *radicalem,* cum ex principiis absque ulla haesitatione creditis et in alia superiori scientia demonstratis proceditur, ut fit in scientiis proprie subalternatis. Cum <nim scientias subaltcrnatas comparamus, credimus primo principia, quae demonstrantur in subalternante, et acquirimus quasi *evidentiam :>i attestante,* et ex illis principiis semel admissis conclusiones per dislursum eruimus. Hoc pacto, musicus accipit a magistro principia in arithmetica demonstrata, et ex illis scientifice procedens conclusiones artis musicae demonstrat. Cum autem theologia nostra sit subalternata «ientiae Dei et beatorum, ut mox videbitur, facile colligitur in ea evidentiam actualem non esse quaerendam. Habet tamen evidentiam radicalem, quatenus principia ejus sunt Deo ac beatis formaliter nota, et nobis, qui a visione beatifica longe deficimus, per auctoritatem Dei una i mn evidentia veluti in attestante traduntur, ut conclusiones ex eis le■itima consequentia inferamus. Difficultas ergo est, an et quomodo theologia, evidentia actuali cum careat, ex eo quod ejus principia demonstrentur in theologia Dei et beatorum, scientiae proprie dictae nomen ac rationem sortiatur cum sola evidentia radicali. Vel, si mavis, quaestio est generalior, an scilicet scientiae subalternatae sint proprie ,K ientiae.

1 Cfr. Arist., *rlnalyt. post.,* lib. i, c. 2.
Cfr. S. Thomas, *I-II,* q. 57, a. 3-4.

3. Ut ea claritate, qua par est, procedatur, scientiae subalternatae possunt dupliciter considerari: 1.° quatenus conjunguntur cum subalternante, et hoc sensu habent proculdubio rationem scientiae sed de hoc non agitur in praesenti; 2.° in absentia subalternantis, ut est nostra theologia, de qua disputatur, an sit scientia.

4. Pro cujus faciliori intelligentia et pleniori solutione iterum .animadvertendum est notitiam aliquam seu cognitionem dupliciter dici vere ac substantialiter scientiam: a) *In statu imperfecto,* cum omnia substantialia habet, quae ad scientiam requiruntur, sed caret aliquo requisito accidentali, sicut a pari Petrus, anima et corpore constans, vere dicitur homo, quamvis oculo, manu aut pede privatus fuerit: b) *In statu perfecto,* quando omnibus requisitis substantialibus et accidentalibus praedita est; sicut in exemplo allato homo dicitur perfectus, cum non solum anima et corpore, verum etiam omnibus constat ad ejus integritatem necessariis.

22. Theologorum placita. Triplex est theologorum in hac parte opinio.

a) Prima sententia tenet theologiam viatorum non esse vere ac proprie scientiam, quia caret evidentia actuali. Sic *Scotus* \ *Durandus a, Ariminensis* 2; *Molina* *, *Valentia* 5 et *Vazquez* °, quibus alii non pauci subscribunt dicentes cum *Vazquez* theologiam nostram esse habitum quemdam innominatum, medium inter scientiam et fidem.

b) Secunda sententia, communior, docet nostram theologiam esse vere ac proprie scientiam, licet, quandiu peregrinamur a Domino, imperfectam. Patroni hujus sententiae negant ad rationem scientiae requiri evidentiam actualem principiorum, sed volunt sufficere radicalem. Et addunt theologiam certe non carere evidentia radicali principiorum, quia ex se petit resolvi in scientiam Dei et beatorum, cui subalternatur, et perspicue nota sunt ejus principia. Ita S. *Thomas* ' et omnes thomistae; item ex extraneis *Petavius* 8; *Kleutgen* °, *Franzelin* lu, *Crosta* 11 et alii non pauci12.

c) Tertia sententia, quantum ad scientias subalternatas in genere mediam sequitur viam, et aliorum opiniones in concordiam vocare contendit. Docet enim evidentiam actualem esse scientiae necessariam, sed cum haec haberi possit vel *perfecte* per demonstrationem *propter quid,* vel *imperfecte* per demonstrationem *quia,* autumat scientias subalternatas posse aliquando evidentia actuali, non quidem per demonstrationem *propter quid* sed per demonstrationem *quia,* gaudere, cum scilicet ex effectibus demonstrant sua principia, ut musicus et medicus probant per experientiam principia musicae et medicinae. Quo in casu tenet scientias subalternatas in absentia subalternantis vere et proprie, licet imperfecte, rationem habere scientiae. At, cum agitur de theologia, quae nullam habeat evidentiam actualem, nequidem per demonstrationem *quia,* tuetur non esse proprie scientiam. Ita *Vrraburu* 13.

1 *In I Sent.,* q. 3, Prol., n. 30.
2 *In Prol. Sent.,* q. 2.
3 *In I Sent.,* q. I, a. 4.
4 Q. I, a. 2, disp. 1.
5 Disp. i, q. i, punct. 3.
6 Disp. 4, cc. 6 sqq.
' *I p.,* q. i, a. 2.
8 *Prolegom., c.* 8.
8 *De ipso Deo, Intr.,* q. 1, a. 1.
30 *Proleg.,* III.
11 *Praenotiones,* ŋ. IV.
12 Complutonses abbrev., *Log.,* disp. 19, q. 3, egregie de more hanc quaestionem illustrant.
13 *Log. Maj.,* n. 298 sq.

23. Thesis. Theologia viatorum est quidem proprie ac substantialiter scientia, sed «in statu imperfecto».

Prob. 1.a pars.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Nam in sacris litteris nostra theologia passim vocatur *scientia. Dabo vobis,* inquit *Jeremias, pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* Pastores autem imbuunt fideles doctrina theologica, quam communicat Deus justis secundum illud Sapientiae: *Dedit illi scientiam sanctorum* 1. Hoc sensu S. *Petrus* hortatur fideles dicens: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam* 3* Ubi Princeps Apostolorum satis innuit hanc scientiam ex fide deduci; et loquitur proculdubio de theologia, quia de illa scientia agit, qua vult versu 2.°, *ut pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri i.* Unde -rigore scholastico visus est loqui *Clemens Alexandrinus,* dum ait 5* «fidei meditatio fit scientia, stabili innixa fundamento» 0.

Arg. II. *Ratione.* Scientia proprie dicta est *cognitio certa alicwjus rei per demonstrationem acquisita;* evidentia vero seu claritas tum principiorum tum conclusionum, non ad rationem propriam scientiae, sed ad ejus perfectionem spectat. Sufficit ergo ad scientiam ut certitudo habeatur per demonstrationem acquisita, et evidentia ex se postuletur. Porro theologia nostra habet 1) *certitudinem,* et quidem 2) *per demonstrationem acquisitam,* et 3) *ex se postulat evidentiam,* dum petit resolvi in scientiam Dei et beatorum. Ergo.

Habet 1) certitudinem, quia innititur principiis supernaturalibus a Deo revelatis et fide divina creditis, quibus nequit subesse falsum.

2) Per demonstrationem acquisitam, quia conclusiones ejus rigoroso ratiocinio deducuntur ex principiis fidei. Quam demonstrationem non utcumque talem vocat *Dominicus a SSma. Trinitate'l,* sed quandoque ait esse demonstrationem *propter quid,* quia adducitur in ea causa vel quasi-causa proxima conclusionum, quandoque vero demonstrationem *quia,* cum scilicet adsumitur causa remota ad probandam conclusionem. Renuunt tamen id admittere *Complutenses 8, Crosta* 9, et *Urraburu10,11* qui putant scientiam subaltematam non habere nisi demonstrationem *quia.* Quomodo autem distinguantur demonstrationes *propter quid* et *quia* a demonstrationibus *a priori* et *a posteriori,* vide apud eosdem *Dominic, a SSma. Trinit.*11 et *Urraburu 12.*

1 *Jer.,* 3, 15·
2 *Sap.,* io, io.
3 *II Petr.,* i, 5.
1 *II Petr.,* i, 2.
6 *Strom.,* lib. 2, c. 2; MG 8, 940.
° Cfr. Petavius, *Praleg.,* c. 8.
' *Bibi, theol.,* lib. 2, sect. 1, c. 2.
8 *Log.,* disp. 19, Q- 3 ad 1.
" *Praenotiones,* ŋ. IV.
1,1 *Logica Maj.,* lib. 2, disp. 4, c. 3, a. 4, n. 298.
11 *Bibi, theol.,* lib. 2, sect. 1, c. 2.
13 *Logica Maj.,* lib. 2, disp. 3, c. 2, a. 3, n. 240 sqq.

3) Postulat evidentiam, cum ex sua natura petit conjungi scientiae Dei et beatorum, in illamque resolvi. Procedit enim theologia ex principiis in illa superiori scientia manifestatis, in quam tanquam in propriam perfectionem tendit, ut, si fieri possit, evidentiam actualem suorum principiorum et conclusionum acquirat.

Totum hoc argumentum apposite exponit S. *Thomas* dicens: «Sciendum est, quod duplex est scientiarum genus. *Quaedam* enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria et hujusmodi. *Quaedam* vero sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. *Et hoc modo sacra doctrina est scientia,* quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum. Unde sicut musicus credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo» [1]. Et alibi ait: «Et sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quae concluduntur ex articulis fidei» [2].

Addi potest theologiam viatorum esse necessario unam ex quinque virtutibus intellectualibus. Nullam autem esse nisi scientiam facile probatur, discurrendo per singula.

Prob. 2.a pars.

Arg. Scientia habetur *in statu perfecto,* quando fuerit omnibus numeris absoluta, et requisitis tum substantialibus tum accidentalibus praedita. Unum autem ex requisitis, quae ad sui perfectionem accidentalem postulat, est evidentia actualis principiorum et conclusionum et clara manifestatio connexionis eorum inter se. Porro theologia nostra, dum per fidem ambulamus, deficit ab evidentia actuali suorum principiorum et conclusionum. Est igitur in statu imperfecto. Unde S. *Thomas* diserte ait: «Omnis scientia in visione rei praesentis perficitur» [3].

Difficultatibus satisfit.

24. Obj. 1.° Principia cujuslibet scientiae debent esse per se nota. Sed in hac vita theologiae principia, cum sint articuli fidei, non sunt per se nota. Ergo theologia non est scientia.

Resp. Hanc difficultatem esse a S. *Thoma* praeoccupatam his verbis: «dicendum, quod principia cujuslibet scientiae, vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiae, et talia sunt principia sacrae doctrinae» [4].

Obj. 2.° De ratione scientiae est, quod sit omnino certa. Atqui certitudo omnimoda veritatis concipi non potest sine ejus intrinseca et actuali evidentia. Ergo sine evidentia actuali non concipitur scientia. Porro theologia nostra, prout in via habetur, caret evidentia actuali. Ergo non est scientia.

Respondet *P. Buonpensière* certitudinem naturalem haberi non posse sine intrinseca evidentia veritatis, quia «causatur in nostro intellectu ab intrin-

1 7 *p.,* q. i, a. 2.
2 *De veritate,* q. 14, a. 9 ad 3.
3 *De veritate,* q. 14, a. 9.
4 7 *p.,* q. i, a. 2 ad 1.

seca visione veritatis», bene tamen certitudinem supernaturalcm, quae «causatur a Spiritu Sancto movente animum ad voluntarie adsentiendum dogmati revelato» r.

Sed *Complutenses* 1 utramque verius putant haberi posse sine actuali principiorum evidentia, dummodo haec credantur absque ulla haesitatione per quamdam quasi evidentiam eorum in attestante, sicut credimus Romam aut Indiam exsistere. Quo pacto musicus sine evidentia actuali principiorum acquirit certitudinem suae scientiae, sicut et fidelis certitudinem theologiae. Cum quibus

Resp.—Neg. Min. Hoc totum apposite illustrat Angelicus Doctor dicens: «Adsentit intellectus alicui dupliciter. *Uno modo,* quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est *intellectus,* vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est *scientia. Alio modo* intellectus adsentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed *per quamdam electionem* voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam. Et, si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit *opinio,* si autem sit *cum certitudine* absque tali formidine, erit fides» 35 Ergo fides habetur de principiis cum certitudine scientiae. Unde ibidem addit Angelicus: «actus iste, qui est credere, habet firmam adhaesionem ad unam partem, in quo convenit *credens* cum *sciente* et *intelligente,* et tamen ejus cognitio non est perfecta per manifestam visionem, in quo convenit cum *dubitante, suspicante* et *opinante»* '. Et tandem concludit dicens: «Ex his autem principiis (fidei) ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes. Unde etiam theologia scientia est» 67

Obj. 3.° S. *Thomas* haec habet: «Quaecumquc autem sciuntur, cognoscuntur, proprie accepta scientia, per resolutionem in prima principia, quae per se praesto sunt intellectui, et sic omnis scientia in visione rei praesentis perficitur» e. Theologia autem non procedit per resolutionem ad prima principia. Ergo theologia non est scientia.

Resp. S. *Thomas* in loco citato agit de scientiis in statu perfecto, non ile scientiis in absentia subalternantium, quae statum perfectum attingere non valent, quousque conjungantur cum superiori scientia.

Obj. 4. Item Angelicus Doctor expresse docet nostram theologiam non convenire univoce cum aliis scientiis. «Si autem esset, inquit, aliqua scientia, quae non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, neque univoce scientia diceretur» '. Ergo.

Resp. S. *Thomas* ibi rationem distinctionis virtutum infusarum ab acquisitis statuit, et exemplo illustrat scientiarum, quarum si una non reducatur ad principia naturaliter cognita, non erit ejusdem speciei nec ejusdem generis infimi aut subalterni cum aliis scientiis naturalibus. Et hac ratione verum est theologiam specie et genere subalterno differre ab aliis scientiis. ('onvenit tamen cum illis in genere supremo, quod sufficit ad univocationem scientiarum; et ideo non tantum analogice, verum etiam *univoce* dicitur scientia. Et cum S. Doctor dicit, «neque univoce scientia diceretur», loquitur de univocatione secundum rationem, ut ita dicamus, specificam aut generis subalterni, non secundum rationem genericam.

1 *In 1 p.,* q. i, a. 2, n. 52.
2 *Log.,* disp. 19, q. 3.
3 *II-II,* q. i, a. 4.
1 *II-II,* q. 2, a. 1.
5 *1I-II,* q. 1, a. 5 ad 2.
° *De veritate,* q. 14, a. 9.
7 *HI Sent.,* dist. 33, q. 1, a. 2, quaestiunc. 4, sol. 4.

ARTICULUS V

UTRUM THEOLOGIA VIATORUM SIT PROPRIE SUBALTERN'ATA SCIENTIAE DEI ET BEATORUM

25. Subaltematio scientiarum est dependentia unius ab alia quoad manifestationem veritatis seu conclusionum. Tripliciter autem potest juxta Doctores una scientia sub altera contineri, ab eaque dependere.

1.° *Ratione finis,* in quantum finis unius scientiae continetur sub fine alterius et ad illum ordinatur; ut ars militaris ordinatur ad artem politicam.

2.° *Ratione objecti,* quando objectum unius continetur sub objecto alterius. Et hoc dupliciter contingit: 1) *Essentialiter,* id est, quando objectum inferioris scientiae addit differentiam essentialem objecto superioris, iliique, ut pars toto, subordinatur. Sic cosmologia physicae, vel juxta modernos metaphysicae, subordinatur. 2) *Accidentaliter,* quando scilicet utrique est idem objectum, sed scientia inferior addit objecto superioris differentiam accidentalem, quae sit ut forma addita materiae. Haec differentia debet esse talis conditionis, ut objectum superioris scientiae, quod afficit, contrahat, et extrahat quodammodo a proprio scibili, tribuens ipsi speciales passiones, et constituens cum eo novum quoddam scibile. Sicut objecto arithmeticae, quod est numerus, additur differentia accidentalis, nempe sonus, in musica, et constituitur hujus objectum noviter scibile, quod est numerus sonorus.

3.° *Ratione -principiorum,* quatenus principia inferioris scientiae, scilicet subaltematae, non sunt in ea nota, sed manifestantur in superiori, quae subaltemans dicitur; vel, si mavis, quatenus principia omnia vel ferme omnia scientiae subaltematae mutuantur a subalternante, juxta illud: *principia subaltematae sunt conclusiones subalternantis.*

Non convenit inter auctores quae ex his subalternationibus seu dependentiis requiratur, ut scientiae proprie et essentialiter dicantur subordinari. a) Communiter tenetur *i."'" dependentiam* quae habetur *ratione finis* non sufficere nec essentialiter requiri, b) De 2.a et 3.a disputatur an et quomodo requirantur, ut mox videbitur.

Hinc in genere quaeritur: 1) quae conditiones requirantur ad subordinationem scientiarum; 2) an aliqua exceptio locum habeat in nostra theologia.

26. Placita theologorum, a) *Prima sententia* tenet tres omnino conditiones requiri ad veram subaltemationem scientiarum. 1.a Ut utraque scientia habeat idem objectum essentiale, seu, quod idem est, ut objectum inferioris scientiae contineatur essentialiter sub objecto superioris. 2.a Ut omnia vel saltem pleraque principia subaltematae mutuentur a subalternante, cujus sunt conclusiones. 3.“ Ut objectum inferioris scientiae differentiam addat accidentalem objecto materiali subalternantis, qua fiat noviter cognoscibile. Ita *Valentia* *, *Urraburu* 1, et alii. Hi praeterea negant secun-

1 *In I p.,* q. i, p. 3, § 2.
2 *Log. Maj.,* n. 295 sqq.

dani et tertiam conditionem salvari in nostra theologia, et idcirco theologiam viatorum esse subalternatam scientiae Dei et beatorum.

b) *Suarez* reponit in sola objectorum identitate essentiali, «adjuncta aliqua differentia accidentali, quae in esse entis sit per accidens, in esse autem scibilis sit aliquo modo per se et constituat speciale objectum scibile» [1]; *alii* apud *Urraburu* [2] in sola principiorum dependentia; et *alii* in utraque simul, scientiarum subalternationem reponere non dubitarunt, quin tamen necesse fuerit differentiam accidentalem addi objecto superioris scientiae. Hi generatim theologiam nostram scientiae Dei et beatorum subalternari dixerunt.

c) *Tertia opinio* communior, etiam inter thomistas, docet ad subalternationem scientiae naturalis omnes tres conditiones simul requiri; at excipi nostram theologiam, quae, ut sit vere subalternata scientiae Dei et beatorum, non indiget tertia conditione; quia, cum ejus objectum sit infinitum et illimitatum, plures habet sub se modos scibilitatis, quin opus sit contrahi per differentiam accidentalem. Sic S. *Thomas* [3], *Cajetanus* [4], *Banez* [5], *Dominicus a SSma. Trinitate* [6], *Philippus a SSma. Trinitate* [7] et alii. Caeterum animadvertendum putant patroni hujus sententiae nec tertiam conditionem omnino desiderari in nostra theologia, dum ejus objectum modificatur per revelationem Dei, et constituitur novum quoddam scibile.

Denique, ut perfectius intelligatur sensus tituli, recolendum est quod superius diximus, nempe triplicem esse in beatis scientiam de Deo; unam *matutinam,* qua beati Deum intuitive vident, et in Verbo contemplantur omnia mysteria; alteram *vespertinam,* qua beati res vident extra Verbum per species a Deo infusas; tertiam, quam proprio labore comparaverunt in via et retinent in patria. Impraesentiarum quaeritur, an theologia subordinetur scientiae Dei et beatorum, quae appellatur *matutina.*

27. Thesis. Theologia viatorum est vere ac proprie subalternata scientiae Dei et beatorum, quae dicitur «matutina».

Arg. I. Theologia viatorum idem habet objectum ac scientia Dei et beatorum, ab eaque principia omnia vel saltem pleraque mutuat. Nulla autem alia conditione indiget, ut vere sit subalternata scientiae Dei et beatorum. Ergo. Major constat, tum *quoad objectum,* quia Deus et ea, quae ad eum referuntur, sunt objectum theologiae beatorum et viatorum, tum *quoad principia,* quia conclusiones scientiae Dei et beatorum, quae sunt articuli fidei, adsumuntur ut principia nostrae theologiae. Minor vero *probatur,* quia objectum princeps theologiae est Deus, qui sub se habet omnes scibilitatis modos, et non indiget per aliquam differentiam accidentalem contrahi, ut theologia eum consideret ac contempletur modo scientifico sibi proprio. Objectum enim infinitum et illimitatum, ut est Deus, potest absque ulla additione differentiae accidentalis diversas scientias terminare.

Arg. II. Dato quod tres simul conditiones ad scientiarum subordinationem requirantur, tenendum est eas in nostra theologia adamussim salvari. Objecti quidem et principiorum subordinatio ac dependentia

[1] *Metaphys.,* disp, i, sect. 5, n. 49.
[2] *Log. Maj.,* 295, «Non desunt».
[3] *I p.,* q. i, a. 2.
[4] *In I p.,* q. i, a. 2.
[5] *In I p.,* q. i, a. 2.
[6] *Bibl. theol.,* lib. 1, sect. 2, c. 2.
[7] *Disputat, prooem.,* dub. 4.

salvatur ratione modo allata, et differentia accidentalis objecti additur, quatenus hoc revelatione Dei modificatur, et constituitur in ratione cujusdam novi scibilis.

Difficultatibus satisfit.

28. Obj. 1.° Principia scientiae subalternatae sunt conclusiones per demonstrationem acquisitae in subalternante. Sed praemissae seu principia nostrae theologiae non demonstrantur in scientia Dei et beatorum. Ergo theologia nostra non subalternatur scientiae Dei et beatorum.

Resp.—Dist. Maj. Quando scientia superior est discursiva pure naturalis, conc.; secus, neg. Per accidens enim se habet, quod principia subalternatae cognoscantur in subalternante per viam demonstrationis vel aliter, dummodo evidenter et absque ulla haesitatione cognoscantur 1.

Obj. 2.: Alias objectiones congerit *Valentia* 2, cui subscribit *Urraburu* 3 dicens theologiam nostram minime subalteroari scientiae Dei et beatorum, quia i) ejus conclusiones, utpote derivatae a principiis obscuris, quae sunt articuli fidei, nullam habent evidentiam, nec proinde dependentiam quoad sui manifestationem a scientia Dei et beatorum; 2) nec habiturae sunt hanc evidentiam in patria, ubi theologia nostra non est permansura, sed sufficietur altero habitu theologico evidenti et claro; et 3) scientia Dei et beatorum, qua res videntur immediate in Verbo, se habet instar habitus primorum principiorum. Habitus autem primorum principiorum nequit dici subaltemans respectu scientiae subalternatae. Ergo.

Resp. ad 1.um ad rationem scientiae proprie dictae in statu imperfecto non requiri, juxta superius dicta, evidentiam actualem et formalem conclusionum, sed sufficere radicalem 4.*

Ad 2.'"» negandum est prorsus theologiam viatorum in altera vita destructum iri, sed suae scientiae subalternanti conjunctam in statu perfectiori permansuram esse inferius ostendetur.

Ad 3."" autem dicendum est scientiam Dei et beatorum habere rationem tum habitus primorum principiorum, tum scientiae proprie dictae sub diverso adspectu. Prout refertur ad divinam essentiam intuitive contemplandam, habet rationem habitus primorum principiorum 6, prout vero essentiam divinam intuetur ut causam virtualem attributarum, etc., est perfecta scientia.

ARTICULUS VI

UTRUM THEOLOGIA VIATORUM SIT SAPIENTIA

29. Status quaestionis. *Quid sit sapientia.* Missis impraesentiarum diversis *sapientiae* acceptionibus, ejus propriam significationem et notionem tradere maximi crediderim momenti. Verissime igitur philosophi sapientiam definivere: *Cognitio certa et evidens rerum per altissimas earum causas.*

Omnis quidem scientia est cognitio rerum per causas, in quantum per rationem investigantur quorumlibet causae, et in ordine ad eas judicia resolvuntur. In causis autem, sicut et in aliis rebus, attenditur quidam ordo, ita ut aliae sint *proximiores,* aliae *remotiores* seu subal-

1 Cfr. Valentia, *In I p.,* q. I, p. 3, § 2.
2 *In I p.,* q. i, p. 3, § 2.
3 *Log. Maj.,* lib. 2, disp. 4, c. 3, a. 4, § 2, n 299.
1 Cfr. art. praeced.
3 Cfr. KleutRon. *Dr ipso Deo,* q. 2, a. t.

ternae, et aliae *remotissimae* seu *allissimae,* quae habent rationem ultimi. Cognitio, quae habetur per causas inferiores, sive proximas sive subalternas, vocatur proprie *scientia;* quae vero per altissimas seu ultimas causas comparatur, appellatur *sapientia* 1. Ad rem S. *Thomas:* «Quod est ultimum respectu totius cognitionis humanae, est id, quod est primum et maxime cognoscibile secundum naturam. Et circa hujusmodi est *sapientia,* quae considerat altissimas causas, ut dicitur I *Metaphysicor.,* c. 1 et 2. Unde convenienter judicat et ordinat de omnibus, quia judicium perfectum et universale haberi non potest nisi per resolutionem ad primas causas. Ad id vero, quod est ultimum in hoc vel illo genere cognoscibilium, perficit intellectum *scientia;* et ideo secundum diversa genera scibilium sunt diversi habitus scientiarum, cum tamen *sapientia* non sit nisi una» 2.

Causae tamen possunt appellari *ultimae* dupliciter: 1) *In uno genere;* 2) *Respectu totius universi.* Cognitio, quae habetur *per causas ultimas in uno genere,* vocatur *sapientia particularis;* quae vero *per causas ultimas simpliciter,* dicitur *sapientia universalis* 3.

Notatum hic velim, quod de scientia dictum est superius, evidentiam scilicet formalem et actualem non esse de natura sapientiae, sed sufficere radicalem.

His praelibatis, investigandum est, an theologia viatorum sit ita cognitio certa per altissimas causas, ut rationem habeat sapientiae.

30. Placita theologorum, a) Doctores nonnulli opinantur theologiam viatorum non esse proprie sapientiam, quia caret evidentia actuali 4. b) Alii tamen communiter affirmant cum 5. *Thoma* 5.

31. Thesis. Theologia viatorum recte appellatur et est vera sapientia.

Arg. I. Cognitio seu notitia, quam de Deo acquirimus in via, sapientia appellatur frequenter in sacris litteris. Ita *Deuteronomii* dicitur: *Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis* 6. Et Apostolus ajebat: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est* 7. Et Christus Dominus: *Dabo vobis,* inquit, *os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*8. Porro nullatenus est dubitandum, quin ii de theologia viatorum loquuti fuerint. Ergo.

Arg. II. *Ratione S. Thomae.* Angelicus Doctor haec habet: «Respondeo dicendum, quod haec doctrina (theologia) maxime sapientia est

1 Hinc *sapientia* non distinguitur specie a scientia, sed ipsa scientia, quae habetur per altissimas rerum causas, nuncupatur *sapientia.*
2 *I-II,* q. 57, a. 2.
3 Cfr. Buonpensiere, q. i, a. 6, n. 88.
4 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, disp, i, prooem., dub. 7.
5 *I p.,* q. i. a. 6. Cfr Petavius, *Prolegom.,* c. 8, n. 8.
6 *Dent.,* 4. 6.
7 *I Cor., 2,* 6.
8 I.1« , 2t, 15. Hac sapientia refertus loquebatur Stephanus, *Act.* 6, 10.

inter omnes sapientias humanas, non quidem *in aliquo genere* tantum (sapientia particularis), sed *simpliciter* (sapientia universalis). Cum enim sapientis sit ordinare et judicare, judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis; ut in genere aedificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens, et architectus respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna vel parant lapides. Unde dicitur *I Cor.* III, 10: *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Et rursus in genere totius vitae humanae prudens *sapiens* dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem; unde dicitur *Prov.* X, 23: *Sapientia est viro prudentia.* Ille igitur qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur. Unde et sapientia dicitur esse *divinorum* cognitio, ut patet per *Augustinum, De Trinit.,* lib. XII, c. 14» V

Altissima causa, per quam habetur cognitio theologica, est ipse Deus, manifestatus in articulis fidei, ex quibus theologus deducit conclusiones.

Sapientia quandoque dicitur et est donum Spiritus Sancti, quae in eo distinguitur a Sapientia, virtute intellectuali, quod *prima* judicat *per modum inclinationis* «de his, quae sunt secundum virtutem agenda, in quantum ad illa inclinatur» 1, *secunda* vero «*per modum cognitionis,* sicut aliquis instructus in scientia morali posset judicare de actibus virtutis, etiamsi virtutem non haberet» 3.*

ARTICULUS VII

UTRUM THEOLOGIA NOSTRA SIT HABITUS SUPERNATURALIS

32. 1) Vox *supernaturale* varie usurpatur a theologis, sed missis nunc diversis ejus acceptionibus, quae apud *Ripalda i* et *Zigliara* 5 videri possunt, id impraesentiarum significat, quod universam naturam creatam ita perfectione excedit, ut nequeat ejus viribus produci. Causam igitur, eamque proximam, supematuralem requirit, quia effectus semper a causa, non remota sed proxima, qualificatur; ita actus fidei et caritatis sunt supernaturales, quia eorum causae proximae, fides et caritas, sunt supernaturales.

Quod tamen ut melius intelligatur. minime praetereundum est dupliciter aliquid dici *supernaturale,* ut expresse innuunt SS. Patres: 1) *Quoad substantiam,* 2) *Quoad modum. Primum* est, quod suapte natura superat omnes perfectiones et vires rerum naturalium, ac proinde transcendit universam naturam creatam ac creabilem ejusque causalitatem; ut gratia sanctificans, caritas, etc. *Alterum* vero est, cujus entitas seu substantia continetur quidem sub perfectionibus et viribus naturae, sed *modus,* quo producitur, excedit vires agentium naturalium; ut subi-

1 *I p.,* q. i, a. 6.
2 Z *p.,* q. i, a. 6 ad 3.
3 S. Thom., *I p.,* q. i, a. 6 ad 3.
4 *De ente supcrnaturali,* lib. 1, disp. 1, sect. 3.
5 *Propaedeutic».* lib. 1, c. 1.

tanea curatio graviter aegrotantis. Sermo est in praesenti de *supernaturali quoad substantiam.*

2) Notandum est secundo principia theologiae, sicut et praemissas cujuslibet scientiae, dupliciter posse considerari, *entitative* seu *objective* et *jormaliter.* Principia theologiae *entitative* considerata sunt propositiones quaedam, in quantum veritatem aliquam a Deo revelatam continent, et articuli fidei dicuntur, et in se absolute vel in ordine ad Deum revelantem considerantur. *Formaliter* spectata sunt praemissae argumenti demonstrativi, prout dicunt ordinem ad conclusiones quodammodo in ipsis contentas, et influunt in eas modo statim explicando. *Priori modo* sumpta, utpote a Deo immediate revelata, dicuntur quidem supernaturalia; sed hoc sensu non sunt proprie principia theologiae nec causant conclusiones seu habitum theologicum, nisi ad summum materialiter. *Altero modo* sunt vere principia theologiae; sed sic, quatenus simul cum intellectu influunt in conclusiones, non dicuntur supernaturalia nec revelata, nisi virtualiter 1.

3) Praemissae, si *entitative* seu *objective* spectentur, sunt quodammodo causa materialis conclusionis; tum quia materiam illi praebent, tum quia terminos conclusionis prius separarim in se continent 2. Imo juxta plures Doctores praemissae *objective* sumptae sunt causa formalis extrinseca conclusionis, quia sunt ratio formalis *sub qua* et specificativa adsensus illius. Hoc tamen sensu non est nostrum agere de influentia praemissarum in conclusionem.

4) Ulterius praemissae, si *jormaliter* spectentur, concurrunt in genere causae efficientis ad productionem adsensus conclusionis, ut satis communiter tenent Doctores, praesertim thomistae. Quod dupliciter solet intelligi. *Primo,* in quantum «verbum mentis, seu species expressa, quae est in adsensu praemissarum, immediate per se ipsam simul cum intellectu producit adsensum conclusionis, eo modo, quo *Cajetanus,* I p., q. 80, a. 2, et plures alii thomistae satis probabiliter defendunt actum intellectus efficienter concurrere ad actum voluntatis» 3. *Secundo,* quatenus «per adsensum praemissarum producitur in intellectu quaedam species intelligibilis, quae simul cum ipso producat adsensum conclusionis, et ratione cujus talis actio tribuatur ipsi adsensui praemissarum, ad eum modum, quo solet explicari efficientia sensationis exterioris respectu interiorum, in quantum species expressa visionis, v. g., producit quamdam impressam in sensu communi, qua mediante ipse elicit suam sensationem» 4.

Quidquid sit de hoc dicendi modo, id negari non posse putamus, nempe adsensum praemissarum efficienter concurrere ad productionem adsensus conclusionis. Unde principia theologiae, articuli fidei cum sint, videbuntur cuipiam conclusionem supernaturalem producere, nam

1 Cfr. Gonet, disp. prooem., a. 6, et Billuart, disp. prooem., a. 6.

2 Cfr. Aristoteles, *Naturalis auscultationis (Physicorum),* lib. 2, c. 3: et S. Thomas, *in II Physicorum,* lect. 5.

3 Complutenses, *Logica,* disp. 17, q. 3, 11. 34.

4 Complutenses, l. c. Cfr. Dominicus a SSma. Trinitate, lib. I, sect. 4, c. 3, et Urraburu, *Logica Maj.,* lib. 2, disp. 3, c. i, a. 2.

actus, qui connaturaliter sequitur ex causis supernaturalibus, ipse quoque supernaturalis sit oportet.

5) At prae oculis habendum est, quod jam praenotatum reliquimus, scilicet principia theologiae influere efficienter in conclusionem et habitum theologicum, quatenus *formaliter* considerantur, id est, in quantum per intellectum ipsis adsentitur et mediantibus speciebus naturalibus et dispositione syllogistica, ipsaque potentia naturali, ordinantur in conclusionem. Hoc pacto, principia illa sunt mere naturalia. Unde adsensus fidei praesuppositive se habet ad actum conclusionis naturalis, et nihil obstat, quominus actus quidam naturalis elici non possit, nisi praesupposito actu supernaturali.

6) Notandum denique est posse theologiam aliquo sensu vocari supernaturalem, *objective* scilicet et *radicaliter,* quatenus ejus objectum materiale et principia, materialiter sumpta, sunt supernaturalia. Sed hic agitur, non de elementis materialibus theologiae, sed de ipso habitu theologico, quatenus est scientia; et quaeritur, utrum sit entitative et intrinsece supernaturalis.

33. Theologorum placita, a) *Prima sententia.* Nonnulli theologi, principiis materialibus potius quam processui scientifico hujus disciplinae attendentes, dixerunt theologiam esse habitum entitative supematuralem. Ita *Molina* [1], *Çontenson* [2] et alii.

b) *Secunda sententia* valde communis tenet habitum theologicum, qua talem, non esse intrinsece et entitative supematuralem. Ita fere communiter *thomistae* et extranei [3].

c) *Tertia sententia,* quae praecedentes in concordiam vocat, suppresso auctorum nomine refertur a *Raphaële a S. Joseph* [4] quam partim sequutus fuisse videtur *Granados* [5], juxta quam theologia dicenda est habitus *supernaturalis* «in quantum versatur c.rca veritates explicite revelatas, quatenus in fidem recidit, nititurque sola Dei revelantis auctoritate, ut motivo sui adsensus»; *naturalis* vero «quoad omnia alia quae inde deduci possunt per discursum, nitunturque rationis adsensu».

34. Thesis. Theologia nostra est habitus quoad entitatem mere naturalis.

Arg. I. Habitus, qui humanis actibus ac naturali hominis industria et studio comparatur, est mere naturalis. Sed theologia nostra humanis actibus et studio naturali comparatur. Ergo est naturalis. *Major* patet, quia actus naturales habitum supematuralem producere non valent. *Minor* etiam manifestatur experientia quotidiana, qua docemur ad theologiae acquisitionem tantummodo opus esse summo studio et labore una cum praeclaro ingenio. Hinc non. qui orationi et operibus, quantumvis piis, indulgent, sed, qui studio et lectioni assiduam dant operam, et enixe Doctorum evolvunt volumina, evadunt, ut plurimum, versati ac periti theologi.

1 *In I p.,* q. i, a. 2, disp. 2.
2 *Theol. nient, et cord.,* lib. I, c. 2, spec. 3.
3 Cfr Gonet, *Disp. prooem.,* a. 6. Billuart, *Disp. prooem.,* a. 6; Philippus a SSma. Trinitate, disp. I, dub. 9. Dominicus a SSma. Trinitate, lib. I, sect. 4, C. 3. Raphael a Sto. Joseph, *Proleg.,* c. I, etc.
4 *Proleg.,* c. 1.
5 Disp. 5. sect. 3.

Dices lectionem et studium esse conditiones dumtaxat ac dispositiones requisitas ex parte subjecti, ut Deus habitum theologicum infundat, nullatenus vero concurrere ut causas ad ejus effectionem.

Sed contra est. Cum enim dispositiones debeant esse ejusdem conditionis et ordinis cum forma, ad quam disponunt, lectio, studium et industria humana, quad sunt ordinis pure naturalis, nequeunt disponere subjectum ad habitum supematuralem. Praeterea, orationes, mortificationes et alia pietatis opera aptiora sunt, quam aridum studium, ad impetrandam habituum supernaturalium infusionem, et nihilominus non homines pii, ut dictum est, sed qui studiis vacant perfectiores sunt theologi.

Arg. II. Ille habitus censetur penitus naturalis, cujus principia et objectum specificativum sunt naturalia. Sed principia, qua talia, theologiae nostrae ejusque objectum specificativum sunt omnino naturalia. Ergo theologia nostra est habitus entitative naturalis. *Major* constat, quia omnis disciplina qualificatur, ut notum est, a principiis et objecto specificativo. *Minor* etiam quoad z."" *partem* demonstrata est superius *in secundo et tertio praenotatnine,* ubi dictum est principia theologiae, quatenus influunt in conclusiones, ordinem naturalem non excedere. *Minor quoad 2.am partem* probatur. Objectum specificativum theologiae sicut et cujuslibet alius disciplinae, est ipsum objectum formale *quod,* quatenus substat objecto formali *quo,* seu rationi *sub qua,* et per ipsam modificatur. Ratio autem *sub qua* theologiae est revelatio modificata per discursum, seu per eductionem conclusionum a veritatibus alias revelatis. Quae, naturalis cum sit, ita modificat *objectum attributionis* theologiae, ut ipsum quoque naturale evadat. Est namque ipse Deus a veritatibus revelatis perorationem naturalem cognoscibilis.

Quod si interdum theologiam Patres supematuralem appellent, hoc vocabulo utuntur, ut illam a theodicea, quae est pars philosophiae, accurate distinguant.

Difficultatibus satisfit.

35. Praecipua difficultas, qua patroni adversae sententiae muniuntur, praeoccupata est superius *in secundo argumento,* ubi dictum est tum principia tum objectum specificativum theologiae esse naturalia.

Obj. Theologia mystica, quae definitur: *notitia supernaturalis Dei et divinorum,* est supernaturalis. Quidni et alia erit supernaturalis? Non enim specie distinguuntur.

Resp.— Dist. Maj. Theologia mystica *utens* seu *elicitiva* est supernaturalis, conc.; *docens* seu *directiva,* neg. Et ad minorem suppositam; theologia mystica *docens* seu *directiva* specie non distinguitur a theologia viatorum, conc.; theologia mystica *utens* seu *elicitiva* non distinguitur, etc., neg. Duplex namque est theologia mystica, una *docens* seu *directiva* et altera *utens* seu *elicitiva. Prima* est illa pars sacrae disciplinae, quae ex principiis fidei revelatis conclusiones scientifice deducit, agendo de earum natura, proprietatibus, causis, effectibus, etc., in ordine ad directionem actionum mysticarum, et phoenomenorum, quae experiuntur ab animabus spiritualibus, quae, Deo dante, divinorum sapidam notitiam adipiscuntur. Et haec est habitus mere naturalis, nec distinguitur specie, sed sicut pars a toto, a theologia viatorum. *Altera* vero est habitus supernaturalis seu ipsum donum Spiritus Sancti, quo eliciuntur a nonnullis, in statu perfecto constitutis, operationes mysticae et sapidae Dei cognitiones. Haec autem est omnino supernaturalis, et, qua talis, distinguitur specie a theologia viatorum, et sola humana industria acquiri non valet.

ARTICULUS VIII

DE CERTITUDINE THEOLOGIAE

§ 1

Virum theologia viatorum superet certitudine omnes scientias naturales.

36. Status quaestionis. Certitudo in genere definitur a S. *Thoma: firmitas* seu *determinatio intellectus ad aliquam veritatem* [1], ita ut omne dubium omnemque formidinem de opposito excludat.

Dividitur a philosophis in *objectivam* et *subjectivam.*

a) *Certitudo objectiva* seu *quoad se* est *ipsa rei veritas, quae firmum adsensum intellectus postulat,* et *excludit omne rationabile dubium et formidinem erroris.* Hanc certitudinem objectivam recte appellabis invariabilitatem et immutabilitatem ipsius objecti, in quantum per causas firmas et infallibiles suae entitatis determinatur ad unum, scilicet verum.

b) *Certitudo subjectiva,* quae et *formalis* et *quoad nos* dicitur, est *ipse actus* seu *firma adhaesio intellectus ad suum cognoscibile rationibus, quae firmum adsensum merentur, manifestatum absque ulla errandi formidine.*

Hinc major vel minor certitudo objectiva attenditur penes majorem vel minorem infallibilitatem causarum; subjectiva vero penes firmiorem vel infirmiorem mentis adhaesionem ad objectum. Unde potest unum alio esse magis certum *objective* seu *quoad se,* et minus certum *subjective* seu *quoad nos,* et viceversa.

37. Placita theologorum, a) Sunt nonnulli Doctores, praesertim ex philosophis, qui velint theologiam nostram nullatenus esse, sive *quoad se* sive *quoad nos,* quavis scientia naturali vel saltem habitu primorum principiorum certiorem, b) Communiorem tamen et tenendam sententiam sequenti thesi aperiemus.

38. Thesis. Theologia nostra est «objective» seu «quoad se» certior quacumque scientia naturali vel etiam habitu primorum principiorum, non tamen «subjective» seu «quoad nos».

Prob. 1.a pars.

Arg. I. Veritas hujus theseos certissime colligi videtur ex illo S. Petri: *Habemus firmiorem propheticum sermonem* [2]. Qui sermo nihil aliud est nisi nostra theologia.

Arg. II. Quod innititur primae veritati ac lumini divino, falli vel fallere nescio, certius est *quoad se,* quam id quod fundatur in lumine naturali. Sed theologia innititur primae veritati ac lumini divino, scilicet Dei revelationi; scientiae vero naturales et habitus primorum prin-

[1] *In III Seni.,* «list. 23, q. 2, a. 2, quaest. 3, sol. 3.
[2] *II Petr.,* i, 19.

cipiorum fundantur in veritate participata, lumine nempe naturali. Ergo theologia viatorum est omnibus scientiis et cognitionibus naturalibus certior *quoad se.* Hinc Christus Dominus ait: *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*[1]. Et S. *Augustinus* «audivi, inquit, sicut auditur in corde, et non erat prorsus, unde dubitarem; faciliusque dubitarem vivere me, quam non esse veritatem»[2].

Arg. III. Adsensus principiorum theologiae, quae sunt articuli fidei, firmior ac certior est quolibet alio adsensu intellectuali. Ergo etiam conclusio theologica seu ipsamet theologia superat certitudine omnes alias scientias naturales. *Antecedens* constat, quia principiis theologiae adsentimur actu fidei divinae, qui certior, firmior et infallibilior est cunctis aliis cognitionibus naturalibus[3]. *Consequentia* autem facile demonstratur, quia conclusiones, si legitime ex principiis eruantur, horum certitudinem ac firmitatem participant eaque fulciuntur.

Prob. 2.a pars.

Arg. Major vel minor certitudo subjectiva attenditur, ut dictum est, penes firmitatem adhaesionis ex parte operantis ad aliquod cognoscibile. Haec autem firmitas eo major censetur esse ex parte operantis, quo plenius ac connaturalius intellectus consequitur objectum, in eoque magis quiescit ac satisfit. Sed intellectus noster scientias naturales ac praesertim habitum primorum principiorum plenius ac connaturalius quam scientiam theologicam adipiscitur in eisque magis ex parte sui firmatur, quiescit ac satisfit. Ergo. Ratio totius argumenti est, quia scientiae naturales procedunt semper per evidentiam, qua adsensum theologicum carere novimus ex superioribus. Unde theologia, ut adserit auctor operis ad Annibaldum, respectu nostri intellectus minus captabilis est[4]. Et S. *Paulus* adsensum fidei, ex quo orditur theologicus discursus, captivare ait intellectum: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*[5][6]

Difficultatibus satisfit.

39. Obj. 1.° Theologia non semel arguit ex una praemissa de fide et altera naturali; ex. gr. *Omnis homo est risibilis. Sed Christus est homo. Ergo Christus est risibilis.* Conclusio hujus argumenti, licet theologica sit, non est tamen certior majori naturaliter certa, quia i) *pejorem semper sequitur conclusio partem,* 2) qui negaret majorem syllogismi, negaret etiam conclusionem, et 3) praemissa naturalis est causa certitudinis conclusionis. Ergo theologia non semper superat certitudine scientias naturales.

Resp.—Neg. Min. Ad hoc dicendum est certitudinem praemissae de fide per praemissam naturalem quasi conduci ad conclusionem eique communicari seu applicari. Ultima ergo resolutio conclusionis theologicae non fit in praemissam naturalem, sed, ea mediante, in praemissam de fide, a qua de-

1 *Luc., 21,* 33.
2 *De Confess.,* lib. 7, c. 10; ML 32, 742.
3 Pius IX in Encyclica *Qui pluribus,* 9 Nov. 1846 dixit: «Nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare (evincimur), et quod firmioribus innitatur principiis». Denz-Bannw., 1638.
4 *I ad Annibaldum,* Prol., q. 2, a. 2.
5 *II Cor.,* 10, 5.

pendet. Quae certitudo, licet naturalis sit formaliter, originative tamen supernaturalis appellari potest ratione suorum principiorum; atque idcirco superat omnem certitudinem scientiarum pure naturalium.

Ad 1.'"" axioma, quod adducitur in contrarium, multipliciter respondent theologi, sed tres praecipue sunt expositiones probabiles. *Nonnulli* dicunt praefatum axioma intelligendum esse tantummodo de quantitate et qualitate praemissarum, ita ut ex praemissis, quarum una sit particularis aut negativa, nonnisi conclusio particularis aut negativa deduci possit. Putantque illud axioma nullatenus referri ad firmitatem vel debilitatem adhaesionis. *Alii* vero de praemissa debiliori generaliter accipiunt, sed dicunt intelligendum esse de parte seu praemissa debiliori solitarie sumpta non de propositione naturali quae, cum subjicitur alteri de fide, elevatur ad majorem certitudinem. *Alii* denique probabilius non sic explicandum putant axioma, ut omnis debilitas, quae sit in alterutra praemissarum, debeat necessario in conclusione reperiri; sed ita intelligunt, ut, si quid debile reperiatur in conclusione, debeat semper referri in illam praemissam, quae debilior sit. Hinc, licet impossibile sit conclusionem certiorem esse utraque simul praemissa, quia totam certitudinem ab illis accipit, potest tamen esse certior altera praemissarum seorsim sumpta. Conferatur *Dominicus a SSma. Trinitate l.*

Ad 2.«ni verum quidem est ex negatione majoris propositi syllogismi necessario sequi negationem conclusionis, non quod adsensus majoris sit aeque certus ac adsensus consequentis, sed quia praemissa major est conditio *sine qua non,* ut consequens legitime deduci possit.

Ad 3.'"" vero respondendum est praemissam naturalem in syllogismo theologico esse ad summum causam inadaequatam, non adaequatam, conclusionis. Non autem opus est, ut firmitas conclusionis respondeat taxative certitudini praemissae naturalis, sed potest esse illa certior ac firmior, ut dictum est.

Obj. 2.° multipliciter, i) Propositionum disjunctivarum *est, non est,* una est necessario vera, et altera necessario falsa. Quid his certius esse queat? 2) Prima principia naturaliter, conclusiones vero theologicae libere, cognoscuntur. Quod autem naturaliter cognoscitur certius est, quam quod libere. Ergo. 3) Cognitio primorum principiorum habetur absque discursu per intuitionem, notitia vero conclusionis theologicae acquiritur ope ratiocinii. Certiora autem sunt, quae per intuitionem videntur, quam quae per discursum comparantur. Ergo prima principia sunt theologia viatorum certiora.

Resp. ad l.um Propositiones disjunctivae sunt omnium pure naturalium certissimae, quia implicant contradictionis principium, ad quod omnia cognitionum naturalium fundamenta facile reducuntur; superantur tamen certitudine ab illis, quae fundantur in lumine divinae revelationis.

Ad 2.'·"' neganda est consequentia. Nihil enim obstat, quominus intellectus noster firmius quandoque adhaereat his, quae libere cognoscuntur, quam his, quae impetu naturali apprehenduntur, praecipue si objecta sint diversi ordinis.

Ad 3.""· distinguenda est minor: 'certiora sunt, quae per intuitionem videntur, quam ea, quae discurrendo comparantur, si sint ejusdem ordinis, conc.; si ad diversum ordinem spectent, neg. Ita cognitio primorum principiorum, ex sola terminorum apprehensione habita, quia inferioris ordinis est, non attingit certitudinem cognitionis fidei.

§ 2

Utrum conclusiones theologicae sint de fide.

40. Status quaestionis. 1) Hactenus egimus in paragrapho superiori de certitudine theologiae respectu ad alias scientias naturales et prima

1 Bibi, theol., lib. 2, sect. 2, c. 3.

principia naturaliter nota, et diximus doctrinam sacram certitudine antecellere quemlibet habitum intellectualem pure naturalem. Sed in praebenti determinandum est, quanta sit haec theologiae certitudo, an nempe certitudinem fidei attingat. Quod ut clarius manifestetur, praenotanda sunt quaedam de more.

2) Objectum fidei illud appellari consuevit, *Quod Deus dixit,* seu supernaturaliter et proprie revelavit, sive immediate sive mediate, sive explicite sive implicite, quatenus scilicet vel in se revelatum est, vel saltem in revelatis virtualiter necessario continetur.

3) Materia tamen, quae *de fide* dicitur, in quadruplici differentia nostrae considerationi objici solet. 1) Quatenus revera aliquid pro tota Ecclesia a Deo revelatum est, et continetur in deposito revelationis, sed nondum est ab Ecclesia fidelibus propositum ut fide credendum, v. g., dogma Immaculatae Conceptionis ante Ecclesiae definitionem. Hoc dicitur esse *de fide divina quoad se* et *materialiter* tantum. 2) Quatenus aliqua *in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur*[1]. Quae vere appellantur veritates *de fide catholica* seu *quoad nos* et *formaliter.* Ita est veritas de immaculato conceptu beatae Mariae Virginis. 3) Deinde veniunt revelationes particulares, quae, licet ad communem fidelium coetum citra Ecclesiae definitionem non pertineant, ab eo tamen, cui vel pro quo fiunt, fide divina aliquando credenda sunt juxta *Franzelin*[2] aliis contradicentibus, dummodo «evidentia adsint motiva credibilitatis», et manifestentur in ordine ad Deum primum creditum[3]. 4) Sunt denique alia, quae non *explicite* nec *implicite* sed virtualiter revelata sunt, et tanquam proprietates inetaphysicae continentur in revelatis.

Quando aliquid dicitur esse *de fide,* mos ita generaliter invaluit, ut communiter intelligatur *de fide catholica.*

41. Ex his facile comperies quid sit *conclusio theologica.* Est namque propositio virtualiter in praemissis revelata et ope rationis per legitimam consequentiam ex eis deducta.

Cum conclusiones in praemissis sicut in causa necessaria contineantur, et praemissae in scientia theologica sint articuli fidei, necesse est, ut conclusiones theologicae virtualiter contineantur et revelentur in praemissis de fide.

Haec conclusionis theologicae continentia in praemissis de fide, est, sicut diximus, per modum proprietatis metaphysicae, non re sed ratione ratiocinata distinctae a veritate formaliter revelata.

Conclusio theologica quandoque infertur ex duplici praemissa de fide, non semel ex una de fide et altera naturaliter certa. Potissima certe conclusio theologica est illa quae infertur ex utraque de fide; sed, quae deducitur ex una de fide et altera naturali, est etiam vere theologica. Ad praesens quod attinet, parum refert, an deducatur ex duabus praemissis revelatis, an de una praemissa revelata et altera naturali, quia

[1] *Concil. Vat.,* sess. 3, c. 3; Denz-Bannw., 1792.
[2] *De traditione,* th. 22, Corollarium.
[3] Cfr. *De fide,* n. 385.

cum conclusio theologica sit de proprietate metaphysica inclusa in praemissa revelata, nunquam latius patens quam in suo principio, praemissa naturalis in argumento theologico semper se habet per modum applicantis et explicantis veritatem revelatam alterius praemissae x.

Hinc errare videntur, qui putant praemissam naturalem in argumento theologico complere veritatem praemissae revelatae, et ex ea parte, quam habet de proprio, influere in conclusionem. Si ita esset, conclusio non esset theologica, quia non deducta ex suis legitimis principiis, quae sunt articuli fidei 1. Non est hic verus conceptus demonstrationis et conclusionis theologicae, in qua oportet demonstrare proprietates metaphysicas et inclusivas objecti. Unde subjectum conclusionis oportet idem esse in una praemissarum, et praedicatum conclusionis pariter idem in altera praemissarum.

Ultimo animadvertas velim conclusionem theologicam dupliciter posse considerari: a) *formaliter* et *reduplicative* ut deducta ex praemissis, quatenus est fructus demonstrationis. Ratio enim naturalis lumine theologico illustrata demonstrare volens proprietatem aliquam in principiis immediate revelatis contentam, deducit ex eis conclusionem, quae exprimit illam proprietatem, b) *Materialiter* et *specijicative,* ut continet veritatem jam demonstratam circa proprietates in praemissis inclusas.

Si conclusio non fuerit declarata de fide ab Ecclesia infallibili magistra veritatis, solum admittit adsensum theologicum, quia est solummodo fructus demonstrationis theologicae. Si ab Ecclesia declarata fuerit de fide, duplici lumine potest cognosci, lumine scilicet theologico tanquam fructus demonstrationis, et lumine fidei ut dogma catholicum 3.

His praenotatis, quaeritur, an conclusiones rigorose theologicae sint vel esse possint de fide.

42. Placita theologorum, i) Satis communiter docent auctores conclusiones theologicas formaliter qua tales, prout illatae sunt ex praemissis, non esse de fide, sed mereri tantummodo adsensum theologicum.

2) Nonnulli contendunt conclusiones theologicas, quae continentur ut explicatae in una praemissa de fide et altera naturali esse de fide sine ulla distinctione. Ita *Vega* et *Vazquez* 4.

3) Plures hodierni dicunt, et nos etiam diximus in prima editione:

a) Conclusiones theologicas, quae considerantur ut explicatae in duabus praemissis formaliter revelatis, vel in una revelata et altera naturali per modum applicantis se habente, esse de fide; quia putant earum objectivam revelationem ad hoc sufficere.

b) Conclusiones vero theologicas, quae considerantur ut explicatae in una praemissa de fide et altera naturali vere influente, non esse de fide;

1 «Dicendum, ait ad rem Gonet, quod sola praemissa de fide continet totam veritatem et certitudinem conclusionis, et quod altera lumine naturali nota adsumitur tantum per accidens et propter imperfectionem subjecti». *Disp. prooem.,* a. 3, n. 39. Et Philippus a SS. Trinitate: «Praemissa cognita lumine naturali adsumitur ratione alterius, quae est de fide». *Prooem., s. theol.,* disp. I, dub. 3. Cfr. Marin, *La evoluciôn homogénea del dogma catàlico,* η. 246.

2 Cfr. Garden, *Le donné révélé et la théologie,* p. 241 sqq.

3 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, *Prooem.,* disp. 2, dub. ri.

4 Vega, *In Concil. Trid.,* lib. 9, c. 33; Vazquez, *In I p.,* disp. 5, c. 3.

quia censent eas accipere influxum praemissae naturalis. Ita *Suarez, Lugo, Salmanticenses, Franzelin* et alii [1].

4) Aliqui addunt ipsas quoque conclusiones theologicas explicatas in una preamissa de fide et altera naturali simul influente, si accedat Ecclesiae definitio, esse de fide, vel quia a) veritas conclusionis per definitionem Ecclesiae constituitur sufficienter sub objecto formali fidei, ut vult *Suarez* [2]; vel quia b) «ejus veritas sequitur ex assistentia Dei revelata» et infertur jam ex duabus praemissis revelatis, ut defendit *Lugo* [3].

Huic doctrinae Suarezii et Lugo contradicunt *Molina, Salmanticenses, Wirceburgenses* [4] et alii dicentes conclusionem theologicam virtualiter tantum revelatam nunquam posse ab Ecclesia definiri de fide.

5) Alii dicunt conclusiones theologicas quae considerantur ut explicatae sive in duplici praemissa de fide, sive in una de fide et altera naturali, non esse de fide ante definitionem Ecclesiae, bene vero post definitionem Ecclesiae. Ita *Cano, Banez, Philippus a SS. Trinitate* et novissime *Marin s.* [5].

Re melius perpensa, huic ultimae sententiae subscribendum esse duximus.

Quare sit

43. Thesis I. Nulla conclusio theologica qua talis, prout «educta est formaliter» ex praemissis, sive ambae sint revelatae, sive una revelata et altera naturalis, est de fide.

Arg. Ratio fundamentalis hujus adsertionis est, quia fides semper innititur auctoritati Dei revelantis, seu, ut profunde ait *Lugo* [6], fide soli Deo credimus, ita ut divina auctoritate moti, revelatis adsentiamus. At conclusio theologica, qua talis, prout *educta est praecise* ex praemissis et subest medio scientifico demonstrationis, non innititur soli auctoritati Dei revelantis, sed discursui potius naturali, nec ei adsentimur propter auctoritatem Dei, sed propter connexionem conclusionis cum praemissis. Ergo [7]-[11]

1 Suarez, *De fide,* disp. 3, sect, II, n. 11; Lugo, *De virtute fidei divinae,* disp. 1, n. 270 sqq.; Salmanticenses, *De fide,* disp. I, n. 123 sqq.; Franzelin, *De Deo tino,* Proleg., III.

2 *De fide,* disp. 3, see. 11, n. 11.

3 *De virtute fidei div.,* disp. 1, n. 275.

4 Molina, *In I p.,* q. 1, a. 2, disp. 2; Salmanticenses, *De fide,* disp. I, n. 144; Wirceburgenses, *De fide,* n. 73.

5 Cano, *De locis theologicis,* lib. 12, c. 5; Banez, *In I p.,* q. 1, a. 2 ad 3; et a. 8; necnon *in II-II,* q. I, a. 7 et 10; Philippus a SS. Trinitate, *Prooem.,* disp. I, dub. 11; Marin, *La evolución homogénea del dogma catôlico,* passim.

Gravissimus Cano haec habet ad rem: «Fidei porro quaestio bifariam intelligitur. Una, quae immediate ad fidem attinet, ut vere attinent omnia, quae Deus Ecclesiae suae aut verbo edidit aut scripto. Altera, quae mediate fidei est, cujusmodi sunt *omnes conclusiones,* quas ordine disciplinae ex illis prioribus colligere et definire possumus. Quae, quoniam non in se ipsis, sed in aliis, tanquam principiis, revelatae a Deo sunt, mediate fidei dicuntur esse, et qui eas negat, is fidem negare hoc modo dicitur». *De locis theol.,* lib. 12, c. 5. «In hac igitur». Conformiter ad hanc doctrinam explicanda esse puto verba ipsius Cano dicentis «non illud modo *ad doctrinam catholicam* pertinere, quod apostolis expresse revelatum est, verum hoc etiam quod ex altera propositione revelata et altera certa in lumine naturali, syllogismo collectioneque evidenti conficitur». *De locis theol.,* lib. 6, c. ult. ad 10. «Sed et id postremo».

6 *De viri, fidei div.,* disp. 1, n. 287.

7 Cfr. Salmanticenses, *De fide,* disp. X, nn. 127-128.

44. Thesis II. Nulla conclusio theologica specificative considerata, sive inferatur ex duplici praemissa formaliter revelata, sive ex una de fide et altera naturaliter certa, est de fide divina ante definitionem Ecclesiae.

1) Conclusio theologica exprimit proprietatem quamdam contentam in principiis ac proinde veritatem virtualiter distinctam a veritate principiorum. Si autem legitima ac scientifica deductio conclusionis ex principiis fidei esset sufficiens ad constituendum articulum fidei, jam superfluae essent auctoritas Ecclesiae et adsistentia Spiritus Sancti ipsi promissa ad declarandas veritates fidei. Unde Summi Pontifices et Patres conciliorum, licet qua theologi legitime deducant ex principiis fidei veritates definiendas, non propter hoc dicuntur infallibiles, sed quia peculiari adsistentia Spiritus Sancti praeservantur ab errore in definiendis rebus fidei.

2) Conclusio theologica, quamvis virtualiter contineatur in principiis fidei et ex eis legitime deducatur, nihilominus immediate innititur discursui naturali. Quousque igitur discursus naturalis praeservetur ab errore per adsistentiam Spiritus Sancti, conclusio nequit expostulare adsensum fidei.

45. Thesis III. Quaelibet conclusio proprie theologica est ab Ecclesia definibilis tanquam dogma fidei, et ubi definitur, est de fide catholica.

1) Conclusiones theologicae, cum contineant et exprimant proprietates metaphysicas et inclusivas veritatis formaliter a Deo revelatae seu proprietates virtualiter revelatas, sunt pariter, non in se et immediate sed in alio et mediate, a Deo revelatae, et possunt dici aliquid infallibiliter verum a Deo mediate dictum. Unde continent veritatem a Deo mediate revelatam, et quoad se sufficienter constituunt objectum materiale fidei divinae. Nihil autem obstat, quominus hujusmodi veritates, quae vere constituunt mediate verbum Dei, si infallibiliter deducantur ex suis principiis, definiantur ab Ecclesia ut dogmata fidei. Ecclesia autem per adsistentiam Spiritus Sancti infallibiliter deducit eas ex suis principiis revelatis, ac proinde potest per eamdem adsistentiam Spiritus Sancti declarare eas in deposito revelationis contineri et fide divina credendas esse.

2) Haec conclusio theologica, sive deducta fuerit ex duplici praemissa revelata, sive ex una revelata et altera naturali, quousque ab Ecclesia definiatur de fide, uno tantum lumine est cognoscibilis, lumine scilicet theologico, quod innititur discursui naturali rationis, et, ut expresse docet *Gonet,* sive consideretur secundum se sive ut illata, semper pertinet ad eumdem habitum, nempe scientiam. Unde solum meretur adsensum theologicum ob rationem formalem *sub qua* theologiae, non adsensum fidei ob defectum rationis formalis *sub qua* fidei.

3) Ubi autem accedit definitio Ecclesiae, incipit nobis constare infallibiliter revelatio Dei, et conclusio theologica cognoscitur duplici medio, a) *lumine* scilicet *theologico* tanquam fructus demonstrationis, id est, per revelationem explicatam ratione naturali; et b) *lumine fidei*

seu per revelationem explicatam ab Ecclesia. Hinc meretur duplicem adsensum, adsensum theologicum et adsensum fidei.

4) Hanc thesim egregie confirmat *Banez* his verbis: «Ecclesia sancta multoties definivit propositiones, tanquam de fide, quae expresse in sacris litteris non habebantur, sed communiter ab omnibus theologis et Doctoribus Ecclesiae affirmabantur constanter, et erant *propositiones theologicae,* ut fuit illud, quod Christus habet voluntatem humanam... et illud quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedit... Ergo similiter possent modo definiri *tanquam de fide* veritates illae, in quibus tota theologorum schola concordat; ergo illis contradicere erroneum est: v. gr.: docent firmiter omnes theologi, quod Christus Dominus ab instanti suae incarnationis divinam viderit essentiam. Hoc in divinis litteris expresse non exstat, neque ab Ecclesia Dei definitum est tanquam de fide tenendum; sed theologi colligunt per bonam consequentiam ex aliis locis scripturae et fidei fundamentis, et ita communiter receptum est, ut illud absque erroris nota nemo possit negare, possetque ab Ecclesia definiri tanquam de fide»[1].

Plura novimus hoc pacto ab Ecclesia fuisse definita:

a) In Concilio Nicaeno I (a. 325) definitum est Christum esse consubstantialem Patri [2], quia consubstantialitas est proprietas inclusa in praemissa de fide: *Christus est Deus.*

b) In Concilio Ephesino (a. 431) definitum est beatam Virginem Mariam esse vere Deiparam [3], quia maternitas divina est proprietas inclusa in praemissis: *Christus est Deus:* et: *Maria est mater Christi.*

c) In Concilio Cpolitano III (a. 680) definitum est Christum habere duas voluntates [4], quia fioc continetur in praemissis, in quibus dicitur Christum esse verum Deum et perfectum hominem.

d) In Concilio Lugdunensi II (a. 1274) definitum est Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio tanquam ab uno principio [5], quia hoc infertur ex uno principio de fide: *In divinis omnia sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio:* et altera naturali: *Pater et Filius in spirando non dicunt inter se oppositionem relativam.*

1 *In I p.,* q. i, a. 8. Deinde prosequitur: «Divina revelatio immediate est principium formale fidei, mediate vero theologicae scientiae, ita fides ipsa immediate et per se solum inclinat ad articulos fidei et ea quae expresse revelata sunt; mediate vero et consequenter etiam versatur circa conclusiones, quae per evidentem consequentiam ex articulis fidei colliguntur. Unde necesse est, ut dissensus circa propositiones theologiae mediate et consequenter adversetur fidei... Quamobrem Ecclesia tanquam infidelem damnat eum, qui hujusmodi propositiones theologicas inficiatur». *In I p.,* q. 1, a. 8 circa finem. Et alibi: «Ab Ecclesia non est hactenus definitum, quod Christus sit risibilis. At vero, si ab Ecclesia definiretur risibilitatem pertinere ad perfectionem humanae naturae, quemadmodum definitum est Christum habere duplicem voluntatem, humanam et divinam, jam qui nexaret Christum esse risibilem esset haereticus... Conclusiones, quae ex principiis fidei vel ex uno principio fidei et altero naturaliter evidenti per bonam consequentiam deducuntur, sunt propriae theologicae scientiae conclusiones. Et nihilominus dicuntur esse conclusiones de fide non immediate sed mediate». *In I p.,* q. 1, a. 2, dub. i ad 3.

2 Donz-Bannw., 54.

3 Donz-Bannw., 113.

4 Donz-Bannw., 291.

5 Donz-Bannw., 460.

e) In Concilio Lateranensi V (a. 1513) definitum est omnem adsertionem veritati illuminatae fidei contrariam esse omnino falsam 1, quia hoc educitur ex una praemissa de fide, quae affirmat Ecclesiae doctrinam esse veram, et ex altera naturali, quae adserit verum non se opponere vero.

f) In Concilio Tridentino (a. 1551) definitum est in sancto sacrificio missae panem et vinum converti in corpus et sanguinem Jesu Christi 23 quia hoc infertur ex una praemissa revelata: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus:* et altera naturali, qua dicitur haec verba non posse verificari nisi fiat praefata conversio s.

46. Thesis IV. Ecclesia, cum definit conclusiones theologicas esse fide divina credendas, non efficit novum dogma, nec accipit novam Dei revelationem, sed doctrinam mediate a Deo revelatam et in deposito revelationis contentam, quae, utpote in essentia veritatis revelatae inclusa, erat per se nota quoad se, et mediata quoad nos, facit per definitionem, ut sit immediata et per se nota quoad nos.

1) Certum est imprimis Ecclesiam non posse definire ut dogma fidei doctrinam a Deo non revelatam et in deposito fidei non contentam. «Non enim fides, de qua loquimur, adsentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum» 4.

2) Item theoria Suarezii, qua dicitur definitionem Ecclesiae sub adsistentia Spiritus Sancti aequivalere revelationi 5,* caret fundamento, et rejicitur ab omnibus.

3) Neque Lugo videtur rem satis explicuisse, cum dixit ex revelatione infallibilitatis Ecclesiae et adsistentiae Spiritus Sancti confici duas propositiones revelatas, ex quibus inferatur conclusio theologica, et exinde, utpote educta ex duplici praemissa revelata, dicatur esse de fide e.

4) Veram explicationem me proposuisse arbitror in thesi. Conclusio siquidem theologica, quae exprimit proprietatem praemissae revelatae, utpote virtualiter revelata et inclusa in ratione veritatis formaliter revelatae, continet veritatem infallibilem, et est per se nota quoad se. Unde ex se habet omnes conditiones, quae requiruntur, ut sit objectum fidei divinae. Solummodo desideratur, ut sit per se nota quoad nos, id est, ut infallibili veritate nobis innotescat. Id autem facit Ecclesia, cum declarat sub adsistentia Spiritus Sancti doctrinam conclusionis theologicae in veritate revelata tanquam proprietatem homogeneam contineri, et fide catholica credendam esse.

Per authenticam definitionem Ecclesiae ea, quae prius erant virtualiter revelata et quoad se per se nota, fiunt, sine nova manifestatione ex parte objecti, per se nota quoad nos et immediate credenda 7.

1 Denz-Bannw., 738.
2 Denz-Bannw., 884.
3 Cfr. Marin, *La evoluciôn homogénea del dogma calôlico,* η. 202 sqq.
4 S. Thomae, ***II-II,*** q. I, a. I.
5 Suarez, *De fide,* disp. 3, sect, il, η. II.
' Luro, *De virtute fidei div.,* disp. 1, n. 275.
7 Cfr. Marin, *La évolution homogénea,* n, 168.

§ 3

Utrum theologia viatorum sit dignior omnibus aliis scientiis naturalibus.

47. Scientiarum naturalium aliae sunt *speculativae,* aliae vero *praeficae,* ut ex philosophia notum est; et ipsamet theologia dispescitur ex parte objecti in *speculativam* et *practicam.* Ideo, ut theologiae nobilitas manifestetur, oportet eam cum scientiis tum speculativis tum practicis comparari.

Porro dignitas scientiarum speculativarum attenditur penes nobilitatem objecti et certitudinem cognitionis. Unde, 1) qui theologiae speculativae dignitatem prae aliis scientiis speculativis celebrare voluerit, ostendere debet ejus materiam praestantiorem esse ac certitudine firmiorem. 2) «Practicarum vero scientiarum illa dignior est, juxta S. *Thomam,* quae ad ulteriorem finem non ordinatur, sed ad ipsam aliae, vehit ad finem, referuntur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur» [1].

Consulto agitatur quaestio de nostra theologia per comparationem ad scientias naturales, quia nemo est, qui ambigat theologiam Dei et beatorum hac nostra praestantiorem esse.

His praelibatis, paucis quaestionem absolvemus.

48. Thesis. Theologia viatorum est cunctis disciplinis, sive speculativis sive practicis, nobilior.

Prob. de speculativis.

Arg. Ex scientiis speculativis illa dignior censetur, quae nobiliorem habet materiam et majori gaudet certitudine. Sed theologia speculativa quantum ad utrumque «alias scientias speculativas excedit, a) *Secundum certitudinem* quidem; quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest, b) *Secundum dignitatem vero materiae;* quia ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur». Unde ait Apostolus: *loquimur Dei sapientiam in mysterio* [2].

Prob. de practicis.

Arg. Illa dicitur ex scientiis practicis dignior, quae in ulteriorem finem non tendit, et ad ipsum aliae quodammodo ordinantur. Finis autem nostrae theologiae ad nullum alium refertur, quia est ultimus in omni genere, nempe, Deus ejusque clara visio; et ad ipsum omnes aliae scientiae ordinantur, in quantum in ordine supernatural! omnia ad

1 / />., q. i, a. 5.
2 / *Cor., 2, q.*

Deum vel diriguntur, vel apta sunt ordinari. Hinc scientiae naturales merito nuncupantur *ancillae theologiae* [1].

Objicies. Certitudo pertinet ad dignitatem scientiae. Sed scientiae naturales sunt quodammodo certiores theologia viatorum. Ergo.

Respondeo cum S. *Thoma* «quod nihil prohibet id, quod est certius secundum naturam, esse quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus nostri, qui *se habet ad manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad lumen solis,* sicut dicitur *in II Metaph.* Unde dubitatio, quae accidit in aliquibus circa articulos fidei, non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectus humani: et tamen minimum, quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est, quam certissima cognitio, quae habetur de minimis rebus, ut dicitur *lib. I de partibus animalium,* c. 5, in prine» [2].

ARTICULUS IX

DE SUBJECTO THEOLOGIAE

§ 1

Utrum theologia vere remaneat in haeretico.

49. Dupliciter potest haereticus se habere in addiscenda theologia; id est, potuit homo, a) cum esset fidelis, acquirere scientiam theologicam, et postea amittere fidem, vel b) in haeresim circa quaedam dogmata lapsus studiis theologicis operam navare, conclusiones quasdam ex aliis principiis fidei, quae ipse admittit, deducendo.

Si de primo loquimur, quaestio est, an per haeresim supervenientem omnino pereat habitus theologicus in statu priori acquisitus, ita ut cognitio veritatum theologicarum, etiam in materia, in qua haereticus non errat, sit alterius rationis seu speciei, quam erat ante haeresim. *De secundo* vero sciscitatur, an habitus scientificus, si habitus ille dicendus sit, circa materias theologicas ab haeretico acquisitus, sit ejusdem speciei ac rationis cum scientia theologica, quam habet catholicus.

50. Placita theologorum. Variae circumferuntur Doctorum sententiae, quas hic lubet breviter referre.

1.» Sententia, quae docet theologiam aliquando ex principiis, non fide supernaturali cognitis, sed per fidem humanam aut opinionem naturalem habitis^ procedere, et consequenter habitum theologicum ejusdem esse speciei in haeretico et catholico, sive haeresis theologiam praecesserit sive successerit. Ita aliqui apud Vazquez [3]*

2.a Sententia docet theologiam in homine catholico, adveniente haeresi, non corrumpi essentialiter sed solummodo *quoad statum.*

3.a Sententia vult theologiam non illico, adveniente haeresi, corrumpi, sed ad breve tempus manere saltem quoad substantiam. Ita *Dominicus a SSma. Trinitate**,* et *Andreas a Cruce (Tao)* [5].

1 Cfr. Clemens Alex., *Strom.,* lib. I, c. 5; MG 8, 718; S. Thomas, *I p.,* q. 1, a. 5; et Casanova, *Theol. fund.,* nn. 402-450.
2 *I p.,* q. i, a. 5 ad 5.
3 *In I p.,* disp. 5, a. 4.
1 Lib. i, sect. 5, c. 1, «Dico primo».
3 Disp. 2, dub. 4, n. 50.

4.a Sententia tuetur habitum theologicum amitti subito in mente simul cum fide, non solum quoad statum sed etiam quoad substantiam quando quis labitur in haeresim. Sic *Lugo* [1] cum aliis.

51. THESIS. Habitus theologicus, qui est in homine catholico, amittitur a) statim simul cum fide, b) non solum quoad statum et perfectionem, sed etiam essentialiter et intrinsece, ita ut c) tum habitus in haeretico remanens, tum ejus adsensus in quavis materia theologica sint diversae omnino speciei ac habitus et adsensus theologi fidelis.

Prob. 1.a pars.

Arg. Theologia namque est disciplina, quae ex principiis fidei, lumine supernaturali creditis, conclusiones deducit. Porro, amissa fide, statim destruuntur principia theologiae. Sine principiis autem exsistere non valet habitus theologicus. Ergo simul cum fide statim amittitur habitus theologicus.

Nec refert, si dicas theologiam viatorum esse habitum naturalem, actuum repetitione acquisitum, qui principia fidei attingit modo naturali. Ideo potest, ut talis, ad breve tempus in anima conservari, quantumvis fides supernaturalis amittatur.

Non inquam rejeri, quia, licet theologia nostra sit habitus naturalis, actuum repetitione acquisitus, et principia supernaturalia respiciat modo naturali, nihilominus supponit semper ex parte subjecti admissionem principiorum fidei lumine supernaturali, cui innitatur, ut certitudinem objectivam mutuet ac teneat. Sicut enim quaelibet scientia, negatis suis principiis, omnino corruit, ita etiam theologia, amissa fide et destructis consequenter principiis, corrumpitur.

Ille igitur habitus, qui post lapsum in haeresim videtur ad breve tempus in subjecto remanere, non est habitus theologicus proprie dictus, quia caret principiis, caret certitudine et caret capacitate disponendi subjectum ad eliciendum adsensum vere theologicum.

Inconsequentiae ergo arguendi sunt, qui, admissa ex una parte conservatione habitus theologici ad breve tempus in subjecto post haeresim, tuentur ex alia actus seu adsensus elicitos ab haeretico in materia theologica in qua non errat, non esse ejusdem speciei ac adsensus praestitos a theologo fideli. Actus enim correspondent habitui, a quo eliciuntur. Si autem habitus supponatur theologicus, licet ad breve tempus, actus seu adsensus ab eo producti quidni fuerint theologici?

Unde, amissa fide supernaturali, quae velut conditio *sine qua non* requiritur, ut principia theologiae sint vere talia, subito corrumpitur habitus theologicus.

Prob. 2.a pars.

Arg. Mutato objecto formali *quo* scientiae vel amissa certitudine, corrumpitur habitus essentialiter. Sed per haeresim mutatur objectum formale *quo* theologiae, et amittitur ejus certitudo. Ergo theologia, amis-

[1] *De virtute fidei div.,* disp. 17. n. no.

sa fide, non solum quoad statum et perfectionem sed etiam essentialiter et intrinsece corrumpitur.

Prob. Min. quoad 1.a''' partem. Objectum formale *quo* theologiae est revelatio virtualis. Haereticus autem, ex quo negat unum articulum fidei, rejicit omnem revelationem etiam in materia, in qua non errat, quia haereticus in uno est haereticus in omnibus, cum auctoritatem Dei revelantis neget \ Ergo in haeretico mutatur objectum formale *quo* habitus theologici.

Quoad 2.''''' part. Ut dictum est superius, theologia habet certitudinem ex lumine divinae revelationis. Ex quo autem amittitur fides supernaturalis, corruit lumen revelationis divinae. Ergo disciplina theologica simul cum fide amittit certitudinem qua gaudebat.

«Sic igitur, concludit *Dominicus a SSma. Trinitate,* quando haereticus syllogizat et discurrit circa res theologicas ex illis principiis fidei, quae non negat, etiamsi veras inferat conclusiones et easdem materialiter, quas deducit in eadem materia theologus fidelis, non discurrit ex habitu theologiae, quem prius habebat, sed ex ipso lumine naturae et habitu opinionis vel fidei humanae, quem habet circa illa principia fidei, quae non negat, ita ut in ipso generetur de novo abus habitus theologiae opinativus, qui formaliter excludit theologiam veram» 1.

52. Obj. 1.° Theologus in haeresim lapsus retinet facilitatem discurrendi circa materias theologicas. Haec autem facilitas oriri nequit nisi ex habitu theologico. Ergo in haeretico remanet habitus theologicus saltem quoad substantiam.

Resp.—Neg. Min. Haec enim facilitas potest oriri proculdubio ex memoria praeteritorum et ex notitia veritatum, quam acquisierat, quando fidelis studiis theologicis navavit operam. Sed quia mutato principiorum statu, revelationi, quae est objectum formale *quo* theologiae, succedit lumen naturale, consequens est, ut habitus theologicus corrumpatur.

Obj. 2.° Theologus, qui semel in haeresim lapsus convertitur in fidem, vere retinet theologiam. Sed in conversione noh acquirit de novo illam. Ergo retinebat theologiam etiam in statu infidelitatis. Prob. Min. Non acquirit supernaturaliter, quia in praefata conversione non supponitur scientiam de novo infundi; neque naturaliter, tum quia ad hoc requiritur actuum repetitio, quae in instanti non fit, tum quia homo in conversione non semper dat studiis operam.

Resp.—Dist. Min. Non acquirit de novo theologiam *formaliter,* per acquisitionem novarum specierum, conc.; *causaliter,* per remotionem prohibentis, neg. Quando enim per haeresim amittitur theologia, non ita corrumpitur, ut species quoque et idearum coordinationes deleantur; sed dicitur theologia amitti, in quantum principia quae sunt articuli fidei, removentur, vel eorum ratio formalis, quae est auctoritas Dei revelantis, negatur. Ideo, sublatis principiis theologiae per haeresim, consequens est, ut ipsa quoque scientia theologica, quae ab illis pendet, destruatur. Retinentur tamen memoria specierum et coordinatio idearum ac argumentorum, quibus comparatur habitus opinativus ex principiis theologiae, per fidem humanam aut aliud motivum naturale conclusiones deducens. Hic tamen habitus opinativus, utpote certitudine carens, non est proprie theologicus. At, ubi relinquitur haeresis, et fide supernatural! admittuntur principia theologica, acquiritur de novo theologia, non quidem formaliter et immediate, sed causaliter et quasi radicaliter, quatenus illa principia, quae per fidem humanam ab

1 Cfr. S. Thomas, *II-II,* q. 5, a. 3.
2 Lib. i, sect. 5, c. 1, Dico tertio, «Sic igitur».

haeretico tenebantur, incipiunt lumine supernatural! admitti et certitudinaliter influere in adsensus theologicos certos.

Prob. 3.a pars.

Arg. Haec tertia pars propositionis manifeste patet ex dictis. Nam habitus scientificus et opinativus, et adsensus certus et probabilis illis respondentes, essentialiter inter se distinguantur oportet. Sed habitus theologicus fide supematurali informatus est scientificus ejusque adsensus certus; habitus vero in haeretico remanens est opinativus et ejus adsensus ad summum probabilis vel erroneus. Ergo specifice distinguuntur. Quare haereticus, quantumvis ex principiis revelatis, quae fide humana vel alio motivo naturali admittit, conclusiones deducat, non est proprie dicendus theologus, sed solum materialiter et aequivoce, in quantum versatur circa easdem materias ac theologus, licet sub diverso objecto formali *quo.*

§ 2

Utrum theologia, quae proprio uniuscujusque labore comparatur in via, remansura sit in patria.

53. Status quaestionis. 1) Compertum omnino est theologiam nostram, prout est in via, obscuram esse ac inevidentem; procedit enim ex principiis lumine supematurali, quod nobis impervium est, acceptis. Sed a suminis theologis, antiquis et modernis, controvertitur, an haec obscuritas ita ad theologiam viatorum pertineat, ut sit de ejus essentia vel saltem proprietas inseparabilis. Et in hoc verti videtur tota quaestio praesens. Si admittatur theologiam hujus vitae esse essentialiter obscuram, cum haec obscuritas a fide proveniat, et fides non amplius sit in caelo permansura, sed ejus loco succedat clara Dei visio, dicendum est theologiam viatorum non remansuram esse in patria. Si vero, e contra, ponatur obscuritatem theologiae esse praedicatum quoddam accidentale, quod ab ea separari queat, quando resolvetur in scientiam superiorem, nihil prohibet, quominus theologia hic proprio labore et studio acquisita perseveret in patria.

2) Potest tamen dupliciter intelligi theologicam acquisitam permanere in patria: 1.° *Objective,* in quantum ipsa objecta, quae nunc cognoscimus in via, sumus in caelo cognituri, diverso tamen lumine ac habitu. 2.° *Formaliter,* quatenus ipse habitus, per repetitionem actuum hic comparatus, sit substantialiter in patria perseveraturus, demptis tamen obscuritate ac inevidentia, quibus modificatur in via.

3) Praenotandum est tertio cum cl. *Gonet*[1] ex habitibus in via acquisitis quosdam permanere in patria ad exercitium, alios vero ad ornatum, et alios nullo modo. Permanent *ad exercitium,* quorum actus non sunt incompatibiles cum statu beatitudinis, ut caritas, prudentia i t scientiae naturales. Conservantur *ad ornatum,* qui exercitium in caelo

[1] *Disp. firooem.,* a. 2, § 1.

habere non valentes, sese non opponunt quoad suam rationem formalem statui beatitudinis, ut temperantia et fortitudo, quae versantur circa passiones. Illi tandem omnino destruuntur non amplius permansuri in caelo, qui essentialiter sese opponunt clarae Dei ac mysteriorum visioni, ut fides, spes, etc.

4) His breviter ita praelibatis, paucis potest status hujus quaestionis aperiri.

Quaeritur itaque, an obscuritas theologiae viatorum ita sit ipsi accidentalis ac separabilis, ut habitus theologicus viae sit permansurus in patria, conjunctus cum subalternante non solum *objective* sed etiam *formaliter,* et, quatenus affirmative, quomodo remaneat, an scilicet ad ornatum dumtaxat vel etiam quoad exercitiüm.

54. Placita theologorum. In duas sententias sibi oppositas abiere theologi. 1.» Sententia tenet theologiam viatorum esse essentialiter obscuram ac inevidentem, et proinde non permansuram in patria *formaliter,* sed ad summum *objective.* Hoc tamen verbum *objective* dupliciter intelligunt. a) *Nonnulli* putant beatos in caelo omnium objectorum, quae in terris cognoverunt, notitiam revera habituros, non tamen iisdem speciebus ac lumine hic habitis sed novis speciebus ac lumine a Deo infusis, b) *Alii* vero censent easdem species in via acquisitas esse permansuras in patria. Quia tamen principia mutantur, et fiunt ex obscuris et inevidentibus clara et evidentia, ipsum lumen et habitum theologicum perire exsistimant eo ferme modo, quo superius diximus, theologiam, retentis speciebus, amitti in eo, qui in haeresim labitur. «Theologia, inquit *Dominicus a SSma. Trinitate* [7], secundum hunc explicandi modum est quidam habitus generice ad illum, qui in via acquiritur ex fide, et ad illum, qui in patria acquiritur ex lumine gloriae per nostros discursus extra Verbum, manentibus in nostro intellectu ac memoria speciebus eodem modo dispositis et ordinatis ac erant in statu viae, solaque mutatione facta ex parte luminis et claritatis ex principiis deductae. Nam sicut revelatio ut sic abstrahit ab hoc, quod sit obscura vel clara, ita ut revelatio obscura, cujusmodi est fides, distinguatur specie a revelatione clara, cujusmodi est lumen gloriae in beatis; ita habitus theologicus, qui per hoc distinguitur ab omnibus aliis scientiis, quod innitatur revelationi divinae, debet dividi tanquam in duas species essentialiter diversas, in illum habitum, qui in via innititur revelationi obscurae fidei, et in illum qui in patria innititur revelationi clarae luminis gloriae». Hanc sententiam tuentur *Capreolus* [1], *Zumel* [3], *Molina* [4], *Valentia* [5], *Urraburu* [6]*et alii.

2.0 Sententia tuetur obscuritatem ac inevidentiam esse theologiae nostrae accidentalem, quandiu peregrinamur a Domino, id est, theologiam viae esse obscuram ratione status principiorum quae fide accipiuntur, sed, quando haec principia per lumen gloriae in caelo manifestabuntur, futuram esse claram et evidentem, ideoque ipsummet habitum theologicum, quem habemus in via, permansurum esse formaliter et ad exercitium in patria. Hujus sententiae patroni putant insuper mutationem principiorum, quando ratione luminis gloriae ex obscuris fient clara, non afficere essentiam habitus theologici, sed tantummodo ejus statum. Ita *Canus* [2], *Banez* [8], *Salman-*

1 *Bibl. theol.,* lib. 1, sect. 5, c. 2; «Secunda igitur».
2 *Prol. Sent.,* q. 1, ad 4 arg. Aureoli contra 2.»n> conci.
3 *In I p.,* q. i, a. 2, q. x.
4 *In I p.,* q. I, a. 2, disp. 3.
5 *In I p.,* q. i, p. 3, § 2, «Quinto».
6 *Logica Maj.,* lib. 2, disp. 4, c. 3, a. 4, § 2, n. 299.
7 *De locis,* lib. 12, c. 2.
8 *In I p.,* q. I, a. 2, dub. 3.

licenses Joannes a Sto. Thoma [1], *Gonet* [2], *Billuart* [3], et alii communiter ex thomistis.

55. THESIS. Idem habitus theologicus, quem proprio labore comparamus in via, est in patria formaliter et ad exercitium permansurus.

Arg. I. *Ex SS. Patribus.* Hanc doctrinam evidenter a SS. Patribus esse traditam arbitrantur plures Doctores. Nam S. *Hieronymus* ait: «Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in caelo» [4]. Et S. *Joannes Chrysostomus,* loquendo proculdubio de nostra theologia, de cognitione scilicet Dei, docet scientiam in caelo non aboleri sed desinere esse non perfectam [5]. Unde S. *Thomas* expresse docet substantiam rei integram remansuram, remota ab ea imperfectione, quae non sit de essentia ejus, sicut accidit in nostra theologia [6].

Arg. II. *Ex ratione S. Thomae.* Scientia subalternata non destruitur, sed perficitur, quando conjungitur cum superiori a qua pendet. Sed theologia nostra est subalternata scientiae Dei et beatorum, ut docet S. *Thomas* [7]. Ergo theologia viatorum formaliter remansura est in patria conjuncta cum subalternante. Hinc idem Angelicus Doctor, exponens illa verba Apostoli [8] *sive scientia destruetur,* ait: «Dicendum quod verbum Apostoli est intelligendum quantum ad id quod est materiale in scientia, et quantum ad modum intelligendi, quia scilicet neque phantasmata remanebunt destructo corpore neque erit usus per conversionem ad phantasmata» [9]. Et alibi haec habet: «dicendum quod Apostolus non loquitur ibi *(I Cor.)* de scientia quantum ad habitum sed quantum ad cognitionis actum» [10].

Arg. III. *Ex ratione fundamentali.* Nam theologia nostra comparatur per actus inevidentes, et est in nobis obscura, non ratione formali et intrinseca ipsius habitus, sed ex parte subjecti et per accidens. Siquidem theologia ex ratione intrinseca petit resolvi in principia clara et evidentia; sed quia haec principia ostendi nequeunt nisi per lumen gloriae, et variis rationibus impedimur ab hoc lumine recipiendo, ideo ejus loco substituitur fides, quae est obscura. Theologia igitur nostra dicitur obscura, non ab intrinseco et ex vi propriae ac formalis suae rationis, sed ab extrinseco et per accidens ob defectum superioris scientiae ac luminis gloriae, in quae petit resolvi. At, quando per scientiam superiorem Dei et beatorum perficietur in patria, fiet resolutio usque ad prima principia evidentia et clara, quae accipientur, non jam per fidem obscuram et inevidentem, sed per lumen gloriae, quo perfundetur in-

1 *De fide,* disp. i, n. 27.
2 *In I p.,* disp. 2, a. 5.
3 *In I p., dissert, prooem.,* a. 2, § 2.
4 *Dissert, prooem.,* a. 4.
5 *Epistola* 54 *ad Paulinum,* n. 9; ML 22, 549.
6 *In I Cor., hom.* 34; MG 61. 287
7 *I-II,* q. 67, a. 3.
8 *I p.,* q. i, a. 2.
9 *I Cor.,* 13. 8.
10 *I-II,* q. 67, a. 2 ad 1.
11 *1 p ,* q. 89, a. 5 ad 1.

tellectus, et removebitur obscuritas seu inevidentia ex parte subjecti et ex defectu luminis gloriae nunc proveniens. Sic ergo, quando per scientiam beatam et lumen gloriae manifestentur principia, quae sunt articuli fidei, et ex eis clare visis arguere incipiat theologia, non mutabitur intrinsece habitus theologicus, sed perficietur accidentaliter et quoad statum. Simili fere modo caritas dicitur perseverare in patria, quamquam ex libera, quae erat in via, convertatur in necessariam.

Diximus theologiam nostram *jormaliter* et *ad exercitium* permanere in patria. *Formaliter* quidem, quia, ut ex superioribus patet, ipse habitus theologicus essentialiter perseverat; *ad exercitium* vero, quia, etsi adsensus theologici in via emissi, utpote obscuri et inevidentes, probabiliter cessent in patria, alios tamen perfectiores et clariores ex principiis clare sibi manifestatis est beatus theologus emissurus*.

Objectiones diluuntur.

56. Obj. 1.° Actus seu adsensus theologicus nequit, stante eadem actus entitate, ex inevidenti fieri successive evidens. Ergo nequit habitus theologicus viae permanere in patria.

Resp.—Neg. conseq. Quia licet habitus et actus theologicus ambo careant in hac vita evidentia formali, et praesupponant evidentiam ex scientia superiori, quae vocatur *evidentia in attestante,* tamen disparitas est inter utrumque. Habitus enim est actus primus, ct, ut talis, indifferens ad habendam vel non evidentiam scientiae superioris juxta diversitatem status, prout scilicet conjungitur vel non cum sua subaltemante; nondum enim est ita necessario applicatus ad statum imperfectum viae, ut nequeat ad alium perfectiorem transire. At adsensus semel exercitus, et exiens a suo principio, est actus secundus, et, qua talis, determinatus ad unum; ideo, si semel investiatur obscuritate et inevidentia, nequit successive fieri clarus et evidens, retenta eadem entitate.

Obj. 2.° S. *Thomas* ait: «Superveniente perfectione gloriae, cessat prophetia et scientia, caritas autem non cessat» *1.* Ergo.

Resp. Mentem S. *Thomae* ex ipso patere. Nam exponens S. Doctor eumdem textum expresse, verbis supra relatis, docet scientiam destructum iri, non quantum ad habitum, sed quantum ad conversionem ad phantasmata.

Obj. 3.° Fides non est in patria permansura. Ergo nec theologia nostra.

Resp.—Neg. conseq. Disparitas est maxima inter fidem et theologiam. Fides enim ex ratione sua formali est obscura, secus vero theologia, cujus obscuritas per accidens se habet ex defectu conjunctionis cum scientia superiori.

Obj. 4.° Scientiae specificantur ab objecto formali *quo* seu ratione formali *sub qua.* Sed objectum formale *quo* theologiae est diversum in via et in patria. Ergo nostra theologia non est in patria permansura. Prob. Min. Objectum formale *quo* theologiae in via est revelatio virtualis essentialiter obscura, in patria vero erit lumen gloriae clarum et evidens. Ergo.

Resp.—Neg. Min. Ad probationem, Dist. Ant.: objectum formale *quo* theologiae in via est revelatio, obscura *per accidens,* eonc.; obscura *essentialiter,* neg. Accidit enim, quod objectum formale *quo* seu ratio formalis *sub qua* nostrae theologiae sit revelatio obscura, quia haec pro statu hujus peregrinationis substituitur loco luminis gloriae, sicut fides substituitur loco scientiae superioris et principiorum evidentium. At theologia petit resolvi in sua principia clara et evidentia. Quare ejus objectum formale *quo* est re-

1 Vid. Hettinger, *Timoteo* 0 *Cartas a un joven tedlogo,* carta 2t.
2 *t Cor.,* c. 13, lect. 3; «Dicendum ergo».

velatio clara et evidens suorum principiorum per lumen gloriae, licet per accidens substituatur in via per revelationem obscuram fidei.

Instabis 1.° Ergo in patria mutatur objectum formale *quo* theologiae. Mutato autem objecto formali, destruitur habitus. Ergo non permanet eadem theologia in patria.

Resp.—Dist. Ant.: in patria mutatur objectum formale *quo* theologiae, *quod statum,* cone.; *essentialiter,* neg. Objectum formale *quo* theologiae absolute est revelatio, quae proponitur et manifestatur in via per fidem, et est obscura, in ,patria vero communicatur per lumen gloriae et est clara ac evidens. Mutatio igitur non se habet ex parte ipsius objecti, sed potius ex parte propositionis, quae in via propter impedimentum subjecti non pertingit, ut in patria, ad claritatem et evidentiam.

Instabis 2.° Ex hoc sequitur theologiam nostram esse essentialiter claram. Hoc autem falsum est .Ergo.

Resp. Essentiale quidem est theologiae postulare claritatem, nullam tamen violentiam patitur, cum ea destituitur, quia non est essentialiter clara pro omni statu. In omni quidem statu petit claritatem, sed per accidens ratione subjecti interdum ea privatur, et tunc procedit naturaliter, non violenter; sicut anima rationalis petit semper unionem cum corpore, verum, cum ab eo separatur, non violenter sed naturaliter est et operatur, ut docet S. *Thomas* *.

Instabis 3.° Non potest eadem theologia habere objectum formale *quo* obscurum pro uno statu, et clarum pro altero. Ergo. Prob. Ant. Quia secus idem diceretur de fide, et, mutata revelatione obscura in claram, posset in patria permanere contra communem theologorum sensum.

Resp.—Dist. Ant.: non potest eadem theologia habere objectum formale *quo* obscurum pro uno statu et clarum pro altero, si utrumque hoc objectum per se respiciat, cone.; si unum *per accidens,* et alterum *per se* spectet, neg. Theologia per se petit semper objectum formale *quo* clarum sed in via per accidens substituitur obscurum. At fides e contra petit intrinsece objectum formale *quo* obscurum, cum sit argumentum non apparentium, et nequit ratione status aut subjecti mutari, nec in patria permanere.

57. Corollarium I. Ex his recte licet inferre, quod initio hujus operis dictum est, nempe triplicem in beatis esse theologiam, *beatam,* scilicet, *infusam* et *acquisitam.*

Corollarium II. Doctrina theologica, quam quisque proprio labore ac studio comparavit in via, permansura est in patria non solum *ad exercitium* et veritatum cognitionem, sed etiam ad modum *aureolae,* Deo sic remunerante labores ac vigilias studentium. Sicut enim Martyres et Virgines aureolam martyrii et virginitatis apud Deum promeriti sunt, victoriam de came et mundo obtinendo, ita etiam theologi victoriam de hoste maligno reportantes, eumque per doctrinam a cordibus hominum expellentes, *aureolam* Doctoratus merentur.

ARTICULUS X

QUO ANIMO STUDIIS THEOLOGICIS VACANDUM SIT

58. Neminem putamus latere posse momentum hujus articuli, qui totus impendetur in regulis tradendis, quas oportet prae oculis haberi in theologicis disciplinis perdiscendis.

l *Opusc.* i, *Comp. Theol.,* c. 152.

Celebris est hac in re epistola S. *Thomae Aquinatis* ad quemdam Fr. Joannem data, quam, ut monita tanti Doctoris suum discipulum edocentis alte defixa in mente teneat candidatus lector, lubet heic integre transcribere.

«Quia quaesisti a me, ait Angelicus Doctor vel quicumque fuerit auctor opusculi *De modo acquirendi scientiam,* in Christo mihi carissime Joannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiae acquirendo, tale a me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas intrare, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Haec est ergo monitio mea et instructio mea. Tardiloquum te esse jubeo, et tarde ad locutorium accedentem; conscientiae puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci; omnibus te amabilem exhibe; nihil quaere penitus de factis aliorum, neminem te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis a studio materiam subministrat; de verbis et factis saecularium nullatenus te intromittas, discursus supra omnia fugias; sanctorum vel bonorum imitari vestigia non omittas; non respicias a quo audias, sed, quidquid boni dicatur, memoriae recomenda; ea, quae legis et audis, fac ut intelligas, de dubiis te certifica, et, quidquid poteris, in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere; altiora te ne quaesieris. Ista sequens vestigia frondes et virides fructus in vinea Domini Sabaoth utiles, quandiu vitam habueris, proferes ac produces. Haec si sectatus fueris, ad id pertingere poteris, quod affectas» x.

Quid opportunius pro praesenti materia afferri queat, nescimus.

Omissis igitur caeteris monitis, quae in utilitatem studentium passim circumferuntur, placeat solummodo quaedam e praecedentibus selecta explanare.

I. Per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Qui enim theologicis studiis operam est daturus, débet adprime in humanioribus disciplinis esse versatus, et praesertim disputationibus philosophicis adsuetus. *«Revera,* inquit *Leo* ***XIII*** in Encyclica diei 15 Februarii 1882 ad Praelatos Italiae, *fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam, quae non modo sacras sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples».* Hinc idem Pontifex in Encyclica *Aeterni Patris* diei 4 Augusti 1879 haec habet: *«Cuncti adolescentes, sed hi nominatim, qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, parati semper, secundum Apostolica monita, ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe* (1 S. Petr. III, 15), exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere».

II. Tardiloquum te esse jubeo et tarde ad locutorium accedentem. Sanctissimus Doctor *jubet* ac praecipit, non utcumque hortatur, ut tar-

l *Opusc.* 41, edit. Vives, vol. 28, p. 467. In editione Parmae est opusc. 61.

diloquus quisque sit in thesauro scientiae acquirendo. Quanti sit hoc praeceptum faciendum non incongrue nos docent SS. Patres, qui unanimi consensu tradidere in animam negotiis saecularibus et conversationibus implicatam non intrare sapientiam. Consonat quod S. *P. N. Joannes a Cruce* hortatur dicens: «Una palabra hablo el Padre que fué su Hijo, y esta habla siempre en etemo silencio; y en silencio ha de ser oida del aima» [1]. Id est: «Unum Verbum locutus est Pater, nempe Filium suum, et in aeterno silentio illud semper eloquitur; et sic in silentio debet audiri ab anima».

III. Conscientiae puritatem amplectere, orationi vacare non desinas. Dicere solebat Angelicus Doctor sodali suo fratri Reginaldo «quidquid sciret non tam studio aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse» [2]. Et revera, licet quisque debeat humanarum scientiarum ope, imo et proprio studio ac labore, ad theologiam se praeparare, nunquam tamen secretiora theologiae arcana poterit investigare, nisi divina opitulante gratia. Quare oportet quemlibet assiduis in Deum fusis precibus intellectus claritatem postulare, ut per conscientiae puritatem et animi quietem possit ad divinorum contemplationem adsurgere et ad charismatum participationem pervenire. *In malevolam animam non introibit sapientia,* inquit Spiritus Sanctus [3].

IV. Cellam frequenter diligas. Nam in cellae solitudine loquitur Deus ad cor hominis. *De cella ad caelum,* ait commune proloquium, quod de sanctis cogitationibus, quae de cella prae caeteris locis ad caelum adsurgunt, licet intelligere. «Mane, inquit auctor Imitationis Christi, cum eo (Jesu) in cella, quia non invenies alibi tantam pacem» [4].

Ultima regula. Candidatus denique lector debet per studium theologiae a) *animae suae profectum quaerere,* et b) *aliorum salutem non negligere. Primo* quidem animae profectum quaerat oportet, quia, ut ait S. Thomas, «inter omnia vero studia hominum, sapientiae studium est perfectius, sublimius, et utilius et jucundius» [5]. Et oportet, ut «intellectus contemplationi et ratio inquisitioni divinorum vacet secundum illud Ps. 72, 28: *Mihi adhaerere Deo bonum est*» [6]. *Secundo,* aliorum salutem nunquam debet negligere, quia oportet eum *evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit; ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* [7].

1 *Avisos y sentencias,* puntos de amor; n. 21 (ed. Burgos, 1931).
2 *Brev. Rom., die VII Mart.,* 5.ª *lect.*
3 *Sap.,* i, 4.
4 *Lib.* i, c. 20, circa finem.
5 *Contr. Gentiles,* lib. 1, c. 2.
6 *Super Boet, de Trinit.,* q. 2, a. 1.
7 *Ephes.,* 3, 8-10.

THEOLOGIA GENERALIS

SEU

FUNDAMENTALIS

59. Praenotamina. I. Theologia *speculativa generalis* seu *fundamentalis* [1] complectitur *Apologeticam, intimam Ecclesiae constitutionem* et *Loca theologica* seu *Fontes revelationis.*

Cum de his omnibus saepe sit sermo in theologia, opere pretium est quaedam de eis breviter hic explicare.

Apologetica—απολογητική—seu defensio est *ea disciplina, quae ratione demonstrat evidentiam credibilitatis veritatum fidei in communi.*

Distinguitur ab apologia—απολογία—quatenus apologetica est defensio universalis totius religionis revelatae, dum Apologia est defensio alicujus doctrinae particularis, v. gr., incarnationis Verbi.

Objectum formale *quod* apologeticae est *credibilitas rationalis fidei christianae,* vel, si mavis, est *religio revelata sub ratione evidentis credibilitatis,* ut egregie explicat Garrigou-Lagrange [2]. Ostendit enim revelationem non solum esse possibilem et convenientem, verum etiam de facto exsistere, et historice probat Christum, legatum divinum, instituisse suam Ecclesiam, societatem visibilem, quibusdam notis cognoscibilem, et in custodiendo ac exponendo veritates revelatas infallibilem.

Ratio *sub qua* apologeticae est lumen intellectus naturale extrinsece saltem a fide illustratum. Intellectus enim apologetae per fidem illustratus optime disponitur ad exponendum argumenta credibilitatis et historice probandum infallibilitatem Ecclesiae in custodiendo et proponendo deposito revelationis.

60. II. Disputari solet a theologis, an apologetica sit pars theologiae dogmaticae aut saltem functio specialis ejusdem, vel potius scientia philosophica.

Aliqui dicunt apologeticam esse partem theologiae dogmaticae. Ita *Schultes* [3].

1 Sunt qui docent *Theologiam Fundamentalem* eodem ambitu contineri ac Apologeticam, dum alii eam extendunt ad totam theologiam generalem, sed de nomine non est disputandum.

2 *Theologia Fundamentalis,* Proleg., c. i, a. i, III, A.

3 *De Ecclesia catholica,* c. i, a. 2.

Cl. *Valentia* docet judicium de credibilitate mysteriorum fidei pertinere *elicitive* ad prudentiam, *impulsive* vero ad habitum fidei supernaturalis, postquam eum consequuti sumus 1.

Gam'gou-Lagrange censet apologeticam ex se non esse proprie scientiam, quia non procedit a causis sed a signis, et contendit eam esse *rationale munus sacrae theologiae* 2.

Gabriel a S. Vincentia exsistimat eam pertinere «ad aliquam scientiam infra theologiam, et supra scientias naturales» 3.

Opinio probabilior. Cum ratio *sub qua* apologeticae sit omnino distincta ab objecto formali *quo* theologiae, melius dicunt *Pulpiquet* et *Gardeil* 4 apologeticam esse scientiam specifice distinctam a theologia, et ad philosophiam reduci.

Haec opinio ut suadeatur, et munus apologeticae clarius determinetur, operae pretium est accurate praenotare cum Salmanticensibus 5* aliud esse videre mysteria fidei esse credibilia, et aliud videre ea esse credenda. «Intellectus, ait *Banez,* dupliciter convinci potest ab objecto evidenter credibili. Uno modo ad judicandum evidenter esse (aliquid) credibile, et quantum ad hoc non requiritur, ut intellectus juvetur a voluntate nisi quantum ad exercitium, sicut in adsensu scientifico. Alio modo potest convinci ad credendum, et sic requiritur motio voluntatis» 6.

Prima demonstratio, quam Salmanticenses appellant judicium speculativum, et quo concludimus veritates revelatas ex parte objecti esse dignas, ut fide divina credantur, est munus apologeticae, omnino naturale, «quia non apparet ratio ob quam evidentia formalis de divina veracitate (idem dic de demonstratione credibilitatis) debeat esse supernaturalis, atque a principio hujus ordinis produci» 7. Hic est actus intellectus speculativi antecedentis piam motionem voluntatis. Alia demonstratio est judicium practicum credibilitatis, seu actus intellectus practici, quo judicamus mysteria fidei esse credenda. Hoc indicium est supernaturale et pertinet ad theologiam, «quia est initium fidei, vel oritur saltem applicative ab actu piae affectionis, quae est praedictae fidei initium» 89

Ex hoc apparet fundamentum opinionis, quam expendimus.

Apologetica ostendit mysteria fidei esse evidenter credibilia, quia adducit argumenta seu motiva evidentia, quae ostendunt ea esse digna, ut credantur °. Per eam igitur convincimur revelata esse credibilia.

Evidentia credibilitatis elicitur a principio naturali, cum intellectus

1 *In II-II,* disp. i, q. i, p. 4 ad 3.
2 *Theologia Fundamentalis,* Proleg., c. 1, a. X, III, A.
3 *De fide,* disp. 1, n. 283.
4 Pulpiquet, *L'object integral de TApologétique,* p. 499; Gardeil, *La crédibilité et l'Apologétique,* p. 210 sqq.; et p. 247 sqq.; Paris, 1928; et *Diet, de théologie catholique,* v. «Crédibilité».
5 *De fide,* disp. 1, n. 203, § «Non, inquam».
° *In II-II,* q. 1, a. 4.
5 Salmanticenses, *De fide,* disp. I, n. 183.
8 Salmanticenses, *De fide,* disp. 1, n. 200.
9 Cfr. Gabriel a S. Vincontio, *De fide,* disp. I, n. 271.

per discursum, scientiam, experientiam, etc., educit illam ex motivis credibilitatis, quae sunt miracula, prophetiae, aliaque motiva. Intellectus siquidem propter evidentiam signorum, praedictionem futurorum, etc., efformat judicium evidens de credibilitate rei sic confirmatae vel annuntiatae. Sed sistit in ordine naturali et philosophico.

Ad rem egregie *Joannes a S. Thoma:* «Evidentia credibilitatis cognitae, ut objectum directum, non oritur ex fide, sed procedit ex aliqua experientia seu discursu humano prudentiae vel scientiae, et aliquando ex interiori aliquo instinctu Spiritus Sancti, vel a dono scientiae sive intellectus» x.

Apologetica igitur videtur esse habitus essentialiter distinctus a theologia. Non arguit ex principiis fidei, ut theologia, sed ex miraculis, prophetiis aliisque motivis credibilitatis.

Non tamen incongrue datur ei locus in cursu theologico, tum quia est praeparatio ad theologiam, tum quia intime connectitur cum objecto materiali ejusdem.

Imo apologetica potest dici quasi pars potentialis theologiae, quia, quamvis sit habitus ob rationem formalem *sub qua* a theologia specifice distinctus, et habeat actus sibi peculiares, est tamen ratione materiae necessario conjuncta theologiae, et ordinatur ad materias et actus secundarios ejusdem.

61. III. Ambitus apologeticae continetur tractatibus *De religione revelata,* in qua agitur de possibilitate, convenientia, cognoscibilitate et exsistentia revelationis, necnon de obligatione revelationis suscipiendae, et *De institutione Ecclesiae,* in qua probatur Ecclesiam fuisse a Christo, legato divino, institutam ad custodiendum et infallibiliter proponendum depositum fidei, et ornatam quibusdam notis, quae Ecclesiae catholicae romanae conveniunt.

In rigore igitur theologico prima pars theologiae fundamentalis seu *apologetica,* habens pro objecto formali *quo* lumen intellectus naturale, est scientia philosophica quodammodo illustrata per fidem supematuralem, et aliae duae partes seu *De intima constitutione Ecclesiae* et *De locis theologicis,* quae agunt de revelato in genere, habent pro objecto formali *quo* revelationem virtualem et sunt vere dogmaticae seu theologia.

In hac theologia fundamentali primo agemus de apologetica in tractatibus *De Vera Religione* ac *De institutione Ecclesiae;* deinde *De theologia generali* seu *De intima constitutione Ecclesiae Christi,* ac *De fontibus revelationis.*

l *T)e fide,* disp. 2, a. 3, n. 13.

TRACTATUS I

DE VERA RELIGIONE

QUAESTIO I

DE NECESSITATE RELIGIONIS

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT RELIGIO

62. Nominis ratio. Si *Religionis* etymon quaeras, tres praecipue invenies ejus in antiquitate derivationes. 1) *Cicero* censet hoc vocabulum esse deductum a *relegendo,* dicens[1]: «qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent (id est, saepe tractarent) et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex *relegendo,* ut elegantes ex eligendo». 2) S. *Augustinus* ortum esse putat a *religendo.* «Hunc (Deum) eligentes vel potius religentes—amiseramus enim négligentes—hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus» [2]. 3) *Lactantius* vero ducit etymon a *religando:* «Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et *religati* sumus, unde ipsa religio nomen accepit» [3].

Hanc triphcem religionis originem admisisse videtur S. *Thomas,* cum ait: «Sive autem religio dicatur a frequenti *relectione* (opinio *Ciceronis),* sive ex *iterata electione* ejus, quod negligenter amissum est (opinio S. *Augustini),* sive dicatur a *religatione* (ut *Lactantius* vult), religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem; quem etiam négligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus» [4].

Sunt et aliae Doctorum hac in re opiniones, a) *Aulus Gelius* [5] refert ab aliquibus derivari a *relinquere,* b) *Brannig* a supposita radice *ligere (reverentia, respectus)* [6]. c) Alii demum alias adsignant origines, sed omnes praeter tres priores, quas retulimus, rejiciendas esse merito docent theologi.

63. Definitio realis. Majus adhuc inter Doctores ortum est dissidium super reali definitione religionis.

1 *De natura deorum,* 2, 28; ed. Lemaire.
2 *De civit. Dei,* lib. 10, c. 3; ML 41, 280.
3 *Divin. Instit.,* 4, c. 28; ML 6, 536.
4 *II-H,* q. 81, a. i. Vid. Porujo, *Diccion. de ciendas eccas.; v. Religion.*
5 *Noct. Atticar.* 4, 9.
6 Vid. Robertas, *Aurifodina universalis; v. Religio.*

Ab acatholicis imprimis perquam absurdae traditae sunt ejus notiones.

1.° *Pseudomysiici* totius antiquitatis, et multo magis recentiorum temporum, omnem omnino videntur amisisse conceptum religionis. Hinc exorti sunt a) *Quietismus* Messalianorum saeculo iv, Beguinorum, Beguardorum et Hesychastarum seu Palamitarum saeculo xiv, et Michaelis de Molinos, saeculo xvn; qui omnes naturam religionis reposuere in statu perfectae contemplationis et amoris puri absque ulla alia ex parte hominis operatione aut virtutum exercitio, b) *Moralismus,* qui auctoribus *Semler, Teller* et partim *Kant* in sua *Critica rationis purae,* docet religionem in *pura actionum moralitate* consistere, c) *Pietismus,* qui omnem scientiam ac cognitionem a religione respuens, eam contendit esse sitam in animi quadam pietate ac devotione. Sic *Spener* [1] et alii.

2.° *Rationalisiae,* edocti plerumque, ut notum est, in protestantisme, cujus tessera est conscientiam privatam in omnibus esse sequendam, volunt religionem esse pure *subjectivam,* et formaliter consistere in sensu quodam vel instinctu, quem homo experitur, absolutae sui a Deo dependentiae, vel aspirationis ad perfectionem idealem. Ita *Schleiermacher* [2] et ejus discipuli in Germania, *Renan* et *Sabatier* in Gallia [3].

3.° *Pantheistae* diversimode explicuere naturam religionis. Juxta *Hegel* [4] est ipsemet Deus, quatenus cum homine religioso confunditur. Juxta *Fichte* [5] est quidem ipse Deus cum homine identificatus, sed in quantum est vita hominis et ab ipso homine cognitus. Juxta *Schelling* [6] consistit in eo, quod homo conscius sit Deum esse et se in Deo exsistere. Quid *Emmanuel Kant* de natura religionis censuerit, nondum esse compertum arbitramur. In libro, cui titulus *Facultatum Lucta,* religionem expresse constituit in eo, quod *officia moralia* accipiamus ut *praecepta divina,* sed quid his verbis significet homo rationalismo et pantheismo imbutus, imo et de atheismo non semel accusatus, penitus ignoratur.

4.° *Protestantes* tandem theologi ita divisi sunt in tradenda religionis notione, ut vix queas eorum opiniones in unum ordinem redigere. Nihilominus, si eorum doctrina diligenter inspiciatur, videntur religionem generaliter constituere in quadam cognitione, quam mens humana adsequitur de Deo, diversimode considerato juxta cujusque auctoris placitum.

Catholici quoque, diverso forsan adspectu religionem considerantes, varie eam definivere. *Berlage* definit dicens: *Inclinatio et determinatio absoluta et totalis hominis in Deum* [7]. *Klee* vero ait esse *unionem reci-*

1 Cfr. Hergenrother, *Hist, de la Igl.,* t. 6, p. 55.
2 *Reden üb. die Religion* (4.° Red.), 1799.
3 Renan, *Vie de Jésus,* ch. 28; Sabatier, *Exquisse d'une Philosophie de la religion d'après la Psychologie et ['Histoire,* liv. 1, ch. 1, § 3.
4 *Filosofia del espiritu,* § 564 sqq.
6 *El destino del hombre,* lib. 3, Fe, III, «Ahora bien» sqq.
" *Method, stud. acadern.;* 1803.
' *Introduci.*

procam Dei et hominis x. Juxta *Taparelli* 1 et *Petrum Fernandez* 3 est: *Libera* seu *voluntaria hominis dependentia a Deo.* Attamen inter omnes definitiones communissima illa est, quam Albertus M. ex Tullio mutuatam tradidit dicens: *«Religio est. quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, curam caeremoniamque affert* 4.

Verissima est, in quantum res patitur, haec definitio, et inter alias quae de religione circumferuntur, omnino probanda.

64. Attamen crediderim religionem in genere perfecte definiri difficile esse.Constat enim duobus elementis, objective nempe et subjectivo, quae simul in una definitione exprimi vix possunt. Ideo pro majori claritate *objective* et *subjective* consideranda est.

Religio *objective* considerata est *summa veritatum cognoscendarum et officiorum erga Deum adimplendorum:* seu *summa articulorum, dogmatum, cultuum, sacrificiorum et caeremoniarum in uno corpore doctrinae.—Subjective* vero est, *virtus, qua homo se adhaeret his veritatibus cognoscendis, et promptus fit pro officiis erga Deum adimplendis.*

In praesenti tractatu sermo est de religione objective considerata, id est, in quantum complectitur elementa objectiva et praescribit summam veritatum cognoscendarum, et officiorum adimplendorum. De religione subjective spectata pauca occurrunt dicenda.

Ex hac simplici religionis expositione facile colligere licet *duplicem* facultatem nostram per religionem perfici, intellectum scilicet et voluntatem, quorum actus religio semper importat, actum nimirum intellectus. Dei excellentiam protestantis, et actum voluntatis, judicium intellectus approbantis 5. Hinc *Suarez* docet «interiorem actum religionis esse actum voluntatis, qui supponit superioris rationis judicium» 6. Et celebre est illud quod S. *Alberto Magno* tribuitur effatum: «Religio... a Deo docetur, Deum docet, ad Deum ducit».

65. Divisio. Varie a SS. Patribus partiri consuevit religio.

Dividitur 1) in *veram* et *falsam. Vera* est quae inter sua dogmata nullum admittit errorem, et verum ac legitimum cultum vero Deo exhibet. Haec sola catholica est, ut ex dicendis patebit. *Falsa* dicitur quae vel errorem ut dogma docet, vel cultum adulterinum Deo exhibet, vel honorem soli Deo debitum alteri rependit. Ex triplici ergo capite potest esse religio falsa: a) quia objective seu in dogmatum summa errorem continet; b) quia indebitum cultum Deo vero exhibendum docet; et c) quia falsis diis honorem Deo debitum tribuit.

Dividitur 2) in *naturalem* et *supernaturalem. Prior* complectitur veritates et officia ad Deum in ordine naturali colendum spectantia, quae ope rationis cognosci queunt et viribus naturae impleri. *Posterior* vero ad finem supernaturalem conducit, et ita superat vires et exigentias naturae humanae, ut nonnisi lumine supernatural! revelationis comparari queat. Quod si religio ipsa naturalis, quae captum rationis non

1 *Histoire des dogmes chrétiens,* p. i, ch. i, n. i.
2 *Saggio teorico di Diritto Nat.,* vol. I, c. 9, n. 211.
3 *Curs. Theol.,* t. 1, tr. 1, sect. 1, c. 8, n. 96.
4 *In ep. VI Areopagitae. C.* Tullius, *De inventione,* lib. 2, n. 53.
6 Cfr. S. Thomas, *II-II.* q, 81, a. 3 ad 2.
° *De natura et essentia virtutis religionis,* tr. 1, lib 2, c. 1, n. 2.

excedit, revelatione accipiatur, dicitur supernaturalis *secundum quid,* et vocatur religio *positiva;* si vero naturae viribus comparetur, retinet nomen *naturalis.* Denique, quando objecta vires naturae excedentia de facto revelantur, dicuntur constituere religionem *simpliciter supernaturalem* et *revelatam.*

Supernaturalis, sive *simpliciter* sive *secundum quid,* dividitur 3) in *Primaevam* sive *Patriarchalem, Judaicam* et *Christianam. Prima* data fuit a Deo Adae et Patriarchis, *secunda* per Moysem judaeis, et *tertia* per Jesum Christum generi humano.

ARTICULUS II

UTRUM QUILIBET HOMO TENEATUR ALIQUAM RELIGIONEM PROFITERI

66. Status quaestionis. Quamquam titulus articuli, utpote clarissimus, expositione vix indigeat, aperienda tamen est breviter propositae quaestionis ratio, quae duplex potissimum adsignatur. 1.a Religio est, ut quidam definivere, *libera hominis dependentia a Deo.* Si autem *libera,* qua ratione tenetur homo eam profiteri? 2.a Sparsis hodie undique de libertate conscientiae, cathedrae et preli erroribus, maximopere oportet obligationes hominis circa religionem praefigere. Atque ideo movetur haec quaestio non parvi profecto facienda.

Tantummodo animadverti oportet impraesentiarum sermonem esse de hominibus singulis in individuo, non de societate, de qua agendum erit articulo sequenti.

67. Errores. Tot sunt adversariorum in hac materia genera, et tot crassissimi a turbulentis hominibus sparsi errores, ut vix possint ordine quodam, prout decet, numerari. Claritatis tamen gratia ad duas classes juvabit eos reducere. In *prima* recensendi sunt, qui necessitatem religionis pro individuo indirecte inficiantur; in *secunda* vero, qui directe et ex consulto eam impetunt.

1) Indirecte religioni admittendae sese opponunt a) *Atheistae* omnes, qui exsistentiam Dei negant, b) *Pantheistae,* qui Deum inter et hominem nullam distinctionem ponunt, c) *Materialistae,* qui animam spiritualem homini concedere nolunt, d) *Positivistac,* qui, duce Comte, cognitionem Dei et ordinis spiritualis a philosophia omnino ablegandam esse docent; e) et *Fatalistae,* qui omnia casu contingere blaterant.

2) Directe vero necessitatem religionis impugnant, a) *IndifférerUstae absoluti,* qui vitiis liberius indulgere volentes, Deum ajunt de nostris obsequiis minime curare, atque idcirco religionis causam indifferentem ac prorsus inutilem esse praedicant. Sunt et alii *Indifferentistae mitiores,* qui cultus Deo exhibendi aliquam necessitatem admittunt, sed cuique volunt liberum esse religionem, quam libuerit, amplecti. De his inferius redibit sermo, b) *Liberales absoluti,* qui, ut ait *Leo* **XIII** Encyclica *Libertas,* 20 Junii 1888, «in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem» J. De his quoque infra erit disserendum, c) Admissa nonnulli religionis necessitate in genere, partim eam negare videntur, dum dicunt orationem, in quantum est petitio, contradicere immutabilitati Dei, adeoque carere utilitate et efficacia. Ita cum aliis *Julius Simon* *. d) Non pauci nimis litteraliter intelligentes illud Joannis: *Spiritus*

1 *Acta S. Sedis,* vol. 20, 600.
2 *Religion naturelle,* p. 4, c. 1, «Pour débrouiller».

est Deus', et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare ', concludunt cultum externum non esse Deo exhibendum. Ita *Tomassius, Kant* et alii, e) *Machiavellus* demum [2] docet praejudicia religionis esse quidem utilia populis, ut solummodo pax et tranquillitas externa in statu civili servetur; quo fine decet Principes et Gubernia religionem simulare, non profiteri.

Hi et alii, si qui sint errores, ut profligentur, aperienda est ac defendenda vera Ecclesiae doctrina, ipsi rationi naturali minime impervia.

68. THESIS. Singuli homines tenentur aliquam religionem profiteri.

Ex quadruplici capite probari potest haec thesis. 1) Ex eo quod Deus jus habeat, ut ab homine revereatur ac colatur. 2) Ex obligatione qua homo adstringitur suum ultimum finem adipisci. 3) Ex consensu omnium gentium; et 4) quia, sublata religione, tolleretur omnino boni et mali conceptus, et obligationes morales hominis pessum abirent.

Prob. ex 1.° capite. Deus strictum jus habet, ut ab homine revereatur et colatur.

Arg. I. Deus est omnium et singulorum hominum supremus *dominus,* quia illos creavit, omnia dona naturalia eis misericors elargiendo; illos in esse conservat, omnia media, ipsum quoque halitum, quo vivunt, ne in propriam ruinam et nihilum praecipites abeant, concedendo; et operationes cunctas, quibus suam activitatem exerunt, illis tribuit, omnibus eorum actionibus concurrendo, ita ut merito dixeris hominem nihil habere quantum ad esse vel operari, quod a Deo, omnium auctore providentissimo, non acceperit. Atqui supremus omnium *dominus* jus strictum habet, ut qua talis ab homine practice agnoscatur, quod fieri non valet nisi reverentiam et cultum ei exhibendo. Ergo. Quare de illis, qui Dominum speculative agnoscentes, ipsum non reverentur, conqueritur Deus dicens: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* [3].

Arg. II. Deus est omnium singularis *benefactor,* quia cuncta bona visibilia et invisibilia, spiritualia et corporalia, naturalia et supematuralia, ut supremus omnium gubernator, gratis et liberaliter nobis contulit. Tanto autem *benefactori* debentur a quolibet grati animi sensus et perpetuae gratiarum actiones. Ergo.

Arg. III. Deus est amantissimus omnium *Pater* et *Rex* saeculorum immortalis. Patri autem debentur a filiis reverentia et amor; Regi vero a subditis honor et gloria. Ergo Deum debent omnes et singuli amare, revereri ac honorare; et consequenter tenentur singuli homines religionem aliquam profiteri.

Prob. ex 2.° capite. Ex obligatione ultimae felicitatis adipiscendae.

Arg. Homo tenetur suum ultimum finem seu felicitatem adipisci juxta illud: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus;* et quia insita est ei naturalis inclinatio ad felicitatem, cui, cum sit ultima ejus per-

1 *Joan.,* 4, 24.
2 *La mente di un nomo di Stato,* lib. 1, c. 12, § 4,
3 *Mal.,* i, 6.

fectio, renuntiare nefas est. Sed ultimum finem adipisci non valet homo citra professionem religionis. Ergo. Prob. Min. Ultimus finis hominis consistit in Dei possessione. Atqui ad Dei possessionem perveniri non potest nisi professione religionis. Ergo. Major patet ex philosophia, quia solus Deus potest satiare appetitum hominis ejusque desideria implere. Hinc praeclare ait S. Augustinus: «Fecisti nos (Domine) ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te» 1. Minor. Prob. Quia ad Dei possessionem iisdem actibus tendendum ac perveniendum est, quibus ille possidetur, cum possessio sit viae consummatio. Sed Deus possidetur tantummodo actibus intellectus et voluntatis honestis, qui, cum erga Deum exercentur, sunt professio religionis. Ergo ad Dei possessionem perveniri non potest nisi professione religionis, intelligendo nempe et amando ipsum.

Prob. ex tertio capite. Ex consensu generis humani.

Arg. Ex consensu generis humani, quando constans est et universalis, moraliter certum adsumi argumentum nemo unquam dubitat. Jam vero, omnes gentes unanimiter in longa generationum serie consentiunt in admittenda pro populis et gentibus, imo et singulis hominibus, religionis necessitate. Ergo. Exstant etenim clarissima scriptorum magni ponderis testimonia, quae religionem aliquam a) tum in populis antiquitus notis, b) tum in nationibus inde a saeculo xv inventis, semper viguisse et necessariam fuisse ostendunt.

a) *In populis* quidem *antiquitus notis.* Quia una est scriptorum totius antiquitatis vox atque sententia, quae aliquam religionem docet esse profitendam deosque colendos. *Plutarchus* ait: «Et si terras obeas, invenire possis urbes, muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes vel non utentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem templis diisque carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit nec videbit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam, opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut constare» 2. Item, *Tullius* «sua, inquit, cuique civitati religio.... est» 3. Et rursus praesens argumentum dilucide exponit, dicens: «Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet, omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est» 4. Eamdem gentium hac in re consensionem confirmat *Seneca* dicens: «Omnibus indita de diis opinio est, nec ulla gens unquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat» 5.

1 *Confess.,* lib. i, c. i; ML 32, 66i.
2 *Adv. Coloten. Epicuraewn,* c. 31, 4.
3 *Orat, pro Flacco,* n. 28.
4 *Tuscul. quaest.,* lib. 1, c. 13.
5 *Epist.* ii7, 5.

Hinc scriptores antiqui, in republica litteraria notissimi, unanimiter testati sunt religionem ab initio mundi apud omnes gentes et nationes, tunc temporis notas, semper exstitisse, et, cum caetera temporum diuturnitate ac rerum mundanarum fluctibus mutarentur, id unum, deorum nempe religionumque opinionem, immobiliter semper permansisse; idque non tantum documentis etnographicis demonstrant, verum etiam antiquis historiis, artibus, ac documentis, sacrificiis, oraculis, funeribus, auguriis, cultibus, juramentis, inscriptionibus, etc., ut jam dubitationi nullatenus adsit locus[1].

Ipsi quoque religionis osores jam persuaderi videntur hanc consensionem gentium circa necessitatem et exsistentiam religionis in populis revera exstitisse. *Recentes* enim investigationes his ultimis temporibus peractae penitus demonstrant homines in omnibus mundi aetatibus, etiam in statu primitivo, epocha quaternaria, et temporibus praehistoricis, sufficienter Deum cognovisse, eique religionis cultum obtulisse [2].

In nationibus item a saeculo XT' *usque ad recentiora tempora inventis* idem omnino contigit. Nam missionarii catholici et exploratores, qui una cum expugnatoribus latissimas illas regiones Asiae, Ainericae, Africae et Oceaniae peragrarunt, et omnium tribuum errantium mores ac traditiones satis accurate investigavere, diserte testantur nullum unquam in terris fuisse barbarorum genus aut populum, qui aliquam religionem non fuerit professus. Hinc ajebat *P. Acosta:* «Hoc commune apud omnes pene barbaros est. ut Deum quidem omnium rerum supremum ac summe bonum fateantur» [3]. Et hodie nullum esse terrae populum religione orbatum demonstrant computa ab eruditis recenter facta. «Hodie, inquit cl. *Hontheim i,* cum universa terra nobis patefacta est, omnes omnino gentes supremi numinis fide imbutas videmus. In universa terra hominum numerantur 1435 milliones. Ex his millionibus Christiani catholici sunt 218 [5]' sive. 15,2 %; Christiani schismatici et generatim acatholici 214 sive 15 %; Israelitae 8 sive 0,5 %; Mahumetani 120 sive 8,3 %; Brahmanistae 138 sive 9,6 %; Budhistae 503 sive 35 %; Feticistae 234 sive 16,4 %; sine religione autem nulla gens vivit» [6].

1 Cfr. Plato, *De legibus,* lib. io, n. 888; Tullius, *De natura deorum,* lib. 2, cc. 2-5; *De legibus,* lib. 1, c. 8; Julius Caesar, *De bello gallico,* lib. 6, c. 16; Tacitus, *De Moribus Germanorum,* n. 39; Tertullianus, *Adv. Marcion.,* lib. I, c. 10; ML 2, 282; Clemens Alexandrinus, *Stromal.,* lib. 5, c. 1; 1IG 9, 16; Lactantius, *De falsa religione,* lib. I, c. 1; ML 6, 115 sqq.

2 Dominus Benjamin Constant, *De la Religion,* t. 1, livre 1, chap. I, ajebat: «Les hordes sauvages, les tribus barbares... toutes «-prouvent la puissance de ce sentiment indestructible». Item, Stheintal, *Mythos und Religion,* 1870, pag. 24 inquit: «On n'a pas encore découvert un seul peuple chez qui cet élément de la vie humaine faisait défaut». Ac demum Dominus de Cust, *Les religions et les langues de l'Inde,* 1880, p. 102 haec habet: «Toutes les inscriptions anciennes dans tous les pays attribuent a la faveur des dieux les succès des hommes».

3 *De procur. Indor, salut.,* lib. 5. Ipsemet Quatretages, *Hist, générale des races humaines,* pag. 254, hanc veritatem plene confirmat dicens: «Quiconque aura pris la peine d'étudier la question à ce point de vue, la seule vraiment scientifique constatera bien vite l'existence de la religiosité dans ['universalité des hommes».

4 Honthoim, *Theodicea,* n. 407.

5 Worner, *Orbis terrarum catholicus,* p. 4, et alii ad 230 vel 300 milliones hodie catholicorum numerum elevant.

° Idem auctor addit ibidem in nota: «Numeri sunt ex Hubner». *Geograph-*

Prob. 4.a pars. Sublata religione, tolleretur omnino boni et mali conceptus, et obligationes morales hominis pessum abirent.

Arg. Nulla potest concipi obligatio sine lege, quia ut ait Apostolus, *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio* x; et *peccatum non cognovi nisi per legem* 2. Sed sine religione non potest dari lex. Ergo 3. Prob. Min. Sublata religione, tollitur idea Dei. Sine Deo autem non potest exsistere auctoritas, nec legislator, neque lex, quia omnis potestas a Deo est 4. Ergo sine religione non potest dari lex nec obligatio moralis. Dilucide, ut solet, *S. Thomas* hoc argumentum illustrat dicens: «In omnibus autem moventibus ordinatis oportet, quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis primi, quia movens secundum non movet nisi in quantum movetur a primo. Unde in omnibus gubernantibus idem videmus, quod ratio gubernationis a primo gubernante ad secundos derivatur, sicut ratio eorum, quae sunt agenda in civitate, derivatur a rege per praeceptum in inferiores administratores; et in artificialibus etiam ratio artificialium actuum derivatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. Cum ergo lex aeterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quod omnes rationes gubernationis, quae sunt in inferioribus gubernantibus, a lege aeterna deriventur» 5. Et *Cicero,* esto gentilis, praeclare loquitur: «Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei» 6.

Unde sublato Deo, gubernatore providentissimo et supremo legislatore, tollitur etiam lex et obligatio inde exsurgens, ac idcirco corruat necesse est omnis ratio boni aut mali, virtutis et vitii. Ratio enim humana nequit esse supremus moralitatis fons ac arbiter. Hinc merito damnata est a *Pio IX* in suo Syllabo propositio 3.a, quae sic se habet: *Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum et populorum bonum curandum sufficit»:* et 4.a, quae dicit: *«Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuScumque generis veritatum adsequi possit ac debeat* 7.

statist. Tabellen alter Lander der Erde 1884.—Inter Budhistas numerantur omnes Sinenses, quamvis plurimi Sinenses adhaereant Confucianisme vel Taoismo. Similiter sub nomine Feticismi praeter alias comprehenduntur religiones paganae omnes Australiae, Africae, Americae».

1 *Rom.,* 4, 15.

2 *Ro»i.,* 7, 7.

3 Hoc argumentum strenue prosequitur P. Ceballos in sua *Falsa Filosofia* lib. i, p. 2.

4 *Rom.,* 13, i.

5 *I-II,* q. 93. a. 3.

6 *De legibus,* lib. 2, c. 4.

7 Donz-Bannw., 1703-1704.

69. Thesis II. Impie dicitur a rationalistis orationem, in quantum est petitio decentium a Deo, inutilem esse ac prorsus inefficacem, et Deum hominemque non decere.

Arg. I. Nihil sane frequentius docetur in sacris litteris, quam utilitas et efficacia orationis. Angelus ait Tobiae: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* [1]; et passim in Evangeliis exhortamur, ut preces supplicationesque Deo assidue effundamus. Matthaei dicitur: *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, -pulsate et aperietur vobis* [2]. Et rursus: *si... vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* [3]. Hinc nullus est ex SS. Patribus, qui orationem enixe non commendaverit. Quod et in Ecclesiae documentis confirmatum semper comperimus.

At quia hic contra rationalistas et incredulos, qui auctoritatem S. Scripturae et SS. Patrum audacter denegant, aciem vertimus, ideo ad alia argumentorum genera confugiendum est.

Arg. II. Deus, utpote auctor et Dominus omnium rerum, est omnino dives in omni genere bonorum tum spiritualium tum materialium, homo vero indigens. Indigentium autem est subsidia sibi necessaria a divitibus postulare. Ergo homini proprium est in hujus vitae discrimine et necessitatibus ad Deum frequenter recurrere, ab eoque bona cuncta, quibus opus habet, suppliciter postulare.

Arg. III. Ad majorem Dei gloriam nostramque utilitatem non parum conferre conspicimus, cum nostram infirmitatem agnoscentes, divinae tradimus ordinationi; et gratitudinis sensum erga eum in nobis ipsis moventes, Deum confitemur fontem et largitorem omnium bonorum, ab eoque bona poscimus. Ergo impie dicitur orationem, in quantum est petitio decentium a Deo, esse inutilem.

Non ergo Deum hominemque dedecet assidua et fervens fidelium deprecatio.

Nec refert, si dicas cum *Kantio* Deum omniscium esse et nostris supplicationibus non egere, ut omnium necessitates agnoscat et remedium opportunum providens ac beneficus praesto adhibeat. Non refert, inquam, quia, ut praeclare ait S. *Thomas,* «non est necessarium nos Deo preces porrigere, ut ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum» [4].

Scholion. Ex his non incongrue colligere licet hominem teneri cultum internum, qui actibus *mentis* et *cordis* constat, Deo exhibere. «Consistit... interior cultus, ait S. *Thomas,* in hoc quod anima conjungatur Deo per intellectum et affectum» [5]. Constat quatuor potissimum actibus. 1) *Adoratione,* qua supremum Dei dominium confitemur. 2) *Gratiarum actione,* qua pro acceptis beneficiis gratias Deo rependimus. 3) *Petitione,* qua divinam bonitatem ac misericordiam precibus flectere

1 *Tob.,* 12, 8.
2 *Matth., 7,* 7.
3 *Matth.,* 7, 11.
4 *II-II,* q. 83, a. 2 ad i.
5 *I-U,* q. 101, a. 2.

conamur. 4) *Poenitentia,* qua Deum, si quando peccatis offendimus, placare curamus.

70. THESIS III. Tenetur homo Deo tribuere cultum non solum internum sed etiam externum.

Arg. I. *Ratione constitutionis hominis.* Nam Deus non solum animam nostram sed etiam corpus creavit, et innumera beneficia non tantum spiritualia, verum etiam corporalia gratis hominibus contulit. Atqui, quod a Deo est, debet sui ipsius a supremo auctore dependentiam fateri, et famulatum ac obsequium servitutis ei exhibere. Ergo debet homo, non solum anima sed etiam corpore, Deum, spiritualium et corporalium largitorem colere[1]. Hinc in Collecta dicitur: «Ut, divinis rebus inhaerentes, et corpore tibi famulemur et mente» [2]. Et merito docemur a S. *Thoma* hominem nunquam fore plene religiosum absque cultu externo, quia non se totum ligaret Deo.

Arg. II. *Ratione nexus cultus externi et interni.* Ea est naturae humanae conditio, ut actus interni cordis nati sint excitari ac foveri per actus externos corporis, et vicissim actus externi oculorum, vultus ac membrorum producantur per actus et affectus internos animae. Unde proverbium: *ex abundantia cordis os loquitur.* Ergo, ut cultus internus hominis erga Deum ferventior sit ac vividior, requiritur cultus externus. Vicissim ex actibus internis, quibus in secreto cordis ac mentis Deus colitur, quasi ex causa connatural! procedunt actus externi, qui constituunt cultum externum. Duplici ergo causa adsumuntur opera exteriora in cultu Dei, ut ait *Toletus,* «1.° quia effectus sunt abundantiae devotionis internae; 2.° ad excitandam devotionem internam» [3].

Neque obstat locus ex Joanne [4] supra relatus. Nam, si verba recte interpretentur, sensus est, quod Deus debeat adorari i) *in spiritu* et non solum apparatu exteriori et verborum cortice, sed principaliter cultu interiori, quin tamen ex hoc damnari videantur opera externa; 2) *in veritate,* id est, non in figura, ut fieri solebat in A^eteri Testamento.

ARTICULUS III

UTRUM SOCIETATI NECESSARIA SIT ALIQUA RELIGIO

71. Status quaestionis. *Societatis notio.* Societas in genere definitur: *Coetus* seu *congregatio plurium in communem finem sub uno praeside, qui auctoritatem exercet, conspirantium.*

Dicitur 1.° *Coetus* seu *Congregatio plurium;* quia ad societatem requiritur, ceu materia, multitudo, non utcumque, sed moraliter juncta et congregata, quae efficit *corpus sociale,* quaeque *persona moralis* recte appellatur. Hoc corpus sociale est subjectum completum et adaequa-

1 Cfr. S. Thomas, *I-IÏ,* q. IOI, a. 2.
2 Secreta orationis *Ecclesiae* contra persecutores Ecclesiae, sub. n. 10.
3 *II-II,* q. 81, a. 7 ad **1**,-,
4 *Joan.,* 4, 24.

tum jurium et officiorum, quae pertinent ad societatem; membra vero seu individua, quibus constat, sunt subjectum partiale[1].

Dicitur 2,° *In communem finem conspirantium.* Quia non quaelibet multitudo est societas, sed quae in finem aliquem communem tendit; neque ejus objectum est otio tabescere, sed efficaci mediorum applicatione finem aliquem prosequi. Ut autem membrorum inter se conjunctio firmior sit ac stabilior, omnia in finem communem conspirent oportet, quod sane efficere nunquam valebunt, nisi singula, collatis viribus, bonum commune sociale quaerant.

Additur 3.° *Sub uno praeside.* Nam hominum multitudo, quomodolibet congregata, nequit finem omnibus communem adsequi, nisi sub directione auctoritatis. Qui hanc auctoritatem obtinuit ac retinet, cuique omnes parere tenentur, *praeses* seu *princeps* nominatur, et habet jus dirigendi singulorum actiones ad finem socialem.

72. Divisio. Societas alia est *religiosa* alia *civilis. Religiosa* est *Coetus hominum viatorum ad finem spiritualem per media ad hoc excogitata tendentium. Civilis* est *Coetus plurium familiarum et communitatum vel etiam populorum in una terrae plaga ad unum finem communem organice coadunatus.* De hac solummodo impraesentiarum disseritur.

Potest esse *perfecta* vel *imperfecta. Perfecta* dicitur societas *quae per se sola ad modum unius moralis uniformiter subsistit et sibi soli sufficit ad consequendum suum finem. Imperfecta,* quae vel per se sola non subsistit, vel non sufficit ad suum finem consequendum. Hoc pacto *imperia* et *regna* sunt societates perfectae; *principatus, provinciae* et *civitates* etiam sunt perfectae, si *absolute* considerentur, secus vero, si ut partes totius regni accipiantur. *Familia,* quae appellatur *societas domestica, vicus,* et societates aliae privatae (vulgo companias), quae ad humanum commercium constituuntur, sunt societates imperfectae[2].

Auctoritas seu potestas suprema societatis civilis residet in uno capite vel pluribus juxta formam regiminis, sed, sive sint plura capita sive unum, semper praesunt per modum unius; ideo dicitur societas semper uno capite regi, quia auctoritas est una.

Finis societatis civilis est triplex, nempe *proximus, medius* et *ultimus.* a) *Finis proximus* est *bonum commune temporale.* Hoc autem obtinetur, quando, sancitis a principe legibus justis et honestis, avertuntur a sociis seu civibus discordiae ac seditiones, et consequitur pax atque tranquillitas publica, imo et per exercitium jurium et officiorum comparantur ea bona, quae corpori sociali et omnibus, vel fere omnibus, sociis censentur utilia, quaeque a particularibus nequeunt obtineri, b) *Finis medius* est *felicitas temporalis* civium, in quantum ii per evolutionem internam ac externam omnium elementorum ad statum perfectum, qui in hac mortali vita acquiri potest, perveniunt, c) *Finis ultimus* est *possessio Dei* seu aeterna membrorum beatitudo. Finis igitur proximus et finis medius in finem ultimum ordinari in eoque compleri lebent.

Haec omnia paucis accipe.

1 Cfr. Zigliara, *Propaedeid.,* lib. 4, c 3, n. 9.
3 Cfr. p. Raphael a S. Joseph, *Ve legibus,* n. 7.

Materia societatis sunt membra, quibus componitur. *Forma* vero est junctio moralis membrorum, quae consistit in unione *intelligentiarum, voluntatum* et *virium* in ordine ad finem socialem. *Auctoritas* est jus obligandi membra societatis, ut ad bonum commune suis actibus conspirent. *Finis* demum est id, ad quod *corpus sociale* seu *persona moralis* tendere debet, quodque ultimo consistit in aeterna membrorum beatitudine x.

Certo supponendum est nullam societatem posse sine religione ultimum finem seu aeternam sociorum beatitudinem adipisci: *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [1][3]

Sed quaestio est non parvi facienda, num societas civilis possit saltem *salva consistere* et perennis in terris perseverare absque ulla religionis professione, ita ut sit possibilis societas, quae atheis componatur.

73. Errores, i) Omnibus fere anteactis saeculis exstiterunt perversi quidam homines, qui cum necessitatem agnoscerent pro individuis aliquam religionem profitendi, dixerunt societatem civilem nihil habere cum religione, utpote quae possit absque ulla religione subsistere.

Hanc theoriam in praxim deducere conatus est saeculo xvni quidam *Robcitus Owen,* ex Newton, Angliae pago, oriundus, qui, ut ait cl. Card. Mazzella s, ideis impii philosophismi imbutus, societatem absque religione fundare et instituere aggressus est, solum de bonis materialibus rerumque corporalium fruitione sollicitam. At rem esse impossibilem eventus ei comprobavit.

2) Inter omnes tamen errores, qui novissimis hisce temporibus undique grassantur, funestissimus dicendus est proculdubio hodiernus *athcismus philosophicus* et *politicus.* Homines increduli, Statuum administrationem iniquissimis mediis adepti, religionem non modo inutilem verum etiam noxiam ac perniciosam esse ajunt progressui societatis, atque ideo totam religionem ejusque praxim tum ab individuis tum a societate, et praesertim ab ejus regimine, summa vi conantur avellere. Hinc proveniunt tot ploranda populis mala; quo enim societates a Deo et religione magis averti contigerit, eo frequentiores experiuntur tumultus, seditiones ac bella. Quia igitur hodierni politici, res divinas parvi pendentes, et repudiata omni religionis specie, contendunt societatem vi materiali et armorum apparatu solidandam esse, Deus eorum consilia illudere videtur, cum ubique nonnisi anxietas et animorum inquietudo conspicitur, populorum conditio ingravescit, et insurgunt turbae contra Statuum rerumque publicarum administratores, omnia destruere volentes, ipsamque societatem evertere conantes.

3) Nec ipsi catholici, qui necessitatem religionis pro societate admittere ac tueri visi sunt, conveniunt in adsignando gradu hujusce necessitatis. *Alii* siquidem contendunt necessitatem ejus esse *physicam,* ut societas salva consistere possit; *alii* vero necessitate *morali* contenti sunt, quae tantam arguat difficultatem, ut moraliter certum sit non esse duraturam societatem, quae religionem omnino repudiaverit>

74. Thesis. Ipsam societatem civilem urget necessitas religionis profitendae, ita ut nequeat societas civilis salva consistere aut multum perdurare absque ulla religione.

Arg. I. Romani Pontifices, praesertim *Pius IX* et *Leo XIII* id luce meridiana clarius in suis Encyclicis et Constitutionibus docuere, non

1 Cfr. P. Marcellus, *Jus naturae,* disp. 3, q. 2.
2 *Heb.,* ii, 6.
3 *De Helig. et Eccl.,* n. 31.

solum errores contrarios proscribendo, verum etiam disertis verbis adserendo religionem esse unicum justitiae ac juris fundamentum, a quo veluti a fonte omnis honestatis, virtutis, pacis, ordinis ac tranquillitatis notio derivetur. «Quoniam, inquit *Pius PP. IX*[1], ubi a civili societate fuit amota religio ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiae humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae justitiae legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet, cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare: *Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam:* et in ordine politico *facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.* Verum ecquis non videt planeque sentit hominum societatem, religionis ac verae justitiae vinculis solutam, nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis?». Hinc proscribendam duxit non solum propositionem hic relatam, sed etiam aliam quae docet «optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur ac gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non exsisteret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine» [2].

Arg. II. Societas civilis salvari non valet nec perennis exsistere, nisi in ea serventur officia justitiae, obedientia legibus, et mutua membrorum inter se dilectio, ut facile quisque videt. Haec autem nullatenus possunt in societate religione orbata servari. Ergo. Major patet, quia, posthabitis justitia, obedientia et caritate mutua, nec concipi potest unio membrorum in communem finem conspirantium. Prob. min.

P. In genere.

a) Quia justitia, obedientia et mutua dilectio servari nequeunt absque *obligatione* morali; siquidem sunt virtutes, quae plerumque acquiruntur per actus exercitos in satisfactionem obligationis conscientiae. Ostensum autem est superius nullam obligationem moralem exsistere posse sine religione. Ergo nec praedicta possunt custodiri in societate orbata religione, b) Quia sine religione non est sufficiens sanctio, vel quia actiones saepe sunt ignotae, vel quia, si innotescunt, ab hominibus tergiversantur, vel quia legis praescriptio non omnes attingit, vel aliis de causis saepe saepius homines eludunt actionum suarum responsabilitatem. Absque sanctione autem legum penitus rueret in Republica omnis notio justitiae, obedientiae, membrorumque concordiae, c) Sublata religione, nulla fides foret adhibenda testibus, nullum haberet valorem juramentum. Societas autem, in qua testes fide privantur, et

1 Encycl. *Quanta Cura,* 8 Dec., 1864; Denz-Bannw., 1691.

2 Encycl. *Quanta Cura,* prop. 1.“; Denz-Bannw., 1689. Cfr. etiam inter alia documenta Constitutio *Humanum genus,* 20 Ap. 1884, et Encyçlicae Leonis X1П, *Libertas,* 20 Jun. 1888, *Sapientiae Christianae,* 10 Jan. 1890, et *Herum novarum,* 15 Maj. 1891, in quibus *Massonum, Communistarum, Socialistarum* et aliorum religionem a societate avertere conantiuni greges profligantur

jusjurandum non firmat veritatem, necessario peribit, quia controversiae nunquam finem attingent, neque animorum discordiae cessabunt. Hinc *Cicero* «nullum enim, inquit, vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt» [1]. Et alibi ait: «Quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantae salutis sint foederum religiones? Quam multos divini supplicii a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum judicibus tum testibus?» [2].

2. In particulari.

a) *De justitia.* Repudiata religione et morali obligatione conscientiae, gehennaeque metu sublato, quis valeat homines inducere, ut propriae utilitati praeferant aliorum jura? Maxima enim longe pars civium, nisi religionis obligatione urgerentur, divitias ac utilitatem propriam prae omnibus aliorum juribus optarent acquirere, et, adhibitis mediis saepe injustis, curarent concives suos tenuiores opprimere. Pravi homines ad summa molienda congererent capitale, et pecunia fraudibusque undique conflatis effugerent poenas pro crimine sibi debitas, dum ipsae auctoritates, si quae possunt absque religione exsistere, et homines publici, de rebus dumtaxat temporalibus solliciti, non jam administrandae justitiae sed commoditatibus sibi cumulandis curam impenderent. Ad rem apposite *Tullius:* «Quod si justitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum; et si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt, negliget leges, easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino justitia, si neque natura est, et ea, quae propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur» [3].

b) *De obedientia legibus.* Vera nominis obedientia non potest legibus praestari, nisi prius ipsae leges vim obligandi obtineant. Sublata autem religione, nulla inest legibus vis obligandi; quia obligatio, quam inducunt leges quaecumque, derivatur a lege aeterna. Lex autem aeterna nonnisi ope religionis agnoscitur. Unde, neglecta religione, nulla conceditur legibus vis obligandi; atque ideo subditi exsistimantur soluti a vera obedientia, quam jus naturale docet legibus deberi.

c) *De mutua membrorum inter se dilectione.* Haec mutua membrorum dilectio servari nequit, nisi quilibet bonum commune prosequatur et pacem ac concordiam fovere satagat. In societate autem, quae fingatur absque religione constituta, quis fuerit boni communis insecutor ac pacis concordiaeque amans? Pauci profecto sunt, qui, neglecta religione, finem honestum sibi praestituant, suosque concives revereri, ut societatis jura et incolumitas petunt, studeant.

Arg. III. Ut societas aliqua possit salva consistere requiritur omnino auctoritas, quae omnes socios in finem socialem promoveat. Niilla autem potest dari auctoritas sine religione. Siquidem ad auctoritatem pertinet liberas sociorum voluntates ligare, ut in finem communem praestitutum uniformiter conspirent, et praeses citra religionem non

1 *De olfic.,* lib. 3, c. 31.
2 *De Leg.,* lib. 2, c. 7.
3 *De Leg.,* lib. 1, η. 15.

habet a quo facultatem accipiat ligandi aliorum civium voluntates. Non *a Deo,* quia, rejecta religione, inficiatur Dei exsistentia; non *a se,* quia omnes homines sunt natura pares; non *ab aliis hominibus,* quia nemo dat, quod non habet. Ergo, rejecta religione, destruitur et ruit auctoritas, quae est elementum necessarium ad societatem, ac idcirco molitur societatis ruina.

Arg. IV. Societas civilis, ut communis fert sententia, personae moralis rationem habet, ita ut, semel constituta, sui juris sit et jurium ac officiorum subjectum. Unde cujuslibet personae particularis conditionibus vestitur. Jam vero, persona particularis, qua individuum, dependet a Deo, et subjicitur obligationi religionis profitendae. Ergo pariter societas, ut persona moralis est, tenetur religionem amplecti ac profiteri. Hinc S. *Augustinus* ajebat Regem aliter Deo servire qua homo est, et aliter qua Rex est: «Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam Rex est, servit, leges justa praecipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo: sicut servivit Ezechias lucos et templa idolorum, et illa excelsa, quae contra praecepta Dei fuerant constructa, destruendo... sicut servivit Rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo... sicut servivit Nabuchodonosor, de quo jam diximus, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo» [1]

ARTICULUS IV

UTRUM CUIQUE LIBERUM SIT QUAM LIBUERIT RELIGIONEM PROFITERI

75. Status quaestionis. Omnis homo devincitur Deo religione, quasi vinculo quodam morali, et, tum qua individuus tum qua in societate constitutus, adstringitur, sicut, dictum est, ad aliquem cultum supremo numini exhibendum. Verum religiones plures et inter se dissidentes in mundo excogitatae sunt, et dii adeo ab hominibus multiplicati, ut vix possint a quopiam numerari. Hinc disputatur catholicos inter et indifferentes, an quilibet moraliter teneatur unam, eamque veram, religionem amplecti, vel e contra utrum cuique liberum sit, quam libuerit, religionem profiteri.

Animadvertendum est necessitatem unicae religionis profitendae dupliciter proponi posse: a) respectu hominis *individui,* b) respèctu *societatis.*

In praesenti articulo agendum erit de homine *individuo,* in sequenti vero de *societate.*

76. Errores. Praeter *indifferentismum absolutum,* qui nullam homini esse obligationem religionis profitendae docet, alius datur *indifferentismus* mitior, qui et *indifferentismus relativus* audit. Hic error, jam olim a *Basilide* et *Apelle* invectus[2], plures hodiernis temporibus nactus est sequaces, et libertatem tribuit cuique ex variis religionibus unam pro suo lubito am-

1 *Epist.* 185 (al. 50) *ad Bonifacium,* 11. 19: ML 33, 801.
2 Cfr. Eusebius, *Hist. Eccl.,* lib. 4, c. 7; MG 20, 316; et lib. 5, c. 13; MG 20, 460.

plectendi. Distinguitur duplex, *universalis* nempe et *particularis. Indifferentismus universalis* omnes religiones putat esse aeque bonas ac utiles ad salutem aeternam consequendam, ac proinde posse hominem ex omnibus unam, vel etiam nunc unam nunc alteram, citra peccatum excogitare pro cultu Deo exhibendo, ut Catholicismum, Mahumetismum, Budhismum, etc. [1]. *Particularis* admittit quidem unam esse tantummodo religionem veram, eamquc profitendam, sed ratus est omnes sectas sub illa religione contentas esse veras, et sufficere quamlibet earum profiteri. Sic sub Christianismo continentur Catholicismus, Protestantismus, schismata varia, etc., et contendunt indifferentistae particulares posse hominem in quolibet eorum salvum fieri [2].

Vix ab hoc errore differunt *Latitudinarismus* et *Toleraniisinus religiosus,* qui et *dogmaticus,* ad distinctionem *tolerantiae politicae* seu *civilis,* nuncupatur. *Toleraniisinus dogmaticus,* sicut et *indifferentismus universalis,* praedicat *omnes religiones earumque sectas esse aeque bonas ac utiles, et homini pro fine ultimo consequendo salutares. Tolerantïsmus politicus* seu *civilis,* de quo in articulo sequenti, ad auctoritates spectat, et est *ea legum ordinatio, qua libertas cultuum publica permittitur, et externa professio cujuslibet religionis aeque protegitur.*

Cum iisdem maxime connectitur *libertas conscientiae* et *cultuum, Liberalistnus* et *Rationalismus,* qui privatae rationis esse docent judicare de veritate et falsitate religionis.

Hunc *Indifferentismum* suis discipulis suasisse videtur *G. Hermesius,* qui [3], ut ait Granderath *Const, dogm. SS. Concilii Vaticani, De doctrina catholica,* «hortatur candidatos theologiae et consequenter omnes (eos, saltem, qui scientifico examini sunt idonei), ut dum in inquisitione versantur, erga quamvis religionem, ex. gr., catholicam aut Christianam, omnino indifferenter se habeant, sibique persuadeant sancte se agere sequendo rationem, quocumque demum ea deduxerit».

77. Thesis I. Unica est vera religio.

Arg. Religiones sibi invicem oppositae et contradictoriae nequeunt omnes esse verae, sed una'dumtaxat ad summum erit vera, aliis falsis exsistentibus; quia omnis religio constat propositionibus theoreticis, quae intellectui tanquam verae, et officiis, quae voluntati tanquam honesta, proponuntur. Hae autem diversarum religionum propositiones contradictoriae sunt, ut patet ex religionum oppositione. Sic polytheistae plures deos, monotheistae unum tantummodo ponunt, efficaciam sacramentorum ad producendam gratiam catholici admittunt, protestantes omnino respuunt; Christum esse verum Deum et legatum divinum Christiani defendunt, hebraei vero et nestoriani haeretici negant, etc. Porro contradictoriarum una tantum potest esse propositio vera, altera necessario falsa. Ergo nonnisi una potest esse religio vera. Cum autem nemini licitum sit errori adhaerere, sed omnes teneantur verum profiteri, sequitur omnes homines ad unam, eamque veram, religionem amplectendam adstringi.

78. THESIS II. Omnes homines tenentur unicam veram religionem profiteri. Quapropter prorsus rejiciendus est Tolerantismus dogmaticus.

1 Imo et per religionem naturalem, neglectis religionibus positivis, ajunt nonnulli satisfieri officiis erga Deum adimplendis. Ita Julius Simon, *La religion naturelle,* 4TM«. p., ch. 2.

2 Hoc *indifferentismi* genus professa est societas, quae dicitur *Association for Promoting the Union of Christendom,* anno 1857, Londini constituta.

3 *Introd. Positiv. ad Theol.,* p. 30.

Arg. 1) Quamplurima sunt Ecclesiae documenta, quibus *Indifferentismus* et *tolerantia dogmatica* expresse damnantur. *Pius PP. IX* Encyclica *Qui -pluribus* ait: «Huc spectat horrendum ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omnis virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis, ad tenebras, et conventio Christi ad Belial»[1]. Et Encyclica *Singulari quidem* ait: «A qua turpissima sane *indifferentismi* forma haud admodum distat illud de religionum indifferentia systema e tenebris eruptum, quo homines a veritate alienati, veraeque confessionis adversarii, suaeque salutis immemores, et inter se pugnantia docentes et nunquam stabilitam sententiam habentes, nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, et pacem passim cum omnibus miscent, omnibusque aeternae vitae portum ex qualibet religione patere contendunt. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum àd unius veritatis expugnationem conspirent» [2].

Unde ipsemet Pontifex in suo Syllabo damnavit has propositiones: 15 *«Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit»*. Et 16 *«Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt»* [3].

Eumdem errorem non obscure proscripsisse videtur Concilium Vaticanum, dum ait: *«Qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi»* [4]. Et ibid., can. 6, definit: *«Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientijicam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s.»* [5].

2) Adde quod Indifferentismus maximam Deo infert injuriam, dum eum supponit aeque verum ac falsum in materia religionis admittere, praecepta licita vel illicita promiscue hominibus imponere, et cultus honestos vel libidinosos indiscriminatim acceptare. Imo et temeritatem arguit, dum non curat ea investigare, a quibus certissime pendet hominum salus aeterna.

Objectionibus satisfit.

79. Obj. 1.° Plures sunt religiones, quae vera docent et honesta praecipiunt. Ergo licet eas indiscriminatim profiteri. Prob. Ant. Plures ac inter se dissidentes religiones proponunt legem naturalem esse integre servandam. Lex autem naturalis et vera continet ac honesta praecipit. Ergo.

1 Encycl. *Qui pluribus,* 9 Nov. 1846; § «Jam vero».
2 Encycl. *Singulari quidem,* 17 Martii 1856; § «Jam vero».
3 Cfr. Encycl. *Quanta Cura,* 8 Dec. 1864: *Libertas,* 20 Junii 1888, et *Immortale Dei,* i Nov. 1885.
4 *Sess.* 3, *Const. De fidc.cath.,* c. 3; Denz-Bannw., 1794.
° *Sess.* 3, can. 6, *De fide:* Donz-Bannw., 1815.

Resp.—Neg. Ant. Ad probationem, Dist. Maj. Plures ac inter se dissidentes religiones proponunt legem naturalem esse integre servandam, et simul docent religionem revelatam esse respuendam. Cone. Sistunt in proponenda tantummodo lege naturali, Neg. Ex quo enim religio aliqua excludit revelationem supernaturalem, dicenda ‹ st inhonesta ac falsa, saltem negative, utpote incompleta. Praeterea, omnes religiones, praeter catholicam, non solum negant veritates a Deo revelatas, sed et ipsis veritatibus ac legibus naturalibus quamplures superaddunt errores et cultus superstitiosos, supremo numini maxime injurios.

Obj. 2.° Si vera religio esset unica, semper et ubique una fuisset, quia verum semper unum idemque est. Vera autem religio non fuit semper eadem. Ergo. Prob. Min. Judaismus et Christianismus ex diametro opponuntur, et nihilominus uterque fuit vera religio. Ergo vera religio non fuit semper eadem.

Resp.—Dist. Maj. Semper et ubique una fuisset quoad dogmata et officia aut praecepta absoluta et moralia, Cone. Quoad officia hypothetica, pro populo judaico aut gente particulari data et praecepta caeremonialia, Neg. Dogmata enim et praecepta seu officia, quae universim cunctos homines respiciunt, nunquam mutantur, et quoad haec omnia semper immobiliter perseverat religio. Sic Deus unus in essentia et trinus in personis fuit semper et ubique praedicandus, infinitae perfectionis agnoscendus, debito honore colendus, etc. At fides in Christum venturum quae Christi praedecessores adstringebat. et praecepta caeremonialia, ut circumcisio, sacrificia, etc., quae populum judaicum respiciebant, revera mutata sunt. Sed minime praetereundum est essentiam religionis integram ac salvam consistere, quando dogmata et praecepta moralia intacta servantur, licet caeremoniae et officia unius vel alterius populi radicitus mutentur.

80. Scholion. Unitas religionis non impedit, quominus in una societate diversi status reperiantur, et pro statuum varietate diversae leges condantur, aut diversa praecepta a legitima auctoritate imponantur. Sic in religione catholica, quae unice vera est, *alii* sunt clerici in plures gradus distributi[1], *alii* religiosi Deo in coenobiis specialiter mancipati, et *alii* laici, qui in saeculo vitam traducunt; *nonnulli* castitatem voluntarie servant, *alii* vero matrimonio ad foetus propagationem junguntur; *quidam* jejuniis et abstinentiis dediti sunt, *alii* vero omnibus cibis indiscriminatim vescuntur; *non pauci* in aliquibus terrae plagis a pluribus Ecclesiae praeceptis dispensantur, dum *caeteri* mundi incolae catholici legibus ecclesiasticis stricte ligantur. Haec, inquam, unitati religionis minime obstant, quia una est fides, eadem sacramenta, immutabilia praecepta ac officia absoluta, quibus Deo devincimur.

ARTICULUS V

AN SOCIETAS IPSA TENEATUR VERAM RELIGIONEM PROFITERI AC TUERI

81. Status quaestionis. 1. Manifestum est societates omnes legibus divinis obstringi, ne socios a vera religione profitenda positive avertant, quia nulla societas potest jura et obligationes membrorum proterere, sed potius debet ea protegere ac tueri.

Verum ad ipsam professionem religionis directam quod attinet, dupliciter potest societas se habere: 1) leges justa praecipientes condendo,

[1] Cfr. *Concil. Ttid.,* sess. 23, can. 2 et 6; Denz-Bannw., 962 et 9O6.

2) officia erga Deum, etiam ut societas est, persolvendo. Societatem utroque modo, qua persona moralis est, vinculo quodam erga Deum adstringi demonstrandum suscipimus.

2. Simul cum hac controversia quaestio heic magni momenti agitatur de *Tolerantia civili* seu *politica,* quae permittit, ut diximus, pluralitatem cultuum, et pluribus religionibus externam protectionem aeque dispensat. Et inquiritur an et quando haec pluralitas cultuum seu *Tolerantia politica* admitti queat.

Quod ut probe explicetur, animadvertendum est religiones falsas et a catholica dissidentes in duplici esse differentia: a) *aliae* ita dicuntur falsae, ut legi naturali nullatenus adversentur, neque *bonos mores* saltem directe *corrumpant;* tales censentur religiones nestorianorum, eutychianorum, etc.; b) *aliae* vero sunt, quae legi naturali directe repugnant, *bonosque mores corrumpunt,* ut sunt quamplurimae formae polytheismi.

3. Declarandum igitur est quomodo societas civilis teneatur veram religionem profiteri, et quando possit religiones ab unica vera dissidentes tolerare.

82. Errores. Hodierni *liberales* nullam volunt in societate agnoscere obligationem religionis profitendae, sed Status independentiam tueri oportere praedicant; *liberales* quidem *radicales* independentiam absolutam, ita, ut nulla exsistat cui parendum sit divina potestas ', et Status nulli se subjiciat legi supernatural!, nec naturali, nec positivo divinae; *mitiores* vero quos apprime describit Leo XIII in encyclica *Libertas* societatem civilem nulli legi subesse contendunt nisi juri ac rationi naturali. *Radicales* nullam prorsus legem, et *mitiores* divinas leges pro privatis tantum non pro civitate admittunt !.

Licet praesentis materiae ratio non patiatur omnes heic Liberalismi formas explicare, unum tamen velim notatum haberet candidatus lector, scilicet juxta omnes liberales, sive *radicales* sive *temperatos,* societatem, qua talem, emancipari debere a lege positivo-divina, saltem «ut Ecclesia obsequatur tempori» 2, et nullam se subjiciendi praeceptis ecclesiasticis habere obligationem. Ex quo necessario sequitur Status independentia, imo, si res urgeatur, omnipotentia. Societas enim, soluta ab auctoritate divina et obligationibus inde exsurgentibus, constituitur autonoma et boni ac mali arbiter. Hoc sensu *Liberalismus,* ut optime ait *Lahousse* 45 viam paravit *Socialisme,* qui eamdem, ac Liberalismus societati, tribuit potestatem individuis, hac sola differentia, quod socialistae extendunt etiam ad ordinem oeconomicum, quod liberales in ordine religioso, morali ac politico, volunt contineri. Haec est legitima consequentia systematis *Rousseau, Scheling* et *Hegel,* quos plerique recentiores sequuntur. Unde *D. Bebel* ajebat die 31 Decembris 1881 in Reichstag germanico: «in ordine politico persequimur rempublicam, in ordine oeconomico socialismum, in ordine religioso atheismum» 6.

Ex diversa, quam liberales admittunt, circa principia fundamentalia opinionum varietate, exsurgunt necessario diversae eorum theoriae circa tolerantiam pluralitatis cultuum.

Nonnulli hodie politici impii tale bellum soli religioni catholicae ejusque ministris indicunt, ut omnes promiscue religiones, excepta catholica, admittere videantur 6.

1 Encycl. *Libertas,* 20 Jun. 1888; § «Revera»; *Acta S. Sedis,* 20, 600.
2 Encycl. *Libertas,* 20 Jun., 1888; § «Certe quidem»; *Acta S. Sedis,* 20, 602.
3 Encycl. *Libertas;* Donz-Bannw., 1931.
4 *De vera Religione,* n. 33.
5 Cfr. Kannongioser, *Catdlicos alcnianes* (hisp. vers.), p. 72.
« Sic politici galli, dum omnimodam libertatem sectis haereticis, imo et bu

Plures item hodierni radicales non satis putant libertati ac independentiae societatis esse consultum nisi per tolerantiam dogmaticam et admissionem omnium religionum; eamque blaterant esse ab omnibus admittendam tuendamque. Istum tamen errorem omnino rejiciendum esse satis superque demonstratum est superius.

Alii mitiores, rejecta tolerantia dogmatica, dicunt admittendam esse tolerantiam politicam; et addunt societatem jure carere ad prohibendum suis membris publicum exercitium religionis, quam quisque maluerit profiteri. Ita pleraque hodie gubernia catholico-liberalia.

Non pauci distinguunt inter *thesim* et *hypothesim.* In *thesi* propugnant illicitam esse, per se et absolute loquendo, *tolerantiam politicam* pluralitatis cultuum, sed *hypothetice,* ubi id necessarium fuerit ad majora vitanda mala, servari aut etiam introduci posse docent *tolerantiam politicam* earum religionum, quae legi naturali aut bonis moribus evidenter non contradicunt. Ex his tamen *nonnulli* putant societatem hodiernam in talibus adjunctis versari, ut semper queat praefata hypothesis verificari, ita ut possint auctoritates civiles in praesenti rerum tempestate pluralitatem cultuum ubique indiscriminatim permittere. *Alii* tamen, quamquam admittant posse interdum falsas religiones legi naturali et bonis moribus non repugnantes, mali vitandi causa, politice tolerari, exsistimant tamen nondum esse societatem ita prolapsam, ut ubique licitum sit praefatam hypothesim supponere.

83. Thesis I. Societas civilis tenetur veram religionem, quam unicam esse diximus, profiteri ac tueri.

Arg. I. Summi Pontifices, praesertim *Leo XIII,* disertis verbis nos docent societates cunctas, civitates ac populos, non secus ac singulos homines teneri verum Deo exhibere cultum vitamque socialem ita componere, ut sanctissimas Dei leges adamussim satagant adimplere. *Leo XIII* in encyclica *Libertas* haec habet: «Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui ajunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non civitates: in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. Sed haec quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim clamet ipsa natura oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis justitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. Deinde qui populo praesunt, hoc omnino reipublicae debent, ut non solum commodis et rebus externis sed maxime animi bonis legum sapientiae consulant» [1].

Idem Pontifex in encyclica *Humanum genus* ait: «Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est natura parente; ab eoque tanquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona, quae comitantur vitae, a Deo

dhistis, mahumetanis, confucianis, etc., concedunt, Ecclesiae Catholicae jura ac libertatem magis in dies coarctare conantur. Non paucos in aliis nationibus nacti sunt sectatores.

1 § «Mitiores», *Acta S. Sedis,* vol. 20, p. 602.

accepimus; sic eamdem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non injuste solum sed etiam indocte absurdeque facere» 1.

Item in Encyclica *Immortale Dei* addit: «Hac ratione constitutam civitatem perspicuum est omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam jungunt Deo, religione publica satisfacere» 2.

In Encyclica *Libertas* eadem repetit dicens: «Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum cognoscat necesse est, atque ejus potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis jura promiscue largiri. Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet, quae unica vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tanquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere» 3.

Haec omnia luculentum proculdubio pro nostra thesi suppeditant argumentum.

Arg. II. Societas civilis, non secus ac individuum, pendet a Deo, suo auctore, et ad Deum, suum ultimum finem, tendat oportet. Ergo tenetur veram religionem, qua unice ad Deum tenditur, amplecti ac profiteri.

Consequentia patet, quia praefatam a Deo dependentiam agnoscere et ad Deum, ut ad finem ultimum, tendere societas nullatenus valet, nisi per veram religionem, quae et verum cultum Deo vero exhibere jubet, et jussa exsequi in ordine ad Deum docet ac juvat.

Prob. Ant. 1.° *Pendet a Deo auctore,* tum a) quia a Deo homines in societatem coadunantur, tum b) quia omnes humani coetus a Deo conservantur, et saepe, ubi deliquerint, puniuntur peste, fame et bello.

2.° *Ad Deum suum jinem tendere debet,* quia finis ultimus totius societatis est possessio Dei, quae nonnisi omnium membrorum ad eum conspiratione et tendentia adipiscitur 4.

Arg. III. Omnis societas, ut munus suum obire valeat, stricte tenetur concordiam civium quaerere, et semel obtentam sartam tectam servare; quia animorum concordia perturbationem omnem a multitudine abigit, et civium tranquillitatem ac pacem firmat. Sed professio publica unius verae religionis plurimum confert ad animorum concordiam obtinendam, et concivium prosperitatem fovet. Ergo societas civilis tenetur veram religionem amplecti ac tueri. Hinc non mirum, si vel ipsi politici, aliunde religionis osores, monuerint Principes religionem simulare, pacis et tranquillitatis publicae in statu civili obtinendae conservandaeque causa. Ita *Machiavellus 56*

1 § «Secta igitur». *Acta S. Sedis,* vol. 16, p. 427.
2 § «Hac ratione», *Acta S. Sedis,* vol. 18, p. 163.
3 § «Eadem libertas», *Acta S. Sedis,* vol. 20, p. 604.
4 P. Simon, O. S. B., *l'n lien social,* apud «Revue Thomiste», Sept.-Oct. 1912, luculenter probat religionem esse eminenter socialem.
6 *La mente di un uomo di Stalo,* lib. 1, c. 12, § 4.

Solvuntur difficultates.

84. Obj. Religionis professio non est munus societatis civilis. Ergo. Prob. Ant. Obligationes ac munera cujuslibet societatis determinantur a proprio fine. Finis autem societatis civilis non est religioni profitendae prospicere, sed juribus sociorum consulere. Haec vero temporalia sunt, non religiosa. Ergo.

Resp.—Neg. Ant. Ad probationem, Dist. Min. Finis *immediatus* societatis civilis non est religioni profitendae prospicere, Cone. Finis *ultimus,* Nego. Munus enim societatis civilis est vires sociorum ita dirigere, ut operatio socialis ab ordinatione finis ultimi nullatenus recedat. Cum autem societas civilis vires sociorum ita disponit ac dirigit, ut a jussis legis divinae non discedant, obsequium Deo praestare dicenda est. At praeterea debet interdum, quatenus persona moralis est, adoratione, oratione ac sacrificiis Deum revereri ac colere.

85. Thesis II. Auctoritates civiles non debent a) «tolerantiam politicam» cultuum ac religionum, «absolute» et «per se» loquendo, promiscue et ubique concedere, b) «Hypothetice» tamen, ad majora reipublicae vitanda mala vel adipiscenda aut conservanda bona, possunt, ubi id fuerit necessarium, permittere pluralitatem religionum.

Pars 1.a Tolerantia politica absolute non est concedenda.

Arg. I. Summi Pontifices *Pius IX* et *Leo XIII* in suis Encyclicis et documentis ecclesiasticis luculenter hanc doctrinam tradidere. Primus quidem in encyclica *Quanta Cura* haec habet: «Probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *Naturalismi,* uti ajunt, principium applicantes, audent dicere *optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non exsisteret, vel saltem nullo jacto veram inter jalsasque religiones discrimine;* atque contra sacrarum litterarum, Ecclesiae, Sanctorumque Patrum doctrinam adserere non dubitant *optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi, sancitis poenis, violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet·» x.*

Unde idem Pontifex damnavit in Syllabo sequentes propositiones, 77: *«Aetate hac nostra non amplius expedii religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, caeleris quibuscumque cultibus exclusis».* 78: *«Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere».* 79: *«Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam, quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam» 2.*

Item *Leo XIII* in encyclica *Libertas* haec solemni suo judicio confirmavit dicens: «Itaque ex dictis consequitur nequaquam licere petere,

Denz-Bannw., 1689.
Denz-Bannw., 1777 sqq.

defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti jura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari jus esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset» A

Arg. II. Auctoritas civilis non debet actioni pravae subditorum directe et formaliter cooperari. Sed Princeps, quando tolerantiam civilem plurium religionum absolute concedit, directe et formaliter cooperatur actioni pravae civium. Ergo. Cives enim, ubi habent tolerantiam civilem plurium religionum, solvunt unitatem religionis ac cultuum, et perturbationes ac mala in societate facile promovent, quae sunt actiones pravae; et his directe cooperatur Princeps concedens absolute tolerantiam plurium religionum.

Pars 2.a Hypothetice aliquando permitti potest tolerantia civilis religionum legi naturali non repugnantium.

Arg. I. *Hypothetice* tamen, mali vitandi aut boni insignis promovendi causa, interdum licitam esse tolerantiam politicam cultuum aut religionum perspicue docet *Leo XIII* in encyclica *Immortale Dei* dicens: «Revera, si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus, aut adipiscendi boni aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum»[1]. Et in encyclica *Libertas* ait: «Similiter consequitur (ex dictis) ista genera libertatis posse quidem, si justae causae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent» [3].

Arg. II. Cooperatio.materialis ad malum, ubi justae adsint rationes, licita est. Sed cum pluralitas religionum ac cultuum permittitur gravis damni vitandi aut insignis boni adipiscendi causa, fit, et motivo quidem justo, cooperatio materialis ad malum. Ergo. Prob. Minor. Quia potest Princeps in praefato casu pro fine habere 1) malum vitare aut bonum adipisci, et 2) malum indirecte tantummodo permittere. Quod si fiat, planum est cooperationem esse materialem.

Scholion. *Quid dc religionibus legi naturali repugnantibus?* Volunt nonnulli nunquam esse licitam tolerantiam civilem religionum legi naturali aut bonis moribus repugnantium. Quia, ajunt, nunquam potest malum adeo grave vitandum imminere, bonumve adipiscendum urgere, ut auctoritas publica pro illis ruinam societatis permittere queat. Sed religiones juri naturae adversantes aut bonos mores corrumpentes ex natura sua ruinam societatis necessario trahunt. Si enim cuique effrenatae licentiae et quaelibet cupiditatum genera concedantur, nullum erit flagitium, cui perpetrando non se dedant homines, omnia vi, caede ac rapina perturbantes, et sic actum erit de societate. Alii tamen verius putant non omnes religiones legi naturali repugnantes afferre necessario destructionem societatis.

1 § «Itaque ex dictis»; *Acta S. Sedis,* vol. 20, p. 612.
2 § «Haec quidem sunt»; *Acta S. Sedis,* vol. 18, p. 174.
3 § «Itaque ex dictis»; *Arta S. Sedis,* vol 20, p. 612.

Solvuntur objectiones.

86. Obj. 1.° *Contra i.an' partem.* Auctoritas politica nequit cives cogere ad profitendam unam religionem prae alia. Ergo debet omnes religiones promiscue tolerare. *Consequentia* clara est. Ant. Prob. Tum quia non est auctoritatis civilis credenda proponere, tum quia Concilium Toletanum IV sic statuit: «De judaeis autem hoc praecipit S. Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre» et Coelestinus III c. *Sicut judaei,* tit. *de Judaeis,* ait: «Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Judaeos ad Baptismum venire compellat».

Resp.—Dlst. Ant. Auctoritas politica nequit cogere cives ad professionem positivam verae religionis. Cone., ad abstinendum a publica professione falsae religionis, Neg. Id est, potest Princeps obligare cives, ut se abstineant a professione publica religionum ab unica vera dissidentium. Certe, fides et religio, utpote habitus interiores, voluntarie a quolibet amplecti debent, et hoc. sensu recte ait S. *Gregorius,* lib. 2, ep. 50: «Nova atque inaudita est haec praedicatio, quae verberibus exigit fidem». Sed hoc non obstante, oportet a lege civili sanciri et a Principe absolute loquendo exigi, ut nemo audeat falsam religionem publice profiteri.

Obj. 2.° Deus ipse tolerat falsas religiones, quidni et auctoritas civilis?

Resp.—Neg. paritatem. Permittit quidem Deus falsas religiones esse in mundo, quia aliunde sive per auctoritates civiles, sive per Ecclesiae magisterium, sive per revelationes opportune factas, etc., providet sufficienter verae religioni conservandae, sed auctoritas civilis non valet bono religionis providere, nisi falsas religiones, saltem absolute loquendo, proscribat.

Obj. 3." Facilius veritas quam error defenditur, quia veritas se ipsam manifestat viamque aperit. Ergo possunt cives particulares eam ab incursibus sectatorum falsae religionis tueri.

Resp. 1.° hanc esse doctrinam plurium *catholicorum liberalium,* qui, veritatem per se clarere dicentes, veram religionem in discrimen committunt s.

2. Dist. Ant. Facilius veritas quam error defenditur, *objective.* Cone., *Subjective* et quoad persuasionem eam amplectendi, Subdist., quoad nonnullos, Cone., quoad omnes, Neg. Manifestum quidem est rationes ac motiva facilius pro veritate quam pro errore adduci posse, et obligationum veritatis amplectendae objective demonstrari; at homines plerumque passionibus allecti, ac vitiis dediti, falsas religiones, quae habenas laxant, facilius amplectuntur. Ideo non licet auctoritati politicae veram religionem civibus particularibus defendendam absolute relinquere.

QUAESTIO II

DE REVELATIONE IN GENERE

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT REVELAI IO

87. Status quaestionis. Scopus hujus tractatus est, ut diximus, veritatem religionis Christianae contra incredulos defendere. Quod ut fieret, demonstravimus hactenus religionem tum singulis hominibus tum societati necessariam esse. Sed ut proprius innotescat qualis sit et in

1 *Concit. Tolet.,* IV, c. 57; Mansi, 10, 633.

2 Sic Franciscus Silvela, die 7 Nov. 1902 in Comitiis hispanicis declaravit aequa jura veritati ac errori concedere fas esse, quia facilior est veritatis defensio et gloriosiortriumphus. Vide Ephem *Jiactfn y Fe,* t. 5, p. 442 et t. 13, p. 207.

quo consistat haec vera religio, investigandi sunt ejus principales characteres; et primo quidem explicanda venit *revelatio* in genere, ut inde probari queat religipnem catholicam et veram et revelatam esse.

In hoc itaque articulo notio ac divisio tradendae sunt revelationis, ut statim ad ulteriora pergere liceat.

Nominis notio. Quod graece ἀποζαλυψι vel φανέραιτ. latine *revelatio* dicitur, et etymologice idem est ac *veli remotio,* ut, quod velo tegitur, nobis patefiat aut manifestetur. Quod vocabulum a rebus physicis ad manifestationem intellectualem translatum est, ita ut remotio quasi velaminis, quo intellectus a rerum cognitione impeditur, *revelatio* vocetur.

Ordo supernaluralis. Ut revelationis natura ea claritate, qua par est, explicetur, perpauca praefari liceat de *ordine supernaturali,* ejusque exsistentia. *Philosophismus* saeculi xvm negaverat omnino exsistentiam ordinis supernaturalis, ejusque fidem ortam esse dixit ex populorum praecipue ignorantia et sacerdotum astutia, qui supernorum spem rudicolis ingerentes effraenam divitiarum cupidinem explere voluerunt. Ordinem supematuralem negat pariter *Sensismus* seu *Materialismus,* qui praeter materiam nihil esse docet, *Psychologismus* seu *Subjectivismus* Kantii, qui objecta exteriora a ratione cognoscente cuncta pendere propugnat, *Ontologismus* seu *Transcendentalismus* Hegelianorum, qui omnia praedicat esse unius ejusdemque objecti evolutiones seu diversas manifestationes *, et *Naturalismus* ac *Rationalismus,* qui Deum post creationem nihil in mundo immediate agere dicunt, sed naturam universam et rationem humanam per se agere et perfici contendunt.

Attamen quam pestifera sint et absurda haec systemata non difficile perspicitur, et probabitur in sequentibus.

Interim haec accipe·. *Supernaturale* id dicitur, quod omnia jura et exigentias, uti dicunt, naturae superat 1. Jura autem et exigentiae, v. gr., naturae humanae, de qua hic est sermo, vocantur, quae ejus essentiam et perfectionem consequuntur, vel certe ejus viribus acquiri aut mereri possunt. Quod igitur haec jura et exigentias naturae excedit, dicitur *supernaturale.* Et impraesentiarum, quod ad *cognoscibilitatem* attinet, *supernaturale* dicitur aliquid, non quidem vi vocis, sed usu theologico apud omnes usitato, relate semper ad *creaturas rationales;* et est id, quod ratio humana propriis viribus cognoscere non valet 3.

Quod si objectum ipsum excedat omnes omnino vires intellectus humani, *supernaturale quoad substantiam* appellatur; si vero non ipsum objectum sed modus tantummodo, quo cognoscitur, transcendat vires intellectus, *supernaturale quoad modum* audit.

Hunc ordinem supematuralem revera exsistere, in eoque hominem saepe illustrari patebit ex dicendis.

1 Cfr. ZigHara, *Propaedeutica,* lib. i, c. 7.

2 \ id. S. Joannes a Cruce, *Subida det Monte Carmelo,* lib. 2, c. 4, n. 2; et c. 10, n. 2.

3 Cfr. Stéphane Harent, *Surnaturel et deification.* Revue «Études», an. 1902, 20 Oct. Item P. Macinai. *Naturale e Sopranaturale,* in ephem. «Le armonie della fede», 25 Nov. 1906; P. J. Tonoz, *The supernatural,* in «The Irish Theological Quarterly», Apr. 1912, p. 132 sqq

88. Errores circa naturam revelationis, a) *Naturalistae* et *rationalistae* visi sunt quandoque admittere vocabulum *revelationis,* vel ut incautos decipiant, vel sicut *Rohz* [1] ingenue fassus est, ut facilius sectatores sui systematis nanciscantur, sed re longe distat eorum acceptio a vero conceptu revelationis. Actionem enim illam, qua Deus sese exhibet in creaturis, ut nos ex earum cognitione ad notitiam Creatoris adsurgere valeamus, sicut dicetur in *tr. de Deo Uno, revelationem* appellant, b) *Non pauci* in excitatione interiori et enthusiasmo religioso, qui aliquando miracula etiam patret, revelationem reposuere [2]. c) Nonnulli philosophi, *Sentimentalistae* dicti, in quodam sensus interni affectu, quo bonum discerni dicunt a malo, revelationem consistere voluerunt, d) *Alii* demum in dictamine quodam conscientiae, quo vel nostra a Deo dependentia dignoscitur *(Schleiennacher),* vel humana dignitas extollitur *(De Wette)* revelationem constituunt.

89. Vera definitio. His praelibatis, potest revelatio divina, de qua solummodo heic agitur, recte definiri: *Veritatis alicujus divinae prius ignotae manifestatio a Deo hominibus praeter exigentiam intellectus humani facta.*

Tria, ut vides, in hac definitione complectuntur, 1) *veritas* quae docetur, 2) *magister* docens, et 3) *discipulus* discens.

Dicitur 1.° *Veritatis alicujus divinae,* ut designetur objectum revelationis, quae, licet non raro complectatur ea quae creaturis propria sunt, omnia tamen, quatenus ad Deum ut ad ultimum finem referuntur, explicat. Idcirco objectum revelationis dicuntur veritates divinae. Additur *prius ignotae,* ut revelatio probe distinguatur ab inspiratione proprie dicta, quae est manifestatio veritatum aliunde cognitarum [3].

Dicitur 2.° *Manifestatio a Deo... facta,* ut significetur *magister docens* ejusque magisterium. His enim verbis explicatur non solum persona revelans, quae in omni revelatione proprie dicta Deus est, sed etiam actio Dei manifestans, quae immediate vel mediate aperit hominibus veritates ignotas.

Dicitur 3.° *hominibus facta,* ut innuatur quis sit *discipulus discens.* Licet enim revelationes a Deo fiant non solum hominibus, sed etiam angelis, usus tamen theologicus obtinuit, ut nomine revelationis intelligantur manifestationes *hominibus,* et quidem *viatoribus,* factae, dum expresse alio non feratur verborum significatio.

Dicitur denique 4.° *praeter exigentiam intellectus humani,* quibus verbis completur objectum revelationis. Modo dictum est objectum revelationis esse veritates divinas, sed hae veritates duplicis generis sunt: *aliae* absolute quoad objectum *supematurales,* quae vocantur *mysteria,* scilicet, ut Concilium Vaticanum, Sess. 3, c. 4 ait, *«mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus innotescere non possunt».* Et haec divina mysteria *«suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino» [4]: aliae* investigationi nostrae rationis non sunt,

1 *Briefe Uber den Rationalismus,* p. 21.
2 Cfr. Wilmers, *De Religione revel,,* lib. i, c. 2, a. I, n. 62.
3 Zigliara, *Propaedeutica,* lib. 2, c. 1, n. 4: Comely, *Compend.,* Appendix II, n. 2, 2; et S. Joannes a Cruoe, *Subida del'Monte Carmelo,* lib. 2, c. 25.
4 *Concit. l'at.,* sess. 3, c. 4; Donz-Bannw., 1795-1796.

absolute loquendo, imperviae, sed *quoad modum,* quo cognoscuntur, penitus excedunt vires intellectus nostri. Quando ergo dicitur, revelationem esse *manifestationem veritatis... praeter exigentiam intellectus humani,* complectitur utrumque genus veritatum divinarum, sive *absolute* sive *quoad modum* supematuralium.

90. Mysteria. Ut tamen plenius intelligatur objectum divinae revelationis, explicandum est accurate hoc verbum *mysterium* (μυστήριον, sacramentum) quod rem occultam seu arcanam significat.

Mysterium itaque stricto sensu, prout in Ecclesia usurpatur, est *veritas supernaturalis, quae absolute et per se superat vires intellectus humani sibi relicti.* 1) *Absolute* et *per se* dicuntur veritates superare vires intellectus nostri, quando transcendunt objectum connaturale mentis humanae et ad eas pertingere nullatenus valemus, nisi additis supernis illustrationibus. 2) *Secundum quid* vero veritas aliqua excedit vires intellectus nostri, cujus cognitio, licet intra objectum mentis humanae posita sit, tamen vel *certitudinaliter* mediis naturalibus haberi non potest, ut futura libera et pleraeque rerum essentiae, quarum intimam naturam et rationem non perspicimus, vel *ob dejectum propositionis* aut aliarum circumstantiarum nos latent, ut secreta cordium, quae, si proponerentur, vere cognoscerentur. 3) *Per accidens* demum latent nos illae veritates, quibus cognoscendis intellectus humanus non est quidem impar, sed ob speciales difficultates et obstacula impeditur ab earum cognitione; ex.' gr., numerus stellarum vel quae sunt abscondita in visceribus terrae. Quae ergo *per se* rationem nostram superant, appellantur *mysteria,* non quae *secundum quid* aut *per accidens* nobis delitescunt.

Advertas tamen velim cum cl. Lahousse[1] mysteriorum quaedam esse *minus propria,* alia vero *propria.*

1) Mysterium *minus proprium* dicitur, quod *per se* et *absolute* nos latet *quoad exsistentiam,* verum semel habita per revelationem exsistentiae rei notitia, naturaliter potest ejus essentia cognosci, ut auctoritas et infallibilitas Romani Pontificis.

2) Mysterium *proprium* appellatur, quod est intellectui humano absolute impervium, non solum *quoad exsistentiam* sed etiam *quoad essentiam;* ideoque etiam revelatione tradita et fide suscepta veritatis exsistentia, impervia manet ejus essentia. Hujusmodi sunt mysteria SSmae. Trinitatis, Incarnationis, etc. Quae omnia in revelatione divina contineri disertis verbis docet Concilium Vaticanum, Sess. 3, c. 4, et can. 1.

Superaddi tamen oportet revelationem Christianam non solum mysteria, sive *propria* sive *minus propria,* quae veritatibus quoad substantiam supernaturalibus constant, sed etiam veritates supernaturales *quoad modum* complecti, ita ut Deus O. M. quandoque manifestet veritates, quae sub ambitu virium rationis absolute continentur, etsi *quoad modum* supematuralia dicantur, interdum veritates *quoad exsistentiam* tantummodo nobis occultas, et non raro res *quoad exsistentiam* et *essentiam* nobis impervias.

91. Divisio revelationis. Supernaturalis revelatio dividitur.

Ꝑ. *Ratione modi* a) in *immediatam* et *mediatam. Prima* est, qua

[1] *De vera Religione,* diss. 2, c. 1.

Deus immediate per se sine interventu alterius hominem alloquitur ac illustrat, ut quando Moysem, Prophetas, et Apostolos affatus est *Altera* est, qua Deus hominem mediante alio homine edocet, qualis est revelatio, quam a Prophetis accepimus.

b) Item *ratione modi* dividitur in *intellectualem* et *sensitivam*. *Intellectualis* est, qua Deus species intelligibiles humanae menti imprimit, eique tum objecti cognitionem tum attestationem sui loquentis impertit. *Sensitiva* dicitur, quae fit vel per *formas sensibiles* in sensibus externis receptas, ut Daniel vidit scripturam parietis, quam interpretatus est [1], et vocatur simpliciter revelatio *sensibilis,* vel per *formas imaginarias* rerum sensibilium in phantasia descriptas, et nuncupatur revelatio seu visio *imaginaria* [3].

2.° *Ratione subjecti* in *generalem* (catholicam) et *privatam*. *Generalis* est, quae vel multitudini fit, vel ad multitudinem a Deo destinatur, quatenus ille, ad quem fit immediate revelatio, legatus a Deo constituitur, ut revelata ad communitatem auctoritate divina transferat. Sic scriptores sacri quamplurimas veritates per revelationem acceptas aliis Dei nomine communicaverunt. *Privata* vero est, quae alicui fit in utilitatem propriam ac particularem: tales sunt pleraeque revelationes Stae. Birgittae, Stae. M. N. Theresiae, etc.

3.° *Ratione objecti* in *supematuralem quoad substantiam* et *supernaluralem quoad modum,* prout veritas manifestata excedit *per se* et *absolute* vires intellectus humani, vel solum *quoad modum* cognoscendi.

ARTICULUS II

UTRUM REVELATIO SIT POSSIBILIS

92. Status quaestionis. Consulto dictum est articulo superiori 1) in revelatione Christiana contineri veritates non solum naturales sed etiam objective supematurales, quae *mysteria* quodammodo dicuntur, et 2) revelationem posse considerari a Deo immediate hominibus factam, vel per interventum unius hominis aliis communicatam.

Quaestio igitur in praesenti movetur a) an Deus veritates non tantum naturales, quae viribus intellectus humani cognosci possunt, sed etiam veritates supematurales per se captum humanae mentis excedentes, hominibus manifestare queat, et b) utrum haec manifestatio fieri possit a Deo tum *immediate,* tum *mediate*.

Agitur de -possibilitate non *morali,* quae convenientiam significat, sed *ontologica,* an scilicet repugnet necne revelatio modo exposita.

1 Revelatio per ministerium angelorum a Deo hominibus facta non raro voiiri solet *immediata* ex eo forte, quod talis manifestatio directe propter homines fit, et Deus per ministros sibi conjunctissimos veritates pandit. Vid. Ottiger, *Theologia jund.,* p. i, sect, i, c. i, § n.

2 *Ωαη.,* 5, 25.

3 Cfr. S. Thom., *II-II,* q. 173, a. 2, qui haec luculenter dilucidat. S. M. N. Theresia. *Vida,* cc. 25. 27, 28 et 29, et *Morad.,* VI, c. 8 sqq., ac alibi passim optime de more describit revelationes *intellectuales* et *imaginarias;* imo et narrat *sensibiles,* quas experta est in suis itineribus.

93. Errores, a) *Naturalismus.* Ita vocatur systema, quod ordinem supernaturalem respuit, revelationem supernaturalem ut impossibilem vel sane superfluam exsistimat, et naturam universam sibi sufficere contendit. Tres gradus admittit, i) *Nonnulli,* erroribus pantheisticis imbuti, revelationem ideo negant, quia animam humanam arbitrantur esse quid divinum, et universum mundum putant divinitatis evolutionem. 2) *Alii, Deistae* vocati. Dei exsistentiam et personalitatem agnoscunt, sed vel dicunt Deum post creationem nihil curare de mundo et hominibus, nec se immiscere eventibus physicis, moralibus aut religiosis, sed omnia suis regi legibus, vel docent nullam a Deo factam fuisse hominibus revelationem. Ita *Rousseau* [1], *Voltaire* [2], *Strauss* [3], *Cousin* [4], etc. 3) *Alii* tandem mitiores, *Theistae* nuncupati, admittunt Deum quandoque se immiscere negotiis ordinis moralis ac religiosi, excitando homines, ut religionem naturalem quaerant.

b) *Rationalismus* est forma quaedam mitior *naturalismi,* et dicitur systema eorum, qui rationem humanam nimium extollentes, eam esse ajunt in omnibus veri ac falsi arbitrum ac normam, et revelationem ut impossibilem vel saltem inutilem, rejiciunt. Duplex est rationalismus, *absolutus* nempe et *moderatus.* 1) *Absolutus* docet *a)* humanam rationem ita independentem atque autonomam esse, ut nihil admittendum sit, nisi quod ipsa verum intrinsece esse probaverit, *b)* revelationem supernaturalem magis homini nocere quam prodesse, et *c)* omnia, etiam religionem spectantia, posse per rationis evolutionem perfecte cognosci, perinde ac si opus humanum essent. Quod si revelationem, ac narrationes Bibliorum a priori recusare voluerit, quemadmodum *Rousseau, Voltaire, Diderot* et alii visi sunt respuisse, *Rationalismus biblicus* vocatur; si vero revelationis possibilitatem aut exsistentiam conetur argumentis metaphysicis impugnare, ut *Renan* [5] cum aliis aggressus est, *Rationalismus philosophicus* nuncupatur. *Rationalistae absoluti* idem vel fere idem esse videntur ac *deistae* vel *theistae* secundum diversas eorum formas. 2) *Moderatus* admittit quidem doctrinam in revelatione contentam et retinet ipsum nomen revelationis, sed nihil vult vires ac facultates rationis humanae historice excultae excedere. Hinc stultissime autumat Deum in veritatibus revelandis ita rationi humanae se accommodare, ut nullo modo religionem hominibus esse revelatam arbitretur, «nisi... naturae rerum et rationi, tanquam testi et interpreti divinae providentiae... plane conveniat». Ita *IVegscheider*[6], *Froschammer,* et alii. Vocatur nonnumquam *Rationalismus theologicus,* seu *Semi-Rationalismus.*

Naturalismus ac *Rationalismus* etiam moderatus, damnati sunt a Pio PP. IX in Syllabo, prop. 2-14.

94. Thesis. Possibilis est revelatio supernaturalis, tum immediata tum mediata, veritatum non modo naturalium, quas homo naturaliter capere potest, sed etiam supernaturalium, quae «mysteria» dicuntur.

Prob. 1.a pars. Possibilis est revelatio supernaturalis.

Arg. I. Possibilitas ista revelationis in genere perspicue definita est in Concilio *Vaticano, sess.* III. c. 2. *De Revelat,* ubi dicitur: *«Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo*

1 *Emile ou de l'éducation,* liv. 4, «Vous ne voyez», et sqq.; *Du contract, social,* liv. 4, ch. 8.

2 *Dictionnaire philosophique;* v. *Christianisme, Superstition, Destin,* etc.: *Element de Philosophie,* et alibi passim.

3 *Glaubenslehere,* I.

4 *Fragm. philosph.,* § 1.

5 I-Te *de Jésus,* ch. 28.

6 *Inst. theol. christ, dogm.,* Prolog., c. 1.

de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit». Unde nullum pro catholicis est dubium, quin revelatio supernaturalis sit possibilis.

Arg. II. Tria, ut superius diximus, in revelatione considerantur, nempe 1.° *Magister docens,* Deus, 2.° *Discipulus discens,* homo, et 3.° *res revelatae.* Atqui ex his capitibus nullam praesefert revelatio repugnantiam. Ergo est possibilis.

Consequentia ex sufficienti capitum numeratione clara est. Nullum etenim posse videtur aliud caput fingi, ex quo possit revelationis repugnantia oriri, nec ipsi rationalistae aliud imaginantur.

Prob. Min. 1.° *Non repugnat ex parte Dei.* Nam a) Deus plurima scit, quae homines latent, quia *sapientiae ejus non est numerus* h b) Media habet opportuna ea nobis manifestandi; hoc enim etiam homini concessum est. c) Potest ea nobis manifestare absque ullo suae dignitatis detrimento, nam hoc non parum commendat Dei bonitatem et providentiam, d) Et demum Dei sapientiam decet, ut quaedam occulta hominibus misericors aperiat, sic enim homini innotescit se in finem supernaturalem evectum esse.

2.° *Non repugnat ex parte hominis.* Siquidem nulla adest repugnantia, ut, qui facultate intellectuali praeditus est, ab altero magistro edoceatur. Ab aliis hominibus omnes instruimur, quidni et a Deo, qui nat-uram humanam condidit, et rationem nostram lumine vultus sui illustravit, edoceamur? Dignitatem humanam nullatenus minuit neque alicujus dedecoris est, litteras ab alio sapientiore didicisse, sed potius id in honore habitum fuit apud homines, sapientis scilicet alicujus scholas frequentasse vel familiaritatem coluisse. Jam vero, nullus est magister ut Deus, cujus sapientia, scientia, auctoritas et facilitas docendi infinitae sunt.

3.° *Non repugnat ex parte veritatis revelatae.* Veritas, tum naturalis, tum supernaturalis, quae per revelationem manifestari dicitur, est ens in se intelligibile. Intelligibili autem non repugnat manifestari ac cognosci, quia objectum intellectus est; objectum quidem *connaturale* intellectus humani, si viribus rationis percipi possit; *extensivum* vero, si vires superet rationis.

95. Prob. 2.a pars. Possibilis est revelatio, tum immediata, tum mediata.

De *immediata* constat ex superius dictis, ubi demonstratum est revelationem ex parte Dei non repugnare. Quid enim Deum prohibeat veritates in se absconditas hominibus manifestare?

Arg. *quoad mediatam.* Ad revelationem mediatam requiritur et sufficit, ut a) Deus immediate quempiam de occultis alloquatur, b) is, ad quem immediate facta est revelatio, habeat evidentiam revelatorum saltem *in attestante,* et c) legatus a Deo constituatur, ut revelata aliis communicet. Nihil autem prohibet quominus haec tria in hominum utilitatem et eruditionem a Deo suppeditentur. Ergo revelatio mediata est possibilis.

l ***Ps.*** **146, 5.**

Minor *quod 1.am partem* non est nisi conceptus revelationis *immediatae,* quam possibilem esse modo dictum est et admittunt plerique adversarii.

Prob. 2." pars Min. Cum ab aliis erudimur, ita *nonnulla* nobis manifestantur, ut eorum intrinsecam rationem facile percipiamus, ut fit in veritatum naturalium revelatione; *alia* vero, etiam post manifestationem ab alio factam, occulta nobis manent, et solum accipiuntur propter auctoritatem et testimonium dicentis. Unde per magisterium humanum quandoque scientia in nobis producitur, ut cum studiis philosophicis operam damus; interdum vero testimonio magistri credendum est, ut cum rebus historicis vel scientiis positivis vires intendimus; et, nisi hujusmodi testimonio fides adhiberetur, scientiarum non minima pars everteretur. Quod jure potiori in Dei manifestatione contingere liquet. Deus enim majori agit virtute in quemlibet hominem, quam homines in alterutrum. Unde sicut persuasum habemus in humano magisterio et eruditione vera contineri, ita a fortiori tenendum est manifestationes a Deo factas veras esse et nunquam errori obnoxias. Porro veritates a Deo revelatae ita ab homine percipiuntur, ut *certo* quisque sciat Deum esse qui loquitur ea saltem certitudine, quae omne prudens dubium excludatx.

Prob. 3." pars Min. Quod enim per se Deus facere valet, per alios quoque facere posse dicendus est; omnes enim sumus ministri Dei. Ergo potest hominibus committere, ut, quae per revelationem acceperint, aliis communicent.

96. Scholion. Dubitari nullatenus potest, quin Deus singulis hominibus et universo generi humano valeat immediate cuncta revelare, et omnes per se ipsum instruere; si enim unum potest illustrare, valet et cunctos erudire. At merito docent theologi revelationem *mediatam* esse hominibus magis accommodatam; tum a) quia melius per eam consulitur conditioni hominis, qui per alios instrui natus est; tum b) quia revelatio minus obnoxia est corruptioni, dum per unum vel paucos aliis communicatur; tum denique c) quia sic melius homines in societatem coadunantur. Si enim singuli per revelationem illustrarentur, non jam societas in ordine saltem doctrinali constitueretur, sed multitudo quaedam esset credentium nullo vinculo inter se conjunctorum 1.

97. Prob. 3.a pars. Possibilis est veritatum non modo naturalium verum etiam supernaturalium, quae mysteria dicuntur, revelatio.

Nota. De veritatibus naturalibus nulla est difficultas. Nos possumus veritates naturales aliis manifestare, quidni et Deus possit eas hominibus revelare?

De revelatione veritatum supernaturalium est quaestio.

Arg. I. Haec veritas est ab omnibus catholicis fide suscipienda. Nam Concilium *Vaticanum, Sess.* 3, *Can.* 3. *De Revelatione,* ita defi-

1 Ita Sancti, qui illustrationes divinas acceperunt, semper sibi persuaserunt, et Deum eos alloquutum fuisse et testimonium ejus infallibile esse.

2 Cfr. Ottigor, *Theol. fund.,* p. I, sect. 1, c. I, § 12, th. 2.

nivit dicens. *«Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse ei debere, a.* s.»1. Et can. 1. *De Fide et ratione,* ait: *«Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s.«* 2.

Arg. II. a) Exsistunt de facto mysteria, quae hominis captum longe superant, b) Deus ea valet hominibus manifestare, c) Bene potest homo Deo, mysteria manifestanti, credere et adsentiri. Ergo possibilis est mysteriorum revelatio.

Prob. i.a pars Ani. In ipsa rerum natura plura sunt, quorum essentia imo et exsistentia penitus nos latent. Quis enim electricitatis notitiam in retroactis saeculis habuerit? Quis hodie ejus intimam naturam perspexerit? Quis est animae corporisque nexus? Quomodo fiunt in corpore sensationes? Quomodo verbum a mente producitur? Haec et alia quamplurima, quae ad vitam, cogitationem, reflexionem,etc., referuntur, sunt proculdubio *mysteria,* ut ajunt, *scientifica,* ut ipse *Renan* et alii rationalistae coguntur fateri. Porro, si in ordine naturali, quem perspicimus, habentur mysteria nobis impervia, a fortiori erunt in ordine supematurali, qui omnes naturae exigentias superat.—Ex rerum mundanarum consideratione investigatur quidem Dei exsistentia, ejusque nonnullae perfectiones demonstrantur; at, in quo consistant ejus intima natura, personalitas, attributa, perfectiones, et quae ab ejus libera voluntate pendent, penitus nos latet. Ratio est, quia Deus in sua essentia, attributis, perfectionibus, personis, etc., infinitus est, intellectus vero humanus, limitatus in intelligendo. Intellectus vero limitatus et infirmus Deum infinitum et, quae sunt in eo, arcana abscondita naturaliter cognoscere non valet. Unde sequitur mysteria revera in Deo exsistere, quorum notitia humanae mentis investigationem excedit. Hinc S. *Augustinus* apposite ait: «Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis» 3.

Praeterea, si humana ratio ita tandem per studium perfici posset, ut universa fidei dogmata et Dei arcana naturaliter demonstraret, intellectui divino, qui infinitus est, non impar supponeretur; quod, quantum a veritate alienum sit, probatione non indiget.

Porro haec mysteria eo sunt veriora et sublimiora in se confitenda, quo nobis in hac vita magis abscondita et secretiora. «Sicut igitur maximae amentiae esset, ait S. *Thomas,* idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest, ita et multo amplius, nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt» 4.

1 Donz-Bannw., 1808.
2 Denz-Bannw., 1816.
3 *Epist,* 137 ad Volus., n. 8; ML 33, 519.
4 *Contr. Genl.,* lib. 1, c. 3.

Prob. 2.a pars Ant. Traditum est a Concilio *Vaticano*l divina mysteria, etiam revelatione tradita et fide suscepta, adhuc fidei velamine contecta permanere; idcirco non ita Deus ea manifestat, ut intrinsecam ipsorum rationem mens humana adipiscatur. Nihilominus Deus dicitur mysteria reapse manifestare posse, vel *quoad exsistentiam,* vel etiam quodammodo *quoad essentiam,* tum *intrinsece,* tum *extrinsece.* a) *Intrinsece* quidém, ideam mysteriorum in mente hominis excitando; agere enim potest immediate in intellectum humanum; et b) *extrinsece,* nexum inter terminos propositionis revelatae manifestando; quod tripliciter fieri potest. 1) *Per compositionem verborum jam cognitorum;* mysteria enim communiter exprimuntur per subjectum et praedicatum, quae veritatem naturaliter cognoscibilem continent, sed nexus eorum nobis delitescit. Sic mysterium SSmae. Trinitatis unitatem naturae et Trinitatem personarum significat. Jam vero significatio utriusque termini singillatim nobis nota est naturaliter, sed nexum unius naturae in tribus personis nonnisi per conceptus analogicos post revelationem apprehendimus. 2) *Per voces tropicas;* quibus spiritualia quodammodo declarantur. 3) *Per veram inventionem vocum;* quam inventionem Deo, auctori omnium rerum, competere nemo est qui ambigat.

Prob. j.a *pars Ant.* Si rebus ignotis adsensus detrectari deberet ex eo quod rationis nostrae captum superent, quamplurimae hominum notiones pessum abirent, et sane actum esset de humana societate. Quot nos credimus, quae ignoramus, propter humanum testimonium? Maxima certe humani generis pars auctoritate regitur sapientum in expediendis negotiis innumeris et veritatibus naturalibus credendis, et stultitiae merito arguitur, qui scientiarum conclusiones admittere recusat, quas ipse capere non valet. Porro *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* 1. Eadem igitur vel potiori ratione adsensus fidei praebendus est Deo, auctoritati supremae ac infallibili, mysteria supra rationem posita revelanti; tum quia intellectus captivari debet in *obsequium Christi,* ut ait Apostolus 3, tum etiam, quia, ut modo dictum est, sufficientem mysteriorum notionem intellectus sibi format per conceptus analogicos, ut propositae Dei revelationi utiliter adsentiri queat.

Solvuntur objectiones.

98. Obj. 1.° Mysteria nullam habent veritatem, ut revelari possint. Ergo non exsistunt.

Prob. Ant. Omne verum est objectum intellectus humani. Mysteria autem non sunt objectum intellectus humani. Ergo nullam habent veritatem.

Resp.—Neg. Ant. Ad probationem, Dist. Maj. Omne verum est objectum intellectus humani *proportionatum* vel *extensivum,* Cone. Semper *proportionatum,* Neg. Duplex est intellectus humani objectum, *proportionatum* nempe, ad quod valet intellectus suis viribus pertingere, et est, dum in vivis agimus, quidditas rerum materialium; et *extensivum,* ad quod nonnisi auxilio virium superiorum potest mens humana pervenire 4.

1 Sess. 3, c. 4; Donz-Bannw., 1796.
2 *I Joan.,* 5, 9.
3 *IT Cor.,* 10, 5.
4 Cfr. dicenda *Dc Deo uno,* n. 182.

Obj. 2.° Inutile prorsus est revelare quae intelligere non valemus. Inutilia autem Deus non potest facere. Ergo.

Resp.—Neg. Maj. Licet mysteria, etiam per revelationem habita, perfecte intelligere *quoad essentiam* non possimus, *quoad exsistentiam* tamen optime cognoscimus; imo et *quoad essentiam* per conceptus analogicos ea percipere valemus, sicut in superioribus dictum est. Rerum autem exsistentiam cognoscere, et earum essentiam saltem imperfecte apprehendere, non inutile sed multum salutare dicendum est. Quis unquam naturam electricitatis, magnetis, etc., perspexit? Et tamen nemo dixerit exsistentiam earum inutiliter cognitam haberi. Ita pariter quamquam mysteria in se *quoad essentiam* nos lateant, eorum tamen cognitio *quoad exsistentiam* non parum prodest humano generi. Ad rem S. *Thomas:* «Ex quibus omnibus apparet, quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert. Et ideo, quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercumque teneat fide» L

ARTICULUS III

UTRUM REVELATIO SUPERNATURALIS SIT HOMINI NECESSARIA

99. Status quaestionis. 1) Agitur impraesentiarum de necessitate se habente, non *ex parte*Dei,* sed *ex parte hominis.* Cum enim revelatio supematuralis sit natura sua homini prorsus *indebita,* non est Deo necessarium veritates, quae nos latent, cuipiam revelare.

2) Sedulo heic conferendum est, quid et quotuplex sit *necessarium,* quod superius, *Proleg.* a. III traditum est. Porro in hoc articulo non disseritur de necessitate *absoluta,* quae non in ordine ad aliud, sed in se praecise spectata aliter esse non posse dicitur, sed de necessitate *hypothetica.* Jam vero haec necessitas hypotetica duplex est, *simpliciter* nempe et *secundum quid.* Et quaeritur, an et quomodo sit homini necessaria supematuralis a Deo facta manifestatio ad veritates, quae in revelatione continentur, cognoscendas.

3) Ad cujus intelligentiam ulterius praenotandum est veritates supernaturales, quae mysteriorum nomine veniunt, magis impervias esse intellectui humano, quam veritates naturales. Ideoque cum de necessitate revelationis pro eis cognoscendis agitur, utraque quaestio seorsim discutienda est, atque quaerendum 1.° quae sit homini necessitas revelationis ad cognoscendas veritates supernaturales, et 2.° utrum etiam sit necessaria revelatio supematuralis, ut homo veritates naturales, Deum et religionem respicientes, agnoscat.

4) Veritates divinae naturales cognosci possunt a) *partialiter* et *imperfecte,* cum aliqua de Deo ejusque religione notitia habetur, b) *totaliter* et *perfecte,* non quidem in sensu absoluto, sed relativo, in quantum dicitur *sufficiens* cognitio, qua quisque de Deo et religione recte sentiat. Quam sufficientiam in tribus consistere merito docet cl. *Ottiger,* p. I, sect. 1, c. 2, § 14, scilicet 1) «ut homo unum verum Deum cognoscat et colat, 2) ut primaria legis naturae principia, ex. gr., *bonum esse faciendum, malum vitandum...,* necnon secundaria, qualia sunt omnia fer-

l *Contr (lent.,* lib. i, c. 5

me praecepta decalogi, et proximas saltem conclusiones, quae ex illis principiis facile deduci possunt, noscat et observet... et 3) ut homo nunquam gravioribus saltem in rebus contra suam conscientiam agat». Declarari impraesentiarum oportet, ut ratio rei postulat, an et quae revelatio requiratur, ut has cognitiones veritatum naturalium homo adipiscatur.

5) Animadvertendum denique est non heic agi de necessitate revelationis, quam singuli habent homines ad praefatas veritates naturales cognoscendas. Non enim in praesenti inquirere volumus, an dari possit singularis aliquis homo, ita egregio praeditus ingenio, ut omnes veritates naturales ad religionem spectantes possit naturaliter investigare; sed quaerimus dumtaxat, an totum genus humanum valeat absque revelatione ad talem veritatum cognitionem pertingere, ut repte de Deo ejusque religione sentiat, et in Deum, ut in ultimum finem, per observantiam praeceptorum naturalium tendat.

6) Paucis accipe *statum quaestionis.* Inquiritur *an et quomodo revelatio supernaturalis sit necessaria, ut genus humanum, prout hodie invenitur, possit veritates tam naturales quam supernaturales perfecte, perfectione saltem relativa, cognoscere.*

100. Errores, a) *Naturalistae* et plerumque *ralionalistae* ita humanae rationis vires extollunt, ut omnes omnino putent posse veritates ab homine naturaliter cognosci, nullamque esse generi humano necessitatem revelationis ad veritates tam naturales quam supernaturales cognoscendas. Hinc plerique statuunt «rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo adsequi possit supernaturalium veritatum cognitionem». Ita *Georgius Hermes '. Jacobus Frohschammer,* alter rationalista, docet philosophiam, si «recta ejus habeatur notio, posse non solum percipere et intelligere ea Christiana dogmata, quae naturalis ratio cum fide habet communia... verum etiam ea, quae Christianam religionem fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem, et ea omnia, quae ad ipsum spectant, atque sacratissimum dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et philosophiae provinciam pertinere; rationemque, dato hoc objecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire» [1].

b) Plures *pseudomystici,* quibus adnumerandi sunt *Anabaptistae, Quakers,* et ex protestantibus *UUrasupernaturalistae,* tuentur necessitatem revelationis et auxilii gratiae pro qualibet veritate, etiam naturali, cognoscenda.

c) *Catholici* cuncti, definitiones Ecclesiae humiliter, ut par est, suscipientes, docent revelatione supernatural! simpliciter opus esse, ut ratio humana ad veritatum supernaturalium cognitionem pertingat. At, ubi agitur de veritatum naturalium cognitione, non concordant eorum sententiae.

d) Est systema a quibusdam boni nominis theologis excogitatum, quod *Traditionalisms!s* seu *Fideismus* audit. Hujus theoriae doctrina fundamentalis est hominem solo rationis lumine imparem esse ad veritates suprasensibiles capiendas, ideoque omnem cognitionem ac notitiam exsistentiae Dei ac veritatum, religionem exspectantium, ex primitiva revelatione, quae per traditionem a majoribus ad posteros transfertur, repetendam esse.

Jampridem hujus erroris primordia invecta fuere; nam olim *Plato* in *Timaeo* dicebat: «veritatem omnem uno dumtaxat addisci modo posse, si eam vel ab ipso Deo vel aliis, qui a Deo orti sunt, doceamur». Et *Schola Africana* sub Tertulliano et Lactantio revelationem esse necessariam docuit ad exsistentiam Dei demonstrandam. Unde S, *Thomas* expresse dicit anti-

1 Cfr. Breve Groeorll XVI, 2(> Sept. 1835; Donx-Bnnnw., 1610.

2 Breve Pli PP. I X ad Archiep. Mon., II Dee 1862; Denz-Bannw., 1669.

quum errorem fuisse dicentium «quod Deum esse non potest per rationem inveniri, sed per solam viam fidei et revelationis esse acceptum» *. Cui doctrinae subscripsit *Petrus Alliacensis,* Card.; et saeculo XVM *Petrus Daniel Huetius,* Episcopus Abrincensis in Gallia, scripto opere *De imbecillitate rationis humanae* idem proposuit ac sequutus est systema.

Elapso tandem saeculo celebris evasit Traditionalismus opera quorumdam theologorum, qui adversus Rationalismum et Philosophismum pugnare volentes in oppositum prolapsi sunt errorem. Nunc *rigidiori* nunc *mitiori* forma a suis fautoribus expositus fuit, et propterea placet eorum explicationes breviter exhibere.

a) Dominus de *Donald* [12] habetur ut restaurator hujus theoriae, cum nihil in praesenti rerum statu posse certo cognosci dixit, nisi quod una cum facultate loquendi inditum fuerit hominibus, et ab illis, mediante sermone, nobis transmissum. Ideo ad certam *rerum quarumlibet* cognitionem requirit, ut veritas a Deo primis hominibus una cum loquendi facultate revelata fuerit, et per sermonem seu traditionem nobis transmissa. Fere in omnibus ipsum sequuti sunt *Ballanche* [3], et *Ludovicus Bautain,* sacerdos gallus *. Hi omnes, ut principium generale, docuerunt fidem supematuralem esse priorem ratione in rerum cognitione acquirenda.

β) *Felicitas Robertas de Lamennais,* sacerdos gallus [5] [7] dum adhuc causam religionis ageret, docuit rationem humanam nihil posse *de rebus moralibus ac divinis,* praesertim *de exsistentia Dei,* certo cognoscere, nisi prius fuerit a Deo primis hominibus revelatum, et per consensum generis humani vel traditionem universalem nobis communicatum. Postea, nimis infelix, revolutionarius effectus ad castra impiorum se contulit.

γ) Successit *P. Ventura Raulica,* sacerdos Oratorii, qui multis et egregiis editis operibus [8], doctrinam Lamennais mitigavit, atque sic moderatam defendendam suscepit. Ad primam rerum moralium et divinarum cognitionem requirit P. Ventura divinam revelationem; at, postquam fuerint divinitus cognitae, posse dixit ratione naturali eas demonstrari, atque ex eis semel cognitis novas illationes deduci. *Lamennais* et *P. Ventura* videntur admisisse sufficientiam rationis naturalis ad veritates physicas cognoscendas.

Eamdem fere mitigationem admiserunt *Augustinus Bonnetty'* et *Donoso Cortes* [8].

δ) Denique *Ubaghs** et alii pauci cum eo Doctores *Lovanienses* contendunt posse hominem, cum ad plenum usum rationis pervenerit, Dei exsistentiam ex rebus creatis cognoscere; sed addunt plenum usum rationis in eo consistere, quod claras Dei rerumque moralium notitias complectatur; quas exsistimant nullatenus naturali rationis lumine acquiri posse, sed e revelatione, primo homini a Deo facta et per majorum traditionem ac institutionem nobis transmissa, repetendas esse.

Alii catholici communiter tuentur revelationem *simpliciter* necessariam esse pro veritatibus supernaturalibus cognoscendis, *moraliter* vero necessariam pro naturalibus acquirendis.

Quid in hac re sentiendum sit sequentibus thesibus declarabitur.

101. Thesis I. Revelatio supernaturalis est «simpliciter» necessaria, ut homo veritates supernaturales cognoscere valeat.

[1] *Contr. Gent.,* lib. I, c. 12.
[2] *La Législation primitive,* liv. I, ch. 3, n. 6. Cfr. Hurter, *Nomenclator,* t. 5, 104.
[3] *Essai sur les institut, sociales.*
[4] *La Moral de l'Evangile comparé à la moral des philosophes.* Cfr. Hurter, *Nomenclator,* t. 5, 1186.
[5] *Essai sur l'indifférence en matière de religion,* t. 1, I.ere partie, ch. 5.
[6] *La tradizione,* c. 6; *Delia vera e della falsa filosofia,* c. 1, § 2-3; *De melodo,* § 149 (Filosoffa cristiana, t. 3); *Sull'Origine delle idee,* etc.
[7] Ephem. *Annales de philosophie chrétienne,* vol. 8, p. 374.
[8] *Optra,* t. 2, p. 597. 618 sqq. (ed. Casa edit, de S. Francisco de Sales).
[9] *Theodicea,* c. 3.

Arg. I. Concilium *Vaticanum* aliaque documenta Pontificia id solemniter definivere. Concilium *Vaticanum* statuit: *«Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi projectu pertingere posse et debere, anathema sit»* V Et iterum ait: *«Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis, inielligi et demonstrari, anathema sit»* 1. Hinc in Syllabo damnata est sequens propositio 9: *«Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest e suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint»* 34

Arg. II. Ratio est clara, quia veritates supematurales excedunt capacitatem naturalem hominis.

Corollarium. In statu etiam hodierno, in quo homo elevatus est ad ordinem supematuralem, est necessaria simpliciter revelatio ad veritates supematurales cognoscendas. «Homo ordinatur ad Deum, ait S. *Thomas,* sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit secundum illud Isaiae, 66, 4: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse praecognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam, quae rationem humanam excedunt» 4 Quod argumentum magis dilucidat *Contra Gent.,* lib. 1, c. 5, dicens: «Nullus..., desiderio et studio in aliquid tendit, nisi sit ei praecognitum. Quia ergo ad altius bonum, quam experiri in praesenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur..., oportuit mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in praesenti possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare et studio tendere in aliquid, quod totum statum praesentis vitae excedit. Et hoc praecipue christianae religioni competit; unde et in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur» 5. Hanc doctrinam prae oculis habuisse visum est Concilium *Vaticanum,* cum ait: «Non hac tamen de causa (veritatum naturalium cognoscendarum ratione) revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supematuralem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant» 0.

102. Scholion. Compertum est necessitatem revelationis veritatum supematuralium his argumentis a Sto. Thoma petitis et a Concilio Vaticano confirmatis plenissime demonstrari pro nobis catholicis, qui doctrinis Ecclesiae, ut par est, obtemperantes, hominem confitemur a Deo

1 *Sess.* 3, *De revelatione,* can. 3; Denz-Bannw., 1808.
2 *Sess.* 3, *De fide et ratione,* can. j; Denz-Bannw., 1816.
3 Denz-Bannw., 1709.
4 *I p.,* q. i, a. i.
3 S. Thomas, *Contr. (rent.,* lib. 1, c. 5
" Sess. 3, c. 2; Denz-Bannw., 1786.

misericorditer in ordinem supematuralem elevatum esse; sed quid pro naturalistis et rationalistis, qui ipsam ordinis supernaturalis renuunt exsistentiam admittere? Potestne contra ipsos ratione naturali probari hominem ad ordinem supematuralem evectum esse, ne jactent praefata catholicorum argumenta falso niti fundamento?

Resp. a) Demonstratione proprie dicta non potest naturaliter ostendi contra naturalistas hominem evectum esse ad ordinem supernaturalem; quia factum hujusmodi elevationis est gratuitum donum a liberrima Dei voluntate pendens; quod non ratione naturali sed revelatione et fide supernatural! est accipiendum.

b) Demonstrari tamen naturaliter potest nullam dari repugnantiam, ut homo elevetur ad ordinem supematuralem; et omnia argumenta, quae a naturalistis et rationalistis in contrarium proferantur, utpote falsis innixa principiis, facili negotio diluuntur x.

c) Imo et ipsa elevatio, semel per revelationem accepta, congruis rationibus ita declaratur, ut nullus relinquatur amplius ambigendi locus. Etenim, ut S. *Thomas* passim arguit 1, inest cuilibet naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectus 3. Quo desiderio motus adsurgit homo ex rebus creatis ad cognitionem exsistentiae Dei. At hoc desiderium non plene quiescit in notitia exsistentiae Dei seu in cognoscendo *an sit Deus,* sed ulterius quaerit ejus essentiam, ut est in se, perspicere. Homo autem, suis viribus relictus, nequit Dei essentiam, ut est in se, cognoscere. Ergo debuit ad ordinem supematuralem elevari, ne forte tale desiderium frustra ei inditum fuisse exsistimaretur.

Hinc patet, quam immerito dixerint increduli dogma quo docemur hominem *absolute* revelatione indigere, ut veritates *quoad substantiam* supematurales cognoscere valeat, falso niti fundamento.

103. Thesis II. Revelatio non est «simpliciter» homini necessaria ad cognitionem veritatum naturalium etiam religionem spectantium.

Arg. I. Judaei ac gentiles, falsorum numinum cultores, passim accusantur in S. Scriptura, quod verum Deum, artificem et Dominum rerum omnium, ex operibus mundi reapse non cognoverint et coluerint; et inexcusabiles vocantur, qui, relicto vero Deo, falsis numinibus cultum tribuerunt 4; imo Apostolus 5 dicit opera eorum poenis esse digna, quia, cum verum Deum cognovissent, *non sicut Deum glorijicaverunt.* Manifestum est autem eos inexcusabiles nunquam futuros fuisse, si impotentia physica laborassent ad veritates religionis naturalis cognoscendas, inter quas maxime numerantur, quae ad Deum cognoscendum cultumque ei exhibendum referuntur.

Quod argumentum egregie confirmatur verbis ipsius Apostoli qui ait: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, laciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Qui osten-*

1 Vid. Zigliara, *Propaedeutica,* lib. 1, cc. 18-19.
2 Cfr. *I p.,* q. 12, a. 1, ct *Contr. Gent.,* lib. *3, c. 50.*
3 Modo explicando in Tr. *De Deo uno,* n. 172 sqq.
* Sic expresse legitur *Sap.,* 13, 1 sqq.
6 *Itoni.,* 1, 18-21.

dunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum L Quibus aperte significatur gentes, quae legem mosaicam seu revelatam non habent 1, naturaliter ea, quae legis sunt, posse facere, quia habent opus legis scriptum in cordibus suis. Legem autem servare nemo valet, nisi prius ad ejus notitiam pervenerit.

Arg. II. Aliud non leve argumentum desumitur ex documentis ecclesiasticis proscribentibus *Traditionalismum.* qui humano generi vires physicas denegabat pro veritatibus ordinis naturalis, quae Deum et religionem spectabant, cognoscendis 3.

Arg. III. Adest naturaliter homini 1) facultas cognoscendi essentias rerum et ex cis ad Dei notitiam adsurgendi, 2) conscientia recti ac boni saltem in genere, et 3) desiderium sciendi propria jura ac obligationes. Unde naturaliter potest homo a) cognoscere Deum esse eique cultum et honorem esse tribuendum; et b) conscientia recti ac desiderio naturali ductus analysim instituere, rerum essentias comparare, actus singulos discutere, ac tandem, *absolute loquendo,* quae religionis naturalis propria sunt, investigare. Diximus *absolute loquendo,* quia, ut in sequentibus declarabitur, tot ratio humana praepeditur difficultatibus in veritatum religiosarum investigatione, ut moraliter impotens reddatur cognoscendi omnes veritates, quae necessariae sunt ad institutionem totius vitae juxta regulas morum.

104. Thesis III. Revelatio supernaturalis est «secundum quid» necessaria, ut genus humanum in praesenti statu summam veritatum, religionem naturalem spectantium, «expedite, firma certitudine et nullo admixto errore» cognoscere valeat.

Arg. I. Concilium *Vaticanum* expresse hanc doctrinam tradidit, sess. III, c. 2. *De Revelatione,* dicens: *Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint.* Quibus certe videtur Concilium docuisse revelationis divinae partibus competere, quod veritates naturales divinae expedite, etc., ab humana ratione cognoscantur.

105. Arg. II. Summa veritatum naturalium religionem spectantium, ut completa sit ad vitam recte secundum rationem instituendam, complecti debet ea, quae ad unum verum Deum cognoscendum et colendum, et ad prima ac secundaria legis naturalis principia non violanda, referuntur. Sed genus humanum in praesenti conditione difficultatibus in veritatum inquisitione ita praepeditur, ut ea omnia *expedite, firma certitudine* et *nullo admixto errore* nec 1) proprio studio valeat comparare, nec 2) a sapientioribus citra revelationem accipere,nec 3) progressu humanitario detegere. Ergo genus humanum nullatenus valet praefatam veritatum summam citra revelationem cognoscere.

1 *Rom.,* 2, 14-15.

2 «Secundum plurimos et gravissimos Patres et theologos directe et primario intelliguntur gentes infideles», ait Posoh., *De Deo uno,* n. 16.

3 Cfr. Decret. S. C. Indicis, 11 Junii 1855; Donz-Bnnnw., 1649 sqq.

Major patet, quia homo vitam rationi consentaneam nequit instituere, nisi unum verum Deum satis agnoscat esse colendum et prima moralitatis principia—ut bonum esse faciendum, malum vitandum—, eorumque proximas conclusiones, necnon secundaria principia—ut sunt decalogi praecepta—esse servanda.

Minor *prob. per partes.*

1.° *Nequit homo praelatam veritatum summam proprio studio comparare.* «Quia, ait S. *Thomas.* 1 p., q. 1, a. 1, veritas de Deo per rationem investigata, a paucis, et post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret». Cujus loci expositionem confer omnino superius, *Proleg.,* a. 3. ab ipso S. Doctore 1 desumptam.

Et revera a) plerique impediuntur ab investigatione veritatis defectu ingenii, et, nisi instruantur luce supcrnaturali revelationis, facile crassis erroribus imbuuntur, et in maximas ignorantiae tenebras in materia religiosa prolabuntur. b) Qui ingenio ac capacitate sufficienti praediti sunt ad veritatum investigationem, plerumque detinentur tum infirma valetudine, tum negotiis mundanis administrandis, tum necessitate familiae alendae, tum denique concupiscentiae motibus, mentem non semel obtenebrantibus, c) Homines denique sibi soli relicti, quamvis ingenio polleant et nulla re familiari detineantur, saepe decipiuntur apparentia rerum, bona fallacia ac errores pro veritate apprehendentes, et felicitatem in divitiis, voluptate ac inani gloria reponentes, quibus superior illustratio opus est, ut a talibus praeoccupationibus se expedire valeant.

2.° *Non potest genus humanum a sapientioribus accipere cognitionem summae veritatum religionem naturalem spectantium.*

a) Pauci siquidem—ne dicamus nulli—fuerunt sapientes, qui revelatione destituti veritates de vero Deo ejusque religione, ad vitam recte instituendam necessarias, attigerint. Adeat quisque *antiquorum philosophorum* scholas, eorum inquirat doctrinas, et omnes ibi offendet sapientes hac in re pessimis erroribus et maximis doctrinae contradictionibus imbutos. Juxta *Lactantium* «facile est docere pene universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam... nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa est illis veritas, quam se quaerere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt» 1. Unde *Cicero* «nescio, ait, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum» 2. Et iterum docet, quale fuerit in scholis magisterium, dum ait: «Nunc (natura) parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restingimus, ut nusquam naturae lumen appareat... Nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero pa-

1 *Contr. Gent.,* lib. i, c. 4.
2 *Div. last* , lib. 7, c. 7; MI. 6, 759.
n *De Divinat.,* lib 3, 58.

rentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat... Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus» x.

b) Pauci ut erant in antiquitate sapientes, plurimum inter se circa prima capita dissentiebant. Nam, ut verbis utamur *Tanquerey,* «inter se perpetuo divisi, de omni re litigabant palam in gymnasiis, in hortulis, in locis publicis et privatis; *alii* adserebant unum, *alii* innumerabiles esse mundos; *alii* aeternum, *alii* ortum habuisse; *alii* immortales esse animas, *alii* mortales, *alii* hominum animas revolvi in bestias» 1. Hinc *Tullius* «plerique, ait..., deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras; nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur; deque his summa philosophorum dissensione certatur: quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, imprimisque magna dissensio est» 3.

c) Defuit illis *auctoritas* ut alios omnes docerent. Quae enim auctoritas esse potuit docendi genus humanum hominibus, qui suo exemplo et morum pravitate jactitabant se a doctrina, quam in licaeis tradiderant, recessisse? «Cum... ex philosophis, ait *Lactantius,* perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum, quis non videat eos homines virtutis, qua ipsi egent, non esse doctores? Nam, si quis in mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos, et sub obtentu sapientiae sua vitia celantes, domi facientes ea, quae in scholis arguissent» 4. Unde *Cicero,* non parvi nominis philosophus et oratorum certe maximus, ajebat: «Deinde nobis, qui, concedentibus philosophis antiquis, *adolescentulis delectamur,* etiam vitia saepe jucunda sunt»5. Non mirum si iterum haec dicere veritus non fuerit. «Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio» 0.

d) *Philosophi moderni* non fuere profecto antiquis in hac parte feliciores. Nullus fuit antiquus error, qui ab ipsis non fuerit edoctus.

1 *Quaesi. Tuscul.,* lib. 3, cc. 1 et 2.
2 *De religione,* n. 219. Cfr. S. August., *De civil. Dei,* lib. 18, c. 41; ML 41, 600 sqq.
3 *De Nat. deor.,* lib. 1, c. 1.
4 *Div. Inst.,* lib. 3, c. 15; MI. β, 392.
6 *De Nat. dear.,* lib. I, c. 28.
ll *Quaesi. Tuscul.,* lib. 2, 4.

«Scepticismum, ait *Tanquerey,* renovarunt *D. Hume* et *Bayle;* pantheismum, *Spinoza, Fichte, Schelling, Hegel, Vacherot*[1], sujectivismum docuit *Kant;* materialismum et positivismum vel agnosticismum hodie propugnant philosophi non pauci, quales sunt *Buchner, Huxley, H. Spencer, A. Fouillée, M. Guyau»* [2]; politicorum nonnulli Communismum, Socialismum, Nihilismum et Anarchismum profitentes cuncta societatis fundamenta evertere satagunt, et plerique demum sub nomine Naturalismi, Rationalism!, Liberalism!, etc., in omnis generis errores et libertates prolapsi sunt et majora in dies fingunt deliramenta. Horum si *mores* inquiras non certe antiquis moderatiores, sed potius corruptiores invenies. Sparsis undique effraenatae libertatis doctrinis, totius antiquitatis pravi mores inter philosophos modernos admissi sunt impune et aucti, et nihil est, quod eis limites figere queat.

Quis ex his philosophis veritates, Deum et religionem spectantes, genus humanum docere valeat? Nullus profecto. Non ergo mirum si *E. Saisset* [3] religionem naturalem dixerit jam obsolevisse et inter entia rationis vanaque imaginationis figmenta recenseri. Hinc ipsi rationalistae et alii philosophi moderni non semel fassi sunt se non posse genus humanum ad recte vivendum satis instruere [4].

3. *Non potest genus humanum progressu humanitario ita perfici, ut per se ipsum in cognitionem perveniat veritatum naturalium religionem spectantium.*

106. Si quid valet historia generis humani, aperte constat inutiles prorsus fuisse hominum hucusque conatus ad talem humanitarian! progressum obtinendum. Nam apud omnes gentes, revelatione destitutas, pejor generaliter facta est hominum conditio tum *circa Deum ejusque cultum.* tum *circa principaliora religionis naturalis capita,* tum *circa mores.*

a) *Circa Deum ejusque cultum.* Primitus quidem monotheismum homines professi sunt, Deoque vero cultum religiosum exhibuerunt [5]; sed ex quo gentes primaevam religionem despicientes falsorum numinum cultum induxerunt in mundum, polytheismus aut idololatria ubique terrarum, extra populum israeliticum, altas fixit radices [6]. Innumeri namque apud omnes populos commenti sunt dii, non solum ex virgultis, plantis, brutis animantibus, et aliis, quotquot inveniuntur, materiis confecti[7], verum etiam plures ex hominibus flagitiosis et mu-

1 A. Vera et alii huic turpi systemati nomen dederunt.

2 *De religione,* n. 221 (ed. 15).

3 *Essais sur la Philosophie de la religion,* apud Tanquerey, n. 221 in nota.

4 J. J. Rousseau, *Emile,* lib. 3 adserit nullum esse philosophum, qui propriae gloriae adipiscendae causa non fefellerit genus humanum. Jouftroy, *De l'organisation des sciences philosophiques,* intelligentiam humanam ac philosophiam impares arbitratur ad mundi problemata solvenda. Burnou!, *Revue des Deux-Mondes,* tom. 54, pag. 982, fatetur ante ortum Christianismum nunquam fuisse in mundo doctrinam moralem popularem sub una forma religiosa, quae partem fidei constitueret.

5 Cfr. Lahousse, *De vera religione,* n. 231.

6 Vid. Voltaire, *Diet, phil.,* v. «Religion», seconde question.

7 Huc fàcit illud Horatii, lib. 1, Sat. 8, dictum:

«Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego.»

Herculis libidinosis in deos conversi consecratique fuere, ut hodie plerumque contingit apud Indos, et in pluribus Oceaniae, Africae et Americae regionibus. Hinc olim apud Graecos, Romanos, aliosque gentiles populos adeo notio divinitatis deturpata est, ut in festis et Indis scaenicis, publica plaudente multitudine, celebrarentur et repraesentarentur Veneris aliarumque dearum cum diis illicita commercia, quasi *dii immortales* essent adulteri, impudicitiae, raptus, incestus et effraenatae Hbidinis, necnon flagitiorum, criminum ebrietatisque magistri ac patroni [1]. Quid plura? Non semel meretricibus exstructa sunt templa ut, dum obscenissimus eis tribuebatur cultus, omnis generis explerentur naturae repugnantes libidines [2]. Omnium vitiorum erant dii patroni designati. Sic ebrii Bachum, fures Mercurium et Lavernam, libidinosi Venerem, Phalum Jovemque invocabant. Et ita res turpiter deformatae sunt, ut Ovidius prohibuerit puellis ingredi templum Jovis, ne forte discerent «quam multas matres fecerit ille Deus» [3].

Corrupta sic divinitatis notione, ubique sparsi sunt turpissimi errores circa deorum cultum. Quandoque apud Graecos, Romanos, Cartilagineuses, Gallos, Germanos, etc., sacrificia humana offerebantur, et non semel infantes immolati sunt statuae Moloch apud Cananaeos et Phoenicios summi Magistratus et auctoritatum jussu [4], ac fere semper et ubique obsceni cultus vigebant, qui ut foverentur, effigies atque picturae impudicissimae in templis, hortis, domibus, itineribus, pontis, imo et in vasis atque ferculis publice exponebantur.

b) *Circa principaliora religionis capita.* Etenim *spiritualitas* et *immortalitas* animae humanae, quae profecto est princeps fundamentum humanae dignitatis, cuique certe innititur omnis doctrina atque integritas morum et honestatis norma, prorsus negabatur a plerisque. Sic, ut Epicureos praeteream, ipse *Socrates,* morti proximus, post mortem *cuncta destrui* adseruit [5]. Et *Seneca* ait: «Cogita nullis defunctum malis affici; illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse; nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia et reos, et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos... Mors omnium dolorum et solutio est et finis» [6]. Et iterum de defuncto ait: «Nec potest miser esse, qui nullus est».—Ab aliis dubitabatur. Unde *Cicero,* Romanorum forte sapientissimus, diversas philosophorum opiniones hac in re cum retulisset, subdidit: «Harum sententiarum quae vera sit, deus aliquis viderit; quae verisimillima, magna quaestio est» [7]. Et paulo post: «Evolvi, ait, ejus librum (Platonis de immortalitate) et nescio quomodo, dum lego, ad-

1 Leg. Macrobius, *Saturnal.,* lib. I, c. 7; Lactantius, *Div. Inst.,* lib. 1, C. 21; ML 6, 230 sqq.

2 Ipsa quoque vitia honorem et cultum apud Gentiles receperunt. Cfr. Arnobius, *Adv. gent.,* lib. 4, cc. 34-35; ML 5, 1069; et S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. 6, cc. 6, 7 et 8; ML 41, 182 sqq.

3 *Trist.,* lib. 2, v. 290.

4 Cfr. Dollinger, *Heidentum und Judentum,* pag. 396 sqq.

5 Videatur Plutarchus, *Consol, ad Apollon.,* n. 12.

6 *Consol, ad Marciani,* c. 19.

7 *Tuscul.,* lib. i, c. 11.

sentior; cum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, adsensio omnis illa elabitur». Ac tandem in alio loco, cum de animi immortalitate tenuisset sententiam, conclusit: «Quodsi in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo extorqueri volo... Quodsi non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est»[1].

Alii, nunc etiam apud Indos et Sinenses et plures Oceaniae et Africae incolas, metempsychosiin seu transitum animarum de homine post mortem ad pecora pro certo habent.

Praeterea *servitus* seu *mancipium* ita apud Gentiles viguit, ut servis quisque, non tanquam personis, sed tanquam re qualibet uteretur. Eos itaque non solum in commercio vendere, sed etiam mutilare, et occidere secundum accepta jura licitum putabatur.

c) *Circa mores.* Verba profecto desunt, quibus exprimi queant morum corruptio et nefandorum flagitiorum colluvies, quae in gentes praefatis principiis et erroribus imbutas irrepserant, nec leges honestatis sinunt omnes impudicitias, quae in populis viguerunt, commemorare. Meretricum numerus fere infinitus, obscenissimus puerorum inter se amor ubique liber, connubia cum feminis rara, matrimonia contra naturam inter matrem et filium aut inter filiam et patrem, vivente adhuc consorte, nonnunquam celebrata, ludi publici inter adolescentes nudos, balneorum usus publicus inter personas utriusque sexus, et talis in mulieribus vestium forma, ut nudae potius incedere viderentur; en populorum gentilium vivendi modus[2]. Unde, sicut dicit S. *Augustinus,* nullum audierunt populi praeceptum «de cohibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refrenanda»[3]. Huc facit S. *Pauli* testimonium: *Feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes... repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones...'·') 4.* Et *Sallustius* sic describit Romanorum mores: «Ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere... sed lubido stupri, ganeae, caeterique cultus non minor incesserat. Viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in protabulo habere»[5].

Ex his omnibus liquido constat, quid potuerint homines sibi relicti in ordine ad cognitionem veritatum, Deum et religionem spectantium. Non obstantibus quorumdam doctrina et conatibus, ut homines docerent, moresque publicos reformarent, pejores in diem grassabantur errores in societate, et ad verticem usque devenit licentia morum. Ergo

1 *Dialogus de senectute,* c. 23.
2 Vid. Ottiger, *Theol. fund.,* p. I, sect. *1, c.* 2, § 14.
3 *De civit. Dei,* lib. 2, c. 6; ML 41, 52.
4 *Hom.,* I, 26 sqq.
5 *Bell. Catilin.,* cc. 12-13. Cfr. Tortui., *Apologet.,* c. 15; ML 1, 412 sqq.; et Do Broglie, *La morale sans Dieu,* ch. 1.

revelatione supernatural! opus habebant homines, ut has veritates capere possent totamque vitam rationi ac religioni naturali consentaneam componerent.

107. Scholion. Eadem vel potiori ratione docent theologi genus humanum in turpissimos, quos recensuimus, errores semel demersum, et malarum passionum turbine obrutum, nunquam ex hoc profundo barathro citra revelationem emergere potuisse. Ad hoc enim 1) deerat unitas doctrinae et auctoritas in magistris, 2) cupiditatum aestu turbabatur hominum judicium, et 3) gentilium constantia hinc inde fluctibus jactabatur.

Difficultatibus satisfit.

108. Obj. 1.° Cuilibet inest naturaliter per creationem facultas seu potentia moralis cognoscendi ea media, quae sunt ad proprium finem consequendum necessaria. Ergo homini naturaliter inest potentia moralis cognoscendi veritates naturales Deum et religionem respicientes.

Ant. patet.

Conseq. prob. Finis naturalis proprius hominis est gloria Dei et beatitudo naturalis; media vero ad hunc finem consequendum sunt cognitio Dei et legis naturalis, eorumque cultus et observantia. Ergo homini naturaliter inest potentia moralis cognoscendi veritates naturales, quae Deum et religionem respiciunt.

Resp. Diversimode solet a theologis huic difficultati satisfieri.

1.° Respondent nonnulli negando Ant., quia putant sufficienter homini provisum fuisse in creatione respectu proprii finis acquirendi per concessionem facultatis physicae ad veritates, de quibus in praesenti, cognoscendas; et addunt hominem, si hac sola potentia physica nou cognoscit veritates naturales ac legem, culpabilem esse et juste a Deo damnari ac puniri. Sed hoc aequum non videtur Ixmitati ac providentiae Dei.

2.° *Alii* distinguunt inter veritates fundamentales ac secundarias religionis naturalis; et dicunt inesse naturaliter homini facultatem, non modo *physicam,* verum etiam *moralem,* cognoscendi veritates fundamentales seu primarias religionis naturalis, non vero potentiam *moralem* cognoscendi veritates secundarias ac conclusiones remotiores, quae a fundamentalibus educuntur. Sic hominem posse arbitrantur per cognitionem veritatum primae classis et observantiam praeceptorum primigeniorum, quae eis innituntur, proprium suum finem adipisci, licet secundarias veritates ignoret et praecepta item secundaria eis innixa violet.—Veremur, ne hoc fuerit negare ac destruere totum, quod in thesi positum est.

3-° Respondendum cum aliis videtur, Dist. Conseq.: Homini naturaliter inest potentia moralis cognoscendi veritates, etc., si voluntarie ipse non amiserit. Cone.; Si ipse voluntaria ignorantia et pravitate morum amiserit, Neg. Inerat quidem primitus homini vis ac facultas, non solum *physica* sed etiam *moralis* veritatum naturalium etiam religiosarum cognoscendarum et finis proprii adsequendi; ac genus humanum tunc temporis unius Dei cognitionem tenuit, et in praeceptorum observantia aliquando permansit; sed, falsorum numinum cultu in populos inducto, in pessimos errores homines lapsi sunt, et cupiditatum turbine jactati, impares moraliter effecti veritatibus religiosis, prout rationem decet, cognoscendis, et morum continentiae juxta regulas ethicae servandae.

Haec tamen impossibilitas, utpote voluntaria, homini solummodo imputatur, et tantum abest, ut ulla unquam a Deo injuria ei illata fuerit, cum in impossibilitate relictus est.

Nunquam ergo ratio humana aut philosophia generi humano mederi potuit, sed moraliter necessaria fuit revelatio veritatum moralium etiam naturalium, ut homines a viis suis pessimis recedentes vitam instituerent rationi, consentaneam.

Non tamen repugnabat, ut aliquis homo particularis, singulariter sapiens et rectus, satis cognosceret veritates naturales, etiam religiosas, et vitam suam componeret juxta regulas ethicae naturalis. Ideo dictum est in *Statu quaestionis* non hic agi de necessitate revelationis pro singulis hominibus sed pro genere humano.

Obj. 2.° Intellectus humanus potest omnes veritates naturales attingere, quia perfectibilis in se est, curiosus omnia scrutatur, et in suis investigationibus semper tendit ad verum. Ergo.

Resp.·—Dist. Ant. Intellectus humanus potest attingere omnes veritates naturales, *physice,* Cone.; *moraliter,* Neg. Ad probationem pariter dist.: intellectus humanus perfectibilis est, omnia scrutatur, et tendit ad verum, *per se,* Cone.; *per accidens,* ob causas alienas et influxum voluntatis depravatae, Neg. *Physice* loquendo et praecisis impedimentis, quae occurrere possunt, insunt quidem intellectui humano vires sufficientes ad veritates cunctas religionis naturalis cognoscendas, sed *moraliter* impos fit satis frequenter ob errores undique grassantes, et concupiscentiae motus lumen naturale mentis non raro obnubilantes. Et licet *per se* intellectus humanus tendat ad verum, *per accidens* tamen saepe impeditur a veritate acquirenda, falsunique pro vero accipit.

QUAESTIO III

DE COGNOSCIBILI'!'ATE REVELATIONIS DIVINAE

109. Tria quaeruntur in hac materia. 1) An factum revelationis certe cognoscatur; 2) An auctoritas Dei revelantis certo nobis innotescat; et 3) An certe demonstretur veritates revelatas esse evidenter credibiles.

ARTICULUS I

AN FACTUM REVELATIONIS CERTE COGNOSCATUR

110. Status quaestionis. 1) Certitudo juxta S. Thomam est: *Determinatio intellectus ad unum*\ et definitur: *Firma mentis adhaesio veritati cognitae absque ulla errandi formidine.*

Quod ad praesens attinet, est triplex: *metaphysica, physica* et *moralis. Metaphysica* est adhaesio mentis alicui veritati ex motivo fundato in ipsa rei essentia. Sic metaphysice certum est idem non posse simul esse et non esse sub eodem respectu. *Physica* est firma mentis adhaesio veritati ex motivo legum naturae, ut hic ignis comburit. *Moralis* est eadem mentis adhaesio veritati orta ex necessitate legum moralium. Sic europaeis certum est Américain exsistere.

Iterum potest esse *absoluta* seu *philosophica* quae efformatur ex accurata motivorum consideratione, quaeque est magis vel minus scientifica juxta motivorum examen: vel *respectiva* seu *vulgaris,* qua rudes et pueri convincuntur acceptandam esse veritatem a magistris et parentibus propositam 1.

Aliae certitudinis species videri possunt apud logicos.

Hic quaeritur, an factum revelationis certo nobis innotescat.

1 *In III Sent.,* dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 3.

2 Cfr. Urraburu, *Logica Major,* lib. 1, disp. 2, c. 2, n. 51; et Billot, *De fide,* Prolog.. § 3.

111. Thesis. Factum revelationis certo nobis innotescit notis quibusdam internis simul et externis.

Arg. 1) Concilium Vaticanum ait: «Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, *divinae revelationis signa sunt certissima* et omnium intelligentiae accommodata» [1].

Si quis dixerit... miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis Christianae originem rite probari, a. s. [2].

2) In jurejurando, quod contra modemismum plures emittimus, dicimus: «Externa revelationis argumenta, hoc est, facta divina, in primisque miracula et prophetias, admitto et agnosco tanquam signa certissima divinitus ortae Christianae religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam hujus temporis, intelligentiae esse maxime accommodata» [3].

3) S. *Thomas:* «Ille, qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. Unde non leviter credit» [4].

4) *Pius IX* contra hermesianos ait: «Humana quidem ratio... divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum» [5].

112. Scholion. *Qualis debeat esse haec certitudo facti revelationis.*

Diximus modo quotuplex sit certitudo. Ut factum revelationis certo nobis constet, non est necessaria certitudo *metaphysica,* quae firmam mentis adhaesionem ex ipsa natura petit; neque certitudo *physica,* quae ex legibus et ordine naturae habetur; sed requiritur et sufficit certitudo *moralis,* quae ex necessitate morali innixa testimonio idoneo fundatur.

Requiritur quidem certitudo moralis, quia «quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit» [6]. Unde damnata est propositio, quae dicebat: «Adsensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus» [7].

Sufficit certitudo moralis, quia haec tollit omnem formidinem in contrarium, et intellectus per eam adhaeret firmiter veritati.

Nec est semper necessaria certitudo *scientifica,* qua rite expenduntur et percipiuntur motiva, ob quae adhaeremus veritati facti revelationis, sed aliquando sufficit *vulgaris,* qua plures cognoscunt modo ipsis accommodato unam esse, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, et per eam

1 *Sess.* 3, c. 3; Denz-Bannw., 1790.
2 Sess. 3, *Canones de fide,* can. 4; Denz-Bannw., 1813.
3 *Sacrorum Antistitum,* 1 Sept. 1910; *Acta Ap. Sed.,* vol. 2, p. 669.
4 *II-II,* q. 2, a. 9 ad 3.
5 Encycl. *Qui pluribus,* 9 Nov. 1846; Denz-Bannw., 1637.
6 Pius IX, Encycl. *Qui pluribus,* 9 Nov 1846; Denz-Bannw., 1639.
7 Deer. S. Off., 2 Martii 1679, prop. 21; Denz-Bannw., 1171.

doceri factum revelationis. Quare pueri et fideles rudiores, cum audiunt parentes, parochum, magistros et praedicatores explicare doctrinas revelationis, certi sunt certitudine vulgari de facto revelationis.

ARTICULUS II

UTRUM ET UNDE PROBARI POSSIT AUCTORITAS DEI REVELANTIS

113. Constito nobis facto revelationis, operae pretium est in re apologetica, ut auctoritas Dei revelantis demonstretur.

Haec autem nobis certo constat et probatur ex conceptu, quem de Deo habemus.

Deus enim aliqua nobis de facto revelavit. Sed Deus, etiam in revelando est ipsa sapientia et veracitas increata, quae falli vel fallere non potest. Ergo Deus in revelando est indefectibilis.

Unde ex sapientia et veracitate Dei certo deducitur Deum, supposito quod aliqua revelaverit, auctoritate pollere infallibili in revelando.

ARTICULUS III

UTRUM VERITATES A DEO REVELATAE SINT EVIDENTER CREDIBILES

114. Status quaestionis. 1) Evidentia est *ipsa veritatis perspicuitas menti manifestata.*

Differt a certitudine, quia in evidentia praeter firmitatem adhaesionis requiritur claritas visionis, dum ad certitudinem sufficit firma mentis adhaesio alicui veritati sine ulla errandi formidine. Quare S. *Thomas* ait: «Certitudo scientiae consistit in duobus, scilicet, in evidentia et firmitate adhaesionis; certitudo autem fidei consistit in uno tantum, scilicet, in firmitate adhaesionis»[1].

2) Evidentia potest esse: a) *Objectiva* vel *subjectiva. Objectiva* est ipsa veritatis perspicuitas seu identitas subjecti et praedicati; *subjectiva* est cognitio clara veritatis perspicuae.

b) *Intrinseca* vel *extrinseca. Intrinseca* est, quae veritatem intellectui manifestat ob connexionem subjecti et praedicati. *Extrinseca* est, quae veritatem perspicuam menti manifestat ob rationem rei extrinsecam, v. gr., ob testimonium dicentis. Sic nobis evidens est Romam exsistere.

Quando quis evidenter cognoscit *Deum sibi loqui* et credenda proponere, seu veritatem fuisse a Deo affirmatam, habet *evidentiam in attestante;* quando, constito sibi facto revelationis, habet hic et nunc motiva sufficientia, sive interna ut sanctitas doctrinae, sive externa ut miracula et prophetiae, qua credibile fit illud quod revelatum est, habet *evidentiam crcdibilitatis*[2]; quando menti apparet obligatio acceptandi veritates revelatas per auctoritatem Dei, est *evidentia credenditatis.*

1 *In III Sent.,* «list. 23, q. 2, a. 2, sol. 3 ad 1.
2 Cfr. Salinontioonses, *De fide,* disp. 3, dub. I, n. 3.

3) In omni evidentia extrinseca necessaria est interventio voluntatis. Cum enim intellectus non percipiat rei veritatem ex ratione intrinseca ejusdem, indiget actione voluntatis, ut vel removeat difficultates vanas exsurgentes, vel determinet ipsum ad adsentiendum 1.

Haec prae oculis habe in tota apologetica.

Haec credibilitas est rationalis. Credibilitas enim veritatum fidei est *externa quaedam earum dispositio seu conditio, qua ipsae motivis certissimis sunt creditu dignae.* Cum haec conditio in veritatibus fidei certissimis motivis evidenter menti appareat, habetur evidentia credibilitatis.

115. Thesis. Veritates a Deo revelatae sunt nobis evidenter credibiles.

Arg. 1) Concilium Vaticanum ait: «Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est *motivum credibilitatis* et divinae suae legationis testimonium irrefragabile» 2.

Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse... a. s. 3.

2) Ratio est perspicua. Veritates enim a Deo revelatae saepe confirmatae sunt miraculis, prophetiis, mirabili Ecclesiae vita, aliisque certissimis motivis. Cum autem miracula nunquam patrentur in favorem erroris, nec prophetiae praenuntient falsa, nec mirabilis Ecclesiae vita foveri possit influxu falsae doctrinae, consequens est veritates a Deo revelatas esse evidenter credibiles.

QUAESTIO IV

DE NOTIS SEU CRITERIIS REVELATIONIS

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT CRITERIUM REVELATIONIS

116. I. Qui immediate revelationem a Deo accipiunt in lumine prophetico habent evidentiam experimentalem in attestante, et intime persuasi sunt Deum ipsos loqui, ut docet S. *Thomas* 4, et confirmat S. *M. N. Theresia* 5. Hi nullo indigent criterio, ut factum revelationis

1 Cfr. Hervé, *Oe vera religione,* n. 95.
2 Sess. 3, C. 3; Denz-Bannw., 1794.
3 Sess. 3, *Canones de fide,* can. 3; Denz-Bannw., 1812.
4 *II-II,* q. 173, a. 4; *Contr. Gent.,* lib. 3, c. .154.
5 *Moradas, b, c.* 8, «Ditiis» et alibi passim.

cognoscant, vel suam revelationem a falsis distinguant, vel eam credibilem esse demonstrent. Sed alii quodam medio opus habent, ut haec tria cognoscant.

117. II. Quid sint criteria revelationis. Id, quod revelationem manifestat, vocatur ejus *nota;* quod veram revelationem a falsis discernit, dicitur ejus *critérium;* quod eam reddit creditu dignam, appellatur *motivum credibilitatis.* Cum haec tria re non differant, critérium revelationis debet revelationem manifestare, veram a falsis discernere, et rationem, ut credamus, nobis reddere.

118. III. Divisio. 1) Criteria sunt *interna* vel *externa* homini, prout sunt intra vel extra conscientiam credentis aut quaerentis fidem. Sic satisfactio interior, qua gaudet homo in acceptanda revelatione, est critérium internum, et puritas doctrinae est externum homini.

Interna reponuntur in mirabili satisfactione omnium adspirationum, totius quidem humanitatis, si sunt *universalia,* et hominis individui, si sunt *individualia.*

Externa, sic dicta, quia sunt extra conscientiam hominis, possunt esse *intrinseca* vel *extrinseca* veritati.

Criteria externa *intrinseca* sunt, quae ex ipsa natura veritatum revelatarum exsurgunt. Praecipue numerantur doctrinae sublimitas, et mirabilis Ecclesiae vita.

Externa *extrinseca* nuncupantur, quae non ex ipsa doctrina exsurgunt, sed veritatem revelatam extrinsece afficiunt et certo confirmant. Possunt esse *-primaria,* ut miracula et prophetiae, et *secundaria,* ut doctrinae fructus ac historia.

2) Externa, tum intrinseca tum extrinseca, possunt esse *negativa* vel *positiva.*

Negativa important absentiam alicujus malae qualitatis. Sic immunitas ab errore est critérium intrinsecum negativum, et immunitas a fraude in praecone est critérium extrinsecum negativum. Haec, si desint, signum sunt falsitatis doctrinae, de qua agitur; si vero adsint, ostendunt nihil obstare, quominus veritas sit divinitus revelata.

Positiva suppeditant argumenta positiva, quae divinam revelationis originem probant, *probabiliter* quidem, si sint intrinseca, ut puritas doctrinae; et *demonstrative,* si sint pure extrinseca, ut miracula et prophetiae.

ARTICULUS II

DE VALORE CRITERIORUM NOBIS INTERNORUM

119. I. Diximus superius criteria interna revelationis ea esse, quae clauduntur in conscientia hominis credentis vel fidem quaerentis. Investigandum est, quomodo intelligenda sint et quem valorem habeant.

120. II. Errores. Non omnes haec recte intellexerunt.

i) Veteres protestantes, ut *Lutherus, Calvinus* et alii [1], dixerunt verum critérium internum revelationis esse spiritum Dei interiorem, quatenus Spiritus Sanctus interius docet singulos homines sensum revelationis.

[1] Lutherus, *De abroganda missa priv.,* p. i, «Sed addemus»; Calvinus, *Inst.,* lib. I, c. 7, n. 5.

• *Critica.* Sed hoc non est verum, a) Christus Dominus, cum voluit ostendere veritatem revelationis, nunquam ad internum Spiritus Sancti testimonium, sed semper ad alia motiva recurrit. *Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* [1]. Et rursum: *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me* [2].

b) Falsum omnino est singulos homines a Spiritu Sancto instrui de veritate revelationis. Homines enim maxima semper dividuntur opinionum etiam oppositarum diversitate, quod non fieret, si omnes immediate docerentur a Spiritu Sancto.

2) Protestantes recentiores, praesertim *liberales,* docent quemque de revelatis fieri certum per instinctum quemdam et naturalem sensum religiosum, quo homo fertur ad credendum ea, quae sunt divinitus revelata, quin ulla extrinseca ratione manifestetur ei revelationis origo divina. Ita *Strauss, Schopenhauer* et alii [3].

Critica, a) Contra hoc ait Concilium Vaticanum: *Si quis dixerit... sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, a. s.* [4].

b) *Non datur* in singulis hominibus talis instinctus religiosus circa revelationem, ut probat millionum hominum per tot saecula miserrimus ac certe deplorandus in paganismo status; et, si *daretur,* impar esset ad probandam veritatem revelationis, quia instinctus hujusmodi esset naturalis, ad ostendendam revelationem supematuralem impar.

3) Plures hodierni rationalistae volunt unicum critérium revelationis esse conformitatem doctrinae cristianae cum exigentiis rationis practicae. Ita *Spinoza, Rousseau, Kant* et alii [5].

Critica. Rationalistae, qui negant revelationem supernaturalem, frustra loquuntur de criterio revelationis.

Praeterea, credibilitas veritatum fidei juxta ipsos reducitur ad conditionem naturalium, ut possint credi naturaliter secundum exigentias naturales rationis practicae. Sed de hoc non agitur.

4) Modernistae, protestantibus liberalibus maxima ex parte subscribentes, dicunt sensum religiosum, qui actione indigentiae divini supra incognoscibile per vitalem immanentiam erumpit, esse critérium revelationis. Ita *Harnack* in Germania, *Loisy* in Gallia [6]. *Loisy* volebat probationibus religionis dandum esse characterem experientiae intimae [7].

Critica, a) Modernistae non satis distinguunt inter sensum religiosum et revelationem. «An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, sensum illum religiosum in conscientia apparentem; quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese in eodem religioso sensu animis manifestatem?» [8]. Si autem sensus religiosus est ipsamet revelatio, quomodo poterit esse critérium revelationis?

b) Modernistae negant revelationem esse manifestationem veritatis a Deo factam, sed eam dicunt esse acquisitam ab homine suae ad Deum relationis conscientiam[9]. Corrupto autem conceptu revelationis, necessario extra quaestionem vagantur.

5) Fautores methodi immanentiae ponunt critérium revelationis in conformitate doctrinae cum exigentiis naturae nostrae, quasi natura ex se

1 *Joan.,* 5, 36.
2 *Joan.,* 10, 25.
3 Strauss, *Glaubnslehere,* c. 21; Schopenhauer, *Parerga und Paralip.,* § 174-178.
4 *Sess.* 3, can. 3, *De fide;* Denz-Bannw., 1812.
5 Spinoza, ep. 2i, ad Henric. Ordenburg., n. 3; Rousseau, *Lettres écrites de la Montagne,* 31; Kant, *Religio inter fines rationis purae.*
6 Harnack, *Das Wesen des Christentums,* 11, 15 et 16; Loisy, *Autour d'un petit livre,* 6, et *Simples réflexions sur l'Encyclique* «Pascendi», 1; Tyrrel, *Littera* in «Giornale d'Italia», 31 Aug. 1907.
7 *Simples réflexions,* 1. p. 149.
8 Encycl. *Pascendi;* Donz-Bannw., 2075.
9 Decr. *Lamentabili,* 3 Jul. 1907; Donz-Bannw., 2020.

haberet aliquid, quod exigeret supernaturale. Ita *Blondel* et *Laberthonnière* *.

Critica. Hi auctores ex eo praesertim relinquendi sunt, quod «in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem... sed germanam verique nominis exigentiam» 1, quod nefas est dicere.

121. III. Vera acceptio criterii interni revelationis. Apologetae catholici reponunt criteria interna revelationis in mirabili et superabundant! expletione omnium adspirationum in materia religionis. Quod si expleant adspirationes generis humani, vocantur criteria *universalia,* et si expleant adspirationes hominis individui, dicuntur *individualia.*

IV. Quaeritur hic, an praefata mirabilis expletio adspirationum et pax interior, quam quis experitur in audiendo Evangelio et acceptanda religione revelata, afferat certitudinem de credibilitate doctrinae.

1) *Criteria interna individualia inducunt solummodo probabilitatem, non certitudinem, de origine divina doctrinae.*

Afferunt probabilitatem, quia satisfactio et pax superabundans hominis in acceptanda religione, praebet fundamentum ad judicandum illam religionem a Deo doceri.

Non conferunt certitudinem de revelatione doctrinae, quia semper remanet dubium, an pax interior et satisfactio sint effectus causarum naturalium.

Per accidens tamen et *extraordinarie* aliquando afferunt certitudinem, quia interdum gratia extraordinaria supplet motiva externa et elevat motiva interna individualia ad producendam moralem certitudinem practicam, ut factum fuisse novimus in quibusdam conversionibus miraculosis 3.

2) *Criteria interna universalia simul sumpta certitudinem de credibilitate non pariunt, nisi criteriis externis jungantur,* quia ad certitudinem in casu requiritur tam sublimis adspirationum expletio, ut certo excedat omnes vires naturae creatae, et constituat miraculum morale soli Deo tribuendum. Satisfactio autem et pax interior, quantumvis mirabilis sit atque eximia, ex se non videtur certe excedere omnes vires et exigentias naturae, nisi aliquando producat effectus, qui censeantur miraculosi, ut esset completa renovatio societatis, sed in hoc casu jungitur criteriis externis, mirabili scilicet foecunditati religionis historice probatae i.

ARTICULUS III

DE CRITERIIS EXTERNIS RELIGIONI INTRINSECIS

122. Status quaestionis. Ex criteriis externis religioni intrinsecis alia sunt *negativa* alia *positiva,* ut diximus superius.

1 Blondel, *Lettre sur les exigences de la Pensée contemporaine en matière d'Apologétique,* apucl *Annales de Philosophie chrétienne,* Janv.-Juill. 1896: Laberthonnièro, *Annales de Philosophie chrétienne,* Fevr. 1908.

2 Encycl. *Pascendi;* Denz-Bannw., 2103.

3 Cfr. Garrigou-Lagrango, *De revelatione,* lib. 1, c. 17, a. un., § 1.

1 Cfr. Hervé, *De vera religione,* n. 103.

123. Thesis I. Criteria externa negativa non demonstrant doctrinam esse revelatam, utiliter tamen adhibentur, ubi de revelatione examinanda agitur, tum ut ostendatur veritatem potuisse esse revelatam, tum ut demonstretur religiones, quae nostrae religioni contradicunt, esse falsas et non potuisse a Deo revelari.

1) *Non demonstrant doctrinam esse revelatam.* Criteria externa negativa ad summum probant doctrinam, de qua agitur, esse ab errore et contradictione immunem, et ejus propagatorem dolo ac fraude caruisse. Sed hoc non probat doctrinam esse de facto revelatam. Ergo.

2) *Utiliter tamen adhibentur:*

a) Ut ostendatur veritatem, de qua agitur, potuisse esse revelatam, quatenus, cum errore careat, potuit esse objectum revelationis.

b) Ut demonstretur religiones, quae nostrae religioni contradicunt, esse falsas et non potuisse a Deo revelari. Nostra siquidem religio criteriis negativis suffulta ab errore immunis est, dum religiones, quae eidem contradicunt, criteriis negativis carent. Quae enim his carent, non sunt ab errore immunes, ac proinde necessario falsae sunt, et nequeunt a Deo revelari.

124. THESIS II. Criteria externa positiva religioni intrinseca, praesertim simul sumpta, morali certitudine probant doctrinam esse a Deo revelatam, et maxime valent ad revelationem aliunde jam cognitam confirmandam.

Nota. Praecipua hujusmodi criteria sunt sublimitas doctrinae et mirabilis Ecclesiae vita. Ad sublimitatem doctrinae pertinent excellentia, puritas, pulchritudo et harmonia ejusdem. Admirabilem Ecclesiae vitam manifestant celerrima ejus per mundum propagatio, eximia et inexhausta in omnibus bonis foecunditas, catholica unitas et invicta stabilitas.

1) *Sublimitas certe doctrinae et excellentia,* puritate, pulchritudine et harmonia refulgentes, interdum sunt tam mirabiles, ut, attentis humanae naturae viribus, nequeant naturaliter inveniri.

Haec validiora fiunt ad confirmandam doctrinam revelatione jam cognitam, et clariora reddunt alia argumenta in favorem religionis.

2) ' *Admirabilis Ecclesiae vita* est egregium credibilitatis argumentum. Concilium Vaticanum ait ad rem: «Ecclesia per se ipsa ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est *motivum credibilitatis* et *divinae suae legationis testimonium irrefragabile»x.*

QUAESTIO V

DE MIRACULO

125. Diximus superius criteria extema-extrinseca revelationis praecipue esse miracula et prophetias. Ut eorum vis probativa demonstretur, pauca hic dicenda sunt, primo de miraculo, et deinde de prophetia.

l *Sess.* 3, c. 3; Denz-Bannw., 1794.

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT MIRACULUM

126. I. Miraculi nomen et etymon. Miraculum, cui graece vox θαύμα respondet, non semel in sacris litteris et apud scriptores prophanos per voces *virtutes, signa, prodigia, portenta,* vel etiam *opera,* exprimi consuevit. Quarum differentiam et significationem exponens ait S. *Thomas:*. «In miraculis duo possunt attendi: unum quidem est id, quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturae; et secundum hoc miracula dicuntur *virtutes J.* Aliud est id, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supematurale; et secundum hoc communiter dicuntur *signa* 2: propter excellentiam autem dicuntur *portenta* vel *prodigia* 3, quasi procul aliquid ostendentia» 4.

Apud catholicos tamen communiter retinet nomen *miraculi,* cujus etymon ac significationem S. *Thomas* dilucide exponit dicens: «Miraculi nomen a *mirando* est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt... quorum *unum* est, quod causa illius, quod admiramur, sit occulta; *secundum* est, quod in eo, quod miramur, appareat aliquid, per quod videatur contrarium ejus debere esse, quod miramur. Sicut aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam, ignorans calamitae virtutem, cum videatur, quod ferrum naturali motu debeat tendere deorsum. Hoc autem contingit dupliciter; uno modo *secundum se,* alio modo *quoad nos. Quoad nos* quidem, quando causa effectus, quem miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi, nec in re, quam miramur, est dispositio repugnans effectui, quem miramur, secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis. Et ex hoc contingit, quod id, quod est uni mirum vel admirabile, non est mirum vel admirabile alteri; sicut sciens virtutem calamitae per doctrinam vel per experimentum, non miratur praedictum effectum, ignorans autem miratur. *Secundum se* autem aliquid est mirum vel admirabile, cujus causa simpliciter est occulta, et quando in se est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet; et ista non solum possunt dici mira in actu vel mira in potentia, sed etiam miracula, quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima et remotissima a nostris sensibus est divina, quae in rebus omnibus secretissime operatur. Et ideo illa, quae sola virtute divina fiunt, in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula; ea vero, quae natura facit, nobis tamen vel alicui nostrum occulta, vel etiam, quae Deus facit, nec aliter nata sunt fieri nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira vel mirabilia» 5.

1 *Mare.,* 5, 30; 6, 5.
2 *Hcbr.,* 2, 4.
3 *Act.,* 2, 43.
4 *tt-ll,* q. 178, a. 1 ad 3.
5 *De potentia,* q, 6, a. 2.

127. II. Definitio realis. Miraculum est *id, quod divinitus jit praeter ordinem totius naturae creataex.*

Verba *id quod jit* genus definitionis, opus scilicet quoddam seu operationem, non effectum, significant. Particula *divinitus* auctorem miraculi ostendit, qui licet sequentibus .verbis satis luculenter manifestetur, ad majorem tamen claritatem expresse nominatur. Verba *praeter ordinem totius naturae creatae* differentiam continent.

Porro *ordo naturae* nihil aliud est, quam *actionum et operationum juxta leges naturae in eumdem jinem coeuntium modus constans ac stabilis.* Alius est *particularis,* quo quaelibet creatura singularis sibi relicta agit, V. gr., lapis vi attractionis naturalis semper deorsum tendit; et alius *universalis,* quo universa natura seu complexus omnium causarum creatarum, constanter agit.

Hic *ordo universalis,* secundum quem omnia divinitus ordinantur, potest dupliciter considerari; 1) quantum *ad res,* quae tali ordini subduntur, et *ordo universalis* seu *ordo universae naturae* audit, et 2) quantum *ad ordinis rationem,* quae est dispositio divinae sapientiae omnia ad suam bonitatem ordinantis, quaeque *ordo universalissimus* recte dicitur 1.

Quando miraculum esse dicimus, *quod jit praeter ordinem totius naturae creatae,* non loquimur de *ordine particulari,* quia ad rationem miraculi non sufficit, ut aliquid fiat praeter ordinem naturae alicujus particularis; secus, cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum diceretur operari, cum hoc sit praeter ordinem naturae lapidis 3; neque de *ordine universalissimo,* quia ordinem divinae sapientiae nemo unquam transgredi aut effugere valet; sed de *ordine universali* seu *universae naturae.* Ex. gr., lex est et ordo universae naturae creatae, ut corpus mortuum semper mortuum maneat, eo quod in natura creata non sint vires ad illud vivificandum. Quando ergo corpus mortuum resuscitatur, transgreditur lex universalis, et fit *opus praeter ordinem totius naturae creatae,* ac idcirco efficitur miraculum.

Corollarium 1. Ex his facile intelligitur miraculum esse opus, quod fit in rebus ordinatis, seu ad ordinem naturae pertinentibus. Si quid enim a Deo fiat extra leges et ordinem naturae, mirabile fortasse dicetur, non miraculum. Quare caeli et terrae ac animae rationalis creatio, justificatio impii, glorificatio justi, etc., non sunt proprie miracula; quia etsi vires naturae creatae superent, admirationem in nobis excitent, et soli Deo, tanquam proprio auctori, tribuantur, non tamen sunt de rebus ad ordinem naturae spectantibus *.

Corollarium II. Ex hoc patet similiter miraculum juxta aliam definitionem, quae a S. Thoma desumpta circumfertur, esse *opus insolitum. Insolitum* dicitur, quia est praeter ordinem ac cursum naturae, ut egregie explicat ipse Angelicus Doctor his verbis: *«Insolitum,* quod in definitione miraculi ponitur, non dicit raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturae; unde, si quotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia

1 S. Thomas, *I p.,* q. 105, a. 7, et q. tio, a. 4; *De potentia,* q. 6, a. 2; *Contra Gent* , lib. 3, c. 101.

2 S. Thomas, *Contr. Geni.,* lib. 3, c. 98.

3 S. Thomas, *I p,,* q. 110, a. 4.

* Cfr. S. Thomas, */ p,,* c. 105, a. 7 ad i.

praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret» *. Sic rerum creatarum conservatio ac gubernatio, utpote consueto naturae ordini conformes, non sunt miracula.

Nec obstat illud S. *Augustini:* «Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, et tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est» 1. Non obstat, inquam, quia nomen miraculi hic large accipit S. Doctor, in quantum idem significat ac magnum quoddam opus.

128. Miraculorum divisio. Vocatur aliquid miraculum non respectu divinae potentiae, sed per comparationem ad facultatem naturae, quam excedit. Idcirco, quo magis aliquid excedit facultatem naturae, eo majus miraculum dicitur. Hinc

1) *Primo,* secundum quod magis vel minus aliquid excedit facultatem naturae, accipiuntur miraculorum *gradus* seu *ordines.* Tripliciter autem contingit aliquid excedere facultatem naturae· 1) *quoad substantiam facti,* 2) *quoad subjectum* et 3) *quoad modum.* Unde prima divisio miraculorum est in tres *gradus* seu *ordines* enumeratos.

a) Miracula *quoad substantiam facti* seu *primi ordinis* illa sunt, quae absolute in se considerata nequeunt a natura effici. «Sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in miraculis» 3.

b) Miracula *quoad subjectum* seu *secundi ordinis* illa dicuntur, quae natura quidem absolute efficere valet quoad substantiam, sed non in subjecto, in quo revera fiunt. «Sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio caecorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, et potest praestare visum, sed non caeco. Et haec tenent secundum gradum in miraculis» 4.

c) Miracula *quoad modum* seu *tertii ordinis* sunt illi effectus, quos potest, tum quoad substantiam tum quoad subjectum natura facere, sed non *«quantum ad modum et ordinem faciendi.* Sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus, et cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis *(I Peg.* 12, 18) et Eliae *(III Reg.* 18, 42 sqq.). Et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis» 5.

2) *Secundo* dividuntur miracula in ea, quae sunt *supra naturam, contra naturam* et *praeter naturam* ®.

Quam divisionem praeclare exponit *Angelicus* his verbis:

«Supra naturam dicitur esse miraculum, quando natura non potest in ipsam substantiam facti, sicut divisio maris rubri, suscitatio mortui, et hujusmodi.»

l *In II Sent.,* dist. 18, q. 1, a. 3 ad 2.
2 *In Joan.,* tr. 24, n.1; ML 35. 1593.
3 S. Thomas, *I p.,* q. 105, a. 8.
4 S. Thomas, *I p.,* q. 105, a. 8.
" S. Thomas, *I p.,* q. 105, a. 8.
ll S. Thomas, *De potentia,* q. 6, a. 2 ad 3; Benedictus XIV, *De sert. Dei beatif.,* etc., lib. 4, |>. 1, C. I, n. 5

«.*Contra naturam* autem dicitur fieri, quando in re est aliquid contrarium ei, quod fit; sicut si grave sursum moveretur et quod virgo peperit, vel aliquid hujusmodi, ita quod miraculose sequatur actus, manente contraria natura, quae scilicet est principium actus».

Praeter naturam. «Illa vero dicuntur *-praeter naturam* fieri, in quae quidem natura potest quantum ad substantiam facti, sed tamen praeter operationem naturae fiunt jussu divino. Et quod haec dicantur miracula contingit ex tribus: *Primo* propter excessum et singularem quemdam modum; sicut ranae productae in Aegypto in tanta multitudine, sicut antea visum non fuerat *(Exod.* 8). *Secundo,* propter hoc quod hora determinata contingunt ad invocationem divini nominis; sicut quod manus Jeroboam extensa contra prophetam arefacta fuit, et ara ejus divisa *(III Reg.* 13, 4-5). *Tertio,* quando aliquid universaliter contingit; sicut in veteri lege de aqua zelotypiae *(Num.* 5, 14 sqq.), quod post potum illius venter adulterae divino miraculo putrescebat» P

Haec divisio, ut facile quisque videt, coincidit cum praecedenti. Miraculum *supra naturam* idem est ac *quoad substantiam jacti; contra naturam* idem ac *quoad subjectum;* et *praeter naturam* idem ac *quoad modum jaciendi.*

3) Miraculum potest iterum esse *physicum* vel *morale. Physicum* dicitur, quod fit praeter ordinem naturae physicae, ut resurrectio corporis mortui. *Morale* vocatur, quod fit praeter ordinem et leges naturae moralis, et definitur: *Opus quoddam sensibile, quod speciali Dei interventu jit praeter vires morales hominum.* Sic mirabilis Ecclesiae vita est miraculosa.

Cum omnes manifestationes vitae Ecclesiae, ut pernix Evangelii propagatio, eximia Ecclesiae in omnibus bonis foecunditas, stabilis ejusdem unitas, etc., sint miracula ordinis moralis, et exinde habeant vim probativam, magni facienda est haec divisio 1.

ARTICULUS II

UTRUM MIRACULA SINT POSSIBILIA

129. Status quaestionis. Possibilitas miraculi ontologice considerata, de qua hic tantummodo agitur, est ejusdem non repugnantia ad exsistendum.

Haec autem repugnantia, si qua esset, proveniret vel ex parte rerum creatarum, vel ex parte Dei, in quantum vel rerum creatarum leges nullam exceptionem patiuntur, vel Deus, qui est auctor miraculorum, ordinem in rebus statutum mutare non valet.

Ut hujus difficultatis tota ratio conspiciatur, animadvertendum est, quod «nihil potest, ut ait S. *Thomas,* dici miraculum ex comparatione potentiae divinae, quia quodeumque factum divinae potentiae compa-

1 *In 11 Sent.,* dist. i8, q. i. a. 3.

2 Cfr. Tanquoroy, *De vera religione,* n. 368; et Van Noort, *De vera religione,* n. 55·

ratum est minimum»[1]. Idcirco, omne quod fit in tempore, etiam ipsum miraculum, a Deo praecognitum est a tota aeternitate, imo et volitum et ad suam gloriam ordinatum. Possibilitas ergo miraculi non sic intelligitur, ut opus illud stupendum et insolitum effugiat decreta Dei, aut rationem divinae ordinationis transgrediatur, sed quatenus dispositioni divinae sapientiae ejusque liberae voluntati subjectum in tempore efficitur. Hac ratione dictum est superius miraculum non esse praeter ordinem divinae rationis, sed praeter ordinem totius naturae creatae. Porro, decreta Dei immutabilia sunt et nequit Deus in tempore incipere aliquid velle, quod ab aeterno noluerit ordinare.

Quomodo autem hoc fieri valeat, ex eo licet adumbrari, quod Deus simul cum decreto creationis potuerit decernere aliquid praeter ordinem naturae creatae agere; quod ita fieri potuisse nemo non videt, si ex parte creaturarum nulla adfuerit repugnantia.

Hinc quaestio praesens huc facile reducitur, an scilicet miracula vel ex parte legum naturae vel ex parte Dei repugnent.

130. Errores. Jam olim S. *Thomas* errores generales circa miracula enumeravit dicens: «*Quidam*... immobilitatem divini ordinis ad res ipsas, quae ordini subduntur, extendere conati sunt, dicentes, quod omnia necesse est esse sicut sunt, in tantum quod *quidam* dixerunt, quod Deus non potest alia facere, quam quae facit; contra quod est quod habetur *Matth.,* 26, 53: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?—Quidam* autem e converso, mutabilitatem rerum, quae divinae providentiae subjiciuntur, in mutabilitatem divinae providentiae transtulerunt, de eo carnaliter sentientes, quod Deus ad modum carnalis hominis sit in sua voluntate mutabilis; contra quod dicitur *Nuin.,* 23, 19: .Von *est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.—Alii* vero contingentiam divinae providentiae subtraxerunt, contra quos dicitur *Thren.,* 3, 37: *Quis est iste, qui dixit, ut fieret aliquid, Domino non jubente?* »[2].

Haec pro illo tempore perfecte dicta sunt, sed alii post S. Doctorem invecti sunt errores, quorum oportet heic meminisse.

1) *Athei* omnes, qui Deum esse negant, *pantheistae,* qui nullatenus eum a mundo distingui exsistimant, et *emanatistae,* qui mundum per emanationem divinae substantiae ortum esse volunt, omnem miraculi possibilitatem inficiantur. Si revera Deus non exsisteret vel a mundo non distingueretur, nihil praeter ordinem universalem naturae effici posset. Hinc *Joseph Ferrari*[3] blasphemavit dicens miraculum nonnisi consequentiam esse erroris, quo admittitur exsistentia Dei.

2) *Fatalistae* et *deterministae,* qui libertatem agendi Deo denegare audent, et omnia necessario in mundo contingere blaterant, a miraculis abhorrent.

3) *Malerialistae,* qui omnia entia materialia esse, eaque semper necessario agere praedicant, omnem miraculorum possibilitatem e medio tollunt; Ita *Moleschott*[4], *Carret*[5], *Büchner*[6], *Spinoza*[7] et alii.

4) *Positivistae* contendunt hominem nihil in hoc mundo certo scire

1 *I p.,* q. 105, a. 8.
2 *Contr. Gent.,* lib. 3, c. 98.
3 *Filosofia delta Rivoluzione,* tom. 2.
4 *La circulation de la vie,* i.ere lettre.
5 *Demostracidn de la inexistencia de Dios,* § 2.
6 *Force et matière,* ch. «Immutabilité de la matière».
7 *Tract, theol. politic.,* c. 6, n. 52 sqq.

posse de miraculis, ideoque eorum possibilitatem ignorare. Ita *Herbertus Spencer* [1] et alii.

5) A'*aturalistae* demum, sive *evolutionislae* fuerint, sive *deistae* vocentur, sive *theistarum* nomine veniant (vid. sup., n. 93), et *rationalistae* cuncti miraculum, vel impossibile esse ajunt, vel saltem hactenus nunquam fuisse patratum dicunt. Ita *Renan* [2], *Littré* [2], *Jul. Simon* [4],* *Strauss* [5], etc.

131. Thesis. Miracula tum 1) ex parte creaturarum, tum 2) ex parte Dei possibilia sunt.

A) Prob, in genere.

Arg. I. Primum argumentum invictissimum petitur a Concilio Vaticano, ubi miracula possibilia esse expresse definitum est his verbis: «*Si quis dixerit miracula nulla fieri posse... aut... certe cognosci nunquam posse... anathema sit*»[6]. Ergo.

Arg. II. *Consensus* quoque *generis humani* firmissime suadet miracula esse possibilia. In nulla quippe quaestione universalior unquam ac communior exstitit consensus hominum, quam in admittenda miraculorum possibilitate. In omni namque populo ac tribu, tum apud barbaras nationes tum in cultissimis Europae nationibus, a primordiis generis humani, tota saeculorum serie, ad nostra usque tempora, ubique terrarum, ab ipsis quoque falsarum religionum cultoribus semper admissa fuit miraculorum possibilitas. Legantur omnium religionum, sive orientalium sive occidentalium, codices, consulantur orbis terrarum monumenta et inscriptiones, examinentur omnium gentium mores et fides, et omnes una voce, si unum vel alterum falsorum systematum fautorem excipias, miraculorum non modo possibilitatem verum etiam exsistentiam testabuntur. *Sacrae litterae, vitae Patrum* et *historiae* cujusque generis in christianismo, *Thalmud* et *libri cabalistici* in plerisque Orientis regionibus, *Vedae* apud Indos, *Koran* apud Arabes, et *alii libri* apud Sinenses, Persas, Aegyptios aliasque gentes innumera referunt et admittunt miracula. Quod proculdubio demonstrat fidem in miraculorum possibilitatem sensui hominum communi inniti, et nunquam solida ratione negari posse.

B) Prob, per partes.

1.a pars. Ex parte creaturarum non repugnant miracula.

Arg. Actualis ordo naturae et leges, quibus ipse regitur, non sunt adeo necessariae, ut nequiverint ab auctore mundi tum *antecedenter* ad creationem aliter fieri, tum *consequenter* transgredi aut mutari. Ergo miracula non repugnant ex parte creaturarum. *Consequentia* certissima est, quia entia contingentia eorumque leges mutationi obnoxia sunt.

1 *The first principles,* chap. 1-2.
2 *Vie de Jésus,* Introd., et ch. 16; et *Etudes d'Histoire religieuse,* § «Les historiens critiques de Jésus».
3 Praef. ad opera M. Salverte super *scientiis occultis,* 3 ed., p. 39.
4 *Rel. nat.,* p. 2, c. 4.
5 *Lehen Jesu,* §§ 14 et 88.
6 Sess. 3, *De fide,* can. 4; Dena-Bannw., 1813.

Ant. prob. *Antecedenter* quidem potuerunt aliter fieri, quia totus mundus ejusque ordo ac leges sunt effectus liberrimae divinae voluntatis. Quod autem dependet a libera Dei voluntate, poterat vel non produci, vel hoc aut illo ordine creari, ut omnes, etiam rationalistae, concedere coguntur. Ergo ordo et leges naturae *antecedenter* ad mundi creationem erant non necessariae sed contingentes. *Consequenter* vero possunt transgredi aut mutari, quia ordo et leges naturae physicae, a libero Dei decreto provenientes, semper manent contingentes, et novis dispositionibus, si quas Deo placuerit edere, subjectae. Et hoc quidem dupliciter, quatenus potest Deus vel 1) totum naturae ordinem evertere. vel 2) praesenti manente ordine generali, quandoque praeter illum ordinem aut etiam contra inclinationem naturae insitam operari. Hoc praeclare illustrat S. *Thomas* dicens: «Deus potest facere praeter ordinem rerum, quia ordini secundarum causarum ipse non est subjectus; sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis; potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit, puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt» 1.

Prob. 2.a pars. Ex parte Dei non repugnant miracula.

Arg. Si qua esset repugnantia ex parte Dei ad efficienda miracula, attenderetur ex parte vel 1) *potentiae,* vel 2) *immutabilitatis,* vel 3) *sapientiae,* vel 4) *sanctitatis Dei.* Sed miracula nec potentiam divinam superant, nec immutabilitati, aut sapientiae 2, aut sanctitati Dei contradicunt. Ergo miracula ex parte Dei non repugnant.

Extrema videntur in *Majori* sufficienter enumerata. Omnes enim, quas adversarii opponunt, objectiones tanguntur, et fundamenta, ex quibus dicunt repugnantiam oriri, proponuntur.

Prob. Min. per partes.

a) *Deus habet potentiam edendi miracula.*

In Deo est infinita potentia. Infinita autem potentia omnia, quae in sua natura non implicant contradictionem, efficere valet. Porro miracula ex sua natura contradictionem non implicant, ut superius probatum est. Ergo. Quis enim cordate dixerit Deum non posse, quas ipse tulit, suspendere leges, aut ordinem a se in rebus creatis constitutum, praeterire? «Deus, inquit *P. Bulsano,* uti continuo in naturam agit, ita etiam singulari actione eam afficere potest, legesque, quas ipse tulit, quibus autem ipse non subest, suspendere; et sane, si nos in nostrum corpus agere, ejusdem vires suspendere, consuetamque activitatem mutare possumus, cur non posset idem Deus quoque, et quidem circa totum

1 *I p.,* q. 105, a. 6. Cfr. *Contr. Gent.,* lib. 3, c. 98.

2 Spinoza, *Tract, theol. polit.,* c. 6, n. 9, ajebat: «leges naturae universales mera ' - se Dei decreta, quae ex necessitate et perfectione divinae naturae sequuntur Si quid igitur in natura contingeret, quod ejus universalibus legibus repugnarel. id *decreto* et *intellectui* naturae divinae necessario etiam repugnaret».

universum, cujus auctor et gubernator est?»[1]. Unde merito dicit S. *Augustinus:* «Sicut ergo non fuit impossibile Deo, quas voluit instituere, sic ei non est impossibile in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas» [2]. Hinc ipse *Rousseau,* furiosus rationalista, haec scribere non est dedignatus: «Potestne Deus miracula patrare, id est, legibus derogare a se ipso constitutis? Quaestionem hujusmodi serio agitare impium seu absurdum esset. Qui eam negative solveret, non puniendus quidem esset (hoc enim nimis honorificum), sed in amentium carcerem detrudendus» [3].

b) *Miracula non contradicunt immutabilitati Dei.*

Immutabilitati divinae non obstat, quominus Deus eodem decreto, quo res creare et ordinare decernit, omnes determinet exceptiones praeter ordinem consuetum in tempore faciendas, illasque, propter rationes ab aeterno praevisas, opportune exsequatur. Atqui ita se habet. Deus enim, ubi efficit miraculum, non mutat consilium, sed, juxta exceptiones in decreto praevisas ac statutas, effectus insolitos quandoque producit, mutatione ex parte termini solummodo se habente. Ad rem S. *Thomas:* «Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore facit; sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum'quandoque facturus erat» [4]. Et iterum addit: «Aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle, quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium» [5].*

c) *Miracula non repugnant sapientiae divinae.*

Rationalistae qui putant miracula sapientiae divinae repugnare arguunt dicentes: Ordo totius naturae, qui per miraculum praetergredi dicitur, est perfectus vel non. Si primum stulte ageret Deus, illum transgrediendo; si secundum, sapientia Deus caruit, illum statuendo. Ita *Wegscheider* [8], *Spinoza Voltaire* [8] et alii.

Sed tantum abest, ut miraculum repugnet sapientiae divinae. Nam, cum Deus effectus insolitos operatur, ordinem a se statutum non imperfectum agnoscit, nec ejus defectus corrigere intendit, sed abundantia suae sapientiae consuetum rerum ordinem pro casibus particularibus suspendit. Quod luculenter ostendit *Angelicus* dicens: «Ordo a divina sapientia rebus inditus, in quo ratio justitiae consistit, ut supra dictum est (*I p.,* q. 21, a. 2), non adaequat divinam sapientiam sic, ut divina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem, quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se factis imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem; sed divina bonitas est finis improportionabiliter excedens res creatas. Unde

1 *Inslit. theol. gen.,* § 65.
2 *De civitate Dei,* 21, 8, n. 5; ML 41, 722.
3 *Lettres Écrites de la Montagne,* let. 3.
* *De potentia,* q. 6, a. 1 ad 6.
4 *I p.,* q. 19, a. 7.
° *Inst, dogm.,* § 18.
' *Tract. theol. polit.,* c. 6.
8 *Dictionnaire philosoph.,* art. «Miracles·.

divina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit alius cursus rerum effluere; unde dicendum est simpliciter, quod *Deus potest alia jacere quam quae facit» x.*

Imo miracula sapientiam divinam extollere ac commendare satis probat idem S. *Thomas* his verbis: «Nullo... modo melius manifestari potest, quod tota natura divinae subjecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse praeter ordinem naturae operatur; ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit a Deo, non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem» 2.

d) *Sanctitati divinae consonant miracula.*

Deus enim, miracula operando, leges morales, juxta quas attenditur omnis sanctitas, non transgreditur, sed potius commendat ac confirmat, cum omne miraculum ad alicujus virtutis aut veritatis confirmationem operetur. Unde apposite S. *Thomas* ait: «Deus potest facere contra ordinem, qui est unius creaturae ad aliam... non tamen potest facere contra ordinem creaturae ad seipsum... Unde contra ordinem justitiae Deus facere non potest. Cursus autem naturae est secundum ordinem unius creaturae ad aliam» 3.4

Difficultatibus satisfit.

132. Obj. 1.° Miraculum semper significat derogationem alicujus legis physicae. Legibus autem physicis derogari est impossibile. Ergo. Prob. Min. Leges physicae sunt immutabiles. Ergo eis derogari nequit.

Resp.—Neg. Min. Ad probationem, Dist. Ant. Leges physicae sunt immutabiles, *hypothetice,* data nempe suppositione, quod ab agente superiori non suspendantur, Cone.; *absolute* omnes, Neg. Leges quidem physicae *quaedam.* sunt *absolute* immutabiles, ut rerum essentiae, circulum non esse quadratum, etc., quibus derogari est impossibile; *aliae* vero sunt *hypothetice* constantes; ut quod mortuum maneat semper mortuum, etc., quibus a causa creata derogari nequit, quia omnes causae secundae sub memoratis legibus continentur; sed Deus, qui eas condidit et conservat, jure optimo, cum voluerit, potest eis derogare.

Spinoza 1 ostendere conatur omnes leges physicas naturae esse absolute constantes et immutabiles, quia i) fluunt a rerum essentiis, 2) pendent a Deo non secus ac ordo et lex moralis, et 3) procedunt ab intellectu divino, qui immutabiliter operatur.

Sed haec nugae sunt et vix solutione digna. *Ad* Leges physicae naturae fluunt ab essentiis rerum, et concursu seu interventu divino indigent, ut actu juxta naturae ordinem operentur, et immutabiles permaneant, Cone.; concursu divino destitutae possunt actu agere et immutabiles consistere, Neg. *Ad 2.*"": Quando leges physicae a Deo dicuntur pendere non secus ac ordo et lex moralis, sensus est aequivocus; potest enim 1) comparatio ad ipsam dependentiam referri, et sic verum est leges tam physicas quam morales a Deo pendere; sed potest 2) comparatio *ad modum dependentiae* spectare, et hoc sensu non est verum leges physicas et morales *eodem modo* a Deo pendere; quia leges physicae pendent a decreto Dei derogationibus et exceptionibus in tempore faciendis modificato, leges vero morales a decreto Dei absoluto absque ulla derogationis modificatione. *Ad 3.*"·" dicendum est leges naturae pendere *quoad conceptionem* ab intellectu

1 *I p·.* q. 25. a. 5.
2 *Conlr. Gent.,* lib. 3, c. 99.
3 *De potentia,* q. 6, a. 1 ad 3. Cfr. *I p.,* q. 105, a. 6.
4 *Tract, theol. politic.,* c. 6.

divino simul cum decreto derogationum tempore opportuno faciendarum, non vero absolute absque decreto derogationum. Praeterea, *quoad exsecutionem* non tantum ab intellectu divino sed etiam a voluntate Dei pendent.

Obj. 2.° Admissa miraculorum possibilitate, tolluntur plures scientiae naturales. Hoc autem fieri nequit. Ergo miracula non sunt possibilia. Prob. Maj. Plures scientiae naturales versantur circa objecta physica hujus mundi. Objectum autem scientiae oportet esse constans et immutabile. Sed admissa miraculorum possibilitate nullum est objectum physicum constans; posset enim quilibet dubitare, num ejus legibus per miraculum derogatum fuerit. Ergo, admissa miraculorum possibilitate, tolluntur plures scientiae naturales. Ita *Julius Simon* [1], *Renan* [2], etc.

Resp. 1.° Haec objectio falso nititur fundamento. Supponit enim scientiam esse de casibus particularibus, in quibus fit miraculum, vel miracula ita continuo effici, ut statum permanentem constituant.

2.° Respondendum est igitur miracula non continuo per modum status permanentis operari—hoc enim pacto agit natura secundum consuetum rerum ordinem—sed raro, juxta exceptiones a Deo praeordinatas; et tunc hominibus innotescunt. De his autem casibus particularibus non agunt scientiae, sed de legibus generalibus rerum, quae sibi relictae, dum actione Dei extraordinaria non impediuntur, constanter agunt, et immutabiles permanent. Transgressio igitur ordinis naturae aliquando a Deo facta, et, ubi fit, hominibus nota, non obstat, quominus scientiae naturales, quae legibus naturae constantibus innituntur, certae sint et immutabiles.

ARTICULUS III

UTRUM ALIQUANDO FACTA FUERINT MIRACULA

133. *Rationalistae* generatim et plures artis medicae cultores negant aliquando facta fuisse miracula, et contendunt opera portentosa, quae narrantur ut miraculosa, esse vel effectus suggestionis vel facta naturalia.

Rousseau, furiosus rationalista, admissa miraculorum possibilitate, addit rationem contra factum miraculorum his fere verbis: Miracula dicuntur fieri propter hominem. Cum autem homo nihil fere sit rerum universitati comparatus, non est credendum Deum propter exiguam creaturam agere voluisse contra ordinem naturae statutum [3].

134. Thesis. Fide certum est et historice tenendum aliquando facta fuisse miracula.

Arg. 1) Christus Dominus Lazarum a morte suscitavit [4], visum dedit homini Caeco a nativitate [5], paraliticum a triginta et octo annis illico fecit ambulare [6], et alia fecit opera stupenda, quae certe miracula sunt.

2) S. *Augustinus* tot intellexit facta fuisse miracula, ut in libris *De civitate Dei,* lib. 22, caput octavum inscripserit his verbis: *De miraculis, quae, ut mundus in Christum crederet, jacta sunt, et jieri mundo credente non desinunt;* et deinde ait: «Facta esse multa miracula, quae

1 ***Religion naturelle,*** ed. 5, p. 248 sqq.
2 ***Etudes d'Hist. relig.,*** § «Les historiens critiques de Jésus».
3 ***Lettres écrites de la Montagne,*** let. 3.
4 ***Joan.,*** ii, 43 sqq.
5 ***Joan.,*** 9, 2 sqq.
6 ***Joan.,*** 5, 5.

attestarentur illi uni grandi salubrique miraculo, quo Christus in caelum cum came, in qua resurrexit, ascendit, negare non possumus» x.

3) Doctores in arte medica celeberrimi saepe testantur facta extraordinaria, quae examinata sunt in causis beatificandorum et canonizandorum, imo et curationes peractae in Lourdes aliisque mundi sanctuariis, fuisse vere miracula.

ARTICULUS IV

QUAE SIT CAUSA MIRACULORUM

135. Status quaestionis. Hic agimus de causa efficiente miraculorum.

Porro causa efficiens potest esse principalis vel instrumentalis.

De utraque hic quaeritur.

136. Placita theologorum, i) *Benedicitis XIV* censet opera mira ac insolita, quae vires naturae visibilis excedit, a bonis angelis vi ipsis propria ac naturali patrata, esse vere miracula ·. Benedicto XIV subset ibunt *Hooke, Schouppe, Ottiger* et alii 3*

Eruditissimus Pontifex et qui ipsum sequuntur philosophi ac theologi distinguunt inter miraculum *absolutum* et *relativum.* Primum dicunt excedere vires creaturarum, et a solo Deo fieri posse. Alterum volunt excedere vires creaturae visibilis, non vero creaturae invisibilis, et a bonis angelis effici posse.

2) *Angelicus Doctor* defendit solum Deum posse virtute propria efficere miracula S. Thomam sequuntur 5. *Bonaventura, Suarez, Palmieri, Mazzella, Wilmers, Urraburu, Muncunill* et alii 5.

137. Thesis. Solus Deus potest virtute propria efficere miracula proprie dicta.

Arg. 1) Miraculum est, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae. Solus autem Deus potest agere praeter ordinem totius naturae creatae. Ergo. Quae angelus agit activa passivis applicando, possunt esse mira, sed, cum contineantur intra ordinem naturae, non sunt miracula.

2) «Quod enim est sub ordine totaliter constitutum, ait *Angelicus,* non potest praeter ordinem illum operari. Omnis autem creatura est constituta sub ordine, quem Deus in rebus statuit. Nulla ergo creatura potest supra hunc ordinem operari, quod est miracula facere» e.

l *De civ. Dei,* lib. 22, c. 8, n. 1; MI. 41, 760.

2 *De serv. Dei beat, et beat, canonizat.,* lib. 4, p. 1, cc. 1-6.

3 Hooke, *Theol. cursus complet.,* 2, coi. 511; Schouppe, *Elementa theol. dogm.,* n. 134; Ottiger, *Theol. fundament.,* § 19.

* *I p.,* q. 105, a. 7, et q. no, a. 4; *De potentia,* q. 6, a. 2; *Contr. Geni.,* lib. 3, c. IOI.

» S. Bonaventura, *In II Sent.,* dist. 7, p. 2, a. 2, q. 2; Suarez, *De angelis,* lib. 4, c. 39, n. 2 sqq.; Palmieri, *Pneumatologia,* c. 3; Mazzella, *De religione et Ecclesia,* n 188 sqq.; Wilmers, Di *religione revelata,* lib. 1, c. 3, a. 5, § 1; Urraburu, *Cosmologie,* n. 114; Muncunill, *De vera relig.,* n. 173.

• *Contr Geni.,* lib. 3, c. 102.

138. Schollon. *De interventu sanctorum angelorum, hominum et daemonum in operatione miraculorum.*

1) Sancti angeli et homines. Licet solus Deus possit virtute propria miracula facere, nihil tamen obstat, quominus sancti angeli et homines, ut instrumenta et ministri Dei, ea multoties operentur. «Ad miracula facienda angeli tripliciter operantur. *Uno modo* precibus impetrando, qui modus et hominibus et angelis potest esse communis. *Alius modus* est secundum quod angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc quod miraculum fiat, sicut dicitur, quod in resurrectione colligent pulveres mortuorum, qui divina virtute reducentur ad vitam... *Tertius modus* est, quod operentur etiam aliquid coagendo» *. Qualiter hoc ultimum esse possit explicat *Angelicus* dicens Deum imperio suo facere miracula. Imperium autem divinum ad homines mediantibus angelis, et ad creaturas corporales mediantibus angelis et hominibus saepe pervenit; et sic angeli et homines, ut instrumentum divinae virtutis, ad perfectionem miraculi operantur.

2) Angeli et homines sunt causae instrumentales physicae miraculorum. Hoc satis innuit S. *Thomas* dicens: «Virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum..., quae non permanent nisi per praesentiam agentis principalis, sicut lumen in acre et motus in instrumento... Nec est mirum, si per hunc modum spirituali creatura instrumentaliter utitur ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali natura utatur instrumentaliter ad spirituum justificationem, ut in sacramento patet»

3) Daemones. Daemones tamen neque ut instrumenta et ministri Dei valent miracula proprie dicta efficere. Ad ea quippe, quae sunt supra facultatem naturae ipsorum, iis a Deo nulla datur potestas, ne Deus falsitati eorum testis exsistere videatur.

ARTICULUS V

UTRUM MIRACULA CERTO COGNOSCI POSSINT

139. Status quaestionis. 1) Miraculorum possibilitate et exsistentia invictissimis argumentis, ut par erat, semel demonstratis, operae pretium est eorum cognoscibilitatem quodammodo declarare. Porro cognoscibilitas miraculorum potest dupliciter considerari: 1.° *Quoad ipsum factum miraculosum,* in quantum scilicet *veritas historica* miraculi manifestatur, et probatur factum insolitum, quod narratur, reipsa contigisse, v. gr.: Lazarum a mortuis surrexisse. *2° Quoad naturam miraculorum,* quatenus veritas eorum philosophica demonstratur, et ostenditur opus illud, quod refertur, esse vere supematurale.

2) *Ad primum* quod attinet, dupliciter contingit factum miraculosum, sicut et quodlibet aliud factum historicum, comprobari: a) aliorum nempe *testimonio* et *auctoritate,* ubi agitur de factis, quorum testes non fuimus, et b) *propria evidentia,* si sermo fuerit de factis, quae nos ipsi perspeximus.

Veritas vero *philosophica* sola ratione, qua *factum historicum* semel admissum vires naturae creatae excedere comprobatur, ostendi potest. Quae probatio talis sit oportet, ut miraculum ab omnibus *magnetismi, hypnotismi* et aliis naturae occultis phaenomenis, necnon a diabolicis prodigiis perfecte discernat.

1 *De potentia,* q. 6, a. 4.
2 *De potentia,* q. 6, a. 4.

Quaestio igitur est, an et quomodo veritas tam *historica* quam *philosophica* miraculorum nobis innotescat.

Non hic agitur de omnibus ac singulis miraculis, sed in genere quaeritur, utrum quandoque certa miraculorum notitia comparari queat.

140. Errores. *David Hume* [1] et alii non pauci, qui ipsum sequuntur, increduli negant *factum historicum* miraculorum probari posse. Putant enim nihil de factis sciri, nisi uniformis experientia constanter docuerit; et, ubi contrariae oboriuntur opiniones, singula docent singulorum experientiae committi debere. Duplicem autem addunt *experientiam* hactenus observari; *unam,* quae *casus omnes* secundum naturae ordinem explicat, et *alteram,* quae *casus nonnullos* ex hominum testimonio et propria observatione cursui naturae contrarios exhibet. Enim vero, potiorem esse volunt experientiam, qua docemur cursum naturae esse constantem, quam quae casus nonnullos ordini naturae contrarios praesefert; quia facilius est mille testes in casu particulari fallere aut falli, quam naturae ordinem interrumpi. Exinde concludunt neminem posse certam miraculorum notitiam comparare. Humium sequuntur *Rousseau* [2], *Laplace* [3] et alii.

Plures rationalistae, victi tandem catholicorum argumentis, fassi sunt miracula esse quidem possibilia, sed ajunt eorum *veritatem historicam* et *philosophicam* nullatenus demonstrari. Ad hoc enim volunt *examen juridicum* miraculorum instituendum fore; id est, opus insolitum coram coetu scientifico medicorum, physicorum et physiologorum ad hoc convocatorum, loco, tempore et circumstantiis ab iisdem scientiarum magistris designandis, ex. gr. coram Parisiens» Academia, patrandum fore. Quod hucusque nullibi factum esse referunt historiae. Ita *Renan* [4] et alii ex grege rationalistarum plures.

141. Thesis. Veritas tum historica tum philosophica miraculorum potest certo cognosci.

I. In genere.

Concilium Vaticanum ait: *Si quis dixerit... miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis Christianae originem rite probari, a. s. 5.*

II. Per partes.

1) *Veritas historica.*

Miraculum, quod refertur, vel a) nobis praesentibus patratum est, vel b) ab aliis relatum accepimus. In utroque autem casu potest nobis constare veritas ejus historica. Ergo.

P. Si factum miraculosum ipsi perspeximus, ad ejus certitudinem historicam habendam sufficit, ut sensus fuerint recte dispositi et rite applicati, id est, ut sensus factum insolitum, circa proprium objectum patratum, bene perceperint. Compertum est autem hoc saepe saepius fieri potuisse; nam opus supematurale et insolitum, dummodo sit sensibile, aeque obvium est sensibus nostris et tam facile observatu, quam quodlibet aliud naturale et ordinarium. Quis enim sibi inaniter illudi praesumat, si propriis oculis viderit mortuum resuscitari, hominem super mare ambulare, aquam in vinum converti, vel audierit mutum loqui?

1 ***Led. X of Miracles,***
2 ***Lettres écrites de la Montagne,*** 2, 3.
3 ***Sur les probabilités,*** Paris, 1816, p. 135.
4 ***l'ie de Jésus,*** Introd., § «Ce n'est donc pas».
° Scss. ***2,*** can. 4, ***De fide;*** Denz-Bannw., 1813.

2. Si factum ab aliis relatum accepimus, non desunt media, quibus certo liceat testium certam scientiam veracitatemque comprobare.

a) *Scientiam* quidem, quia, cum ipsi iisdem ac nos facultatibus mentis et corporis praediti fuerint, potuerunt facta, quae retulerunt, rite percipere; et credendi sunt ita percepisse, ubi historiam et opera narrarunt, quae potuerunt praesentes cognoscere. Nisi enim velis historiae fidem negare, et omnes historiographos summae ignorantiae accusare, concedas oportet testes miraculorum, cum res insolitas narrarunt, facta omnia eorumque circumstantias diligenter considerasse ac cognovisse.

b) *Veracitatem* quoque testium certo licet colligere, si *traditione orali perpetua vel testimonio scripto authentico* factum miraculosum plures narrant, si omnes unanime ferant testimonium, si probitate vitae insignes sint, si nihil emolumenti ex facta narratione lucrentur, si aliis donentur legitimis ad fidem faciendam qualitatibus. Cur enim fuerit testimonium his characteribus vestitum minus certum circa miracula, quam circa alia facta? Quod si hujusmodi testium adsertiones respuantur, nulla erit fides humana, nulla certitudo historica, nulla demum eventuum cognitio, nisi quam sensus proprii nobis suppeditaverint. Testes autem his conditionibus insigniti narrant quandoque miracula. Ergo eorum veracitas in dubium verti nequit.

2) *Veritas philosophica.*

Arg. I. Concilium Vaticanum, sess. 3. *De Fide,* can. 4, haec statuit: *«Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut* miracula cognosci nunquam posse, *nec iis divinam religionis Christianae originem rite probari, a. s.»* Quam definitionem ad veritatem tum historicam tum philosophicam miraculorum referri compertum est.

Arg. II. Miraculi veritas philosophica certo cognoscitur, cum opus stupendum, quod narratur, totius naturae vires, ideoque naturae corporeae activitatem, hominum artes, imaginationem ac fraudes, et daemonum imo et angelorum bonorum ministerium penitus excedere comprobatur. Hoc autem non raro demonstrari valet. Ergo. *Prob. min.*

P. *in genere.* Etsi plures naturae vires in hac vita nos lateant, certo tamen aliquando cognoscimus quaedam opera a natura creata fieri non posse, quidquid in contrarium dicant *Spinoza* \ *JVegscheider* 1, *Rousseau* 3,* *Harnack* 1 et alii. Attentis enim natura *operis,* conditionibus *subjecti,* et circumstantiis *modi,* saepissime concludi licet media naturalia, quaecumque illa sint, improportionata esse effectui, de quo agitur, producendo. Quis enim audeat dicere a) naturaliter duo corpora esse simul in eodem loco, solem retrocedere, corpus humanum glorificari?. b) item naturaliter mortuum resuscitari? 5, caecum a nativitate

1 ***Epist.*** 23; et ***Tract, theol. pol.,*** c. 6.
2 ***Inst. theol.,*** Proleg., c. 1, § it.
3 ***Lettres écrites de la Montagne,*** 3.
1 ***Lehrbuch der Dogmengesch.,*** 1.
5 Tyndall, opere ***Dans les montagnes,*** ausus est dicere tempus aliquando futurum, quo mortui naturalibus mediis resuscitentur.

visum recuperare, etc., aut c) naturaliter et absque ulla mediorum applicatione, et citra consuetum naturae processum, hominem a cancro statim liberari? Causae creatae, licet occultas habeant vires, nequeunt, nisi adhibitis mediis proportionatis, suos effectus producere. In natura autem creata desunt media proportionata ad plura opera, quae ab hominibus conspiciuntur, producenda, sicut patet ex miraculo patrato in panum et piscium multiplicatione [1]. Hinc colliges quantum aberraverit *Pfleiderer* [2], cum semina miraculorum dixit esse causis naturalibus ab aeterno a Deo indita, ex quibus naturaliter profluunt in tempore miracula, quae ab aliis effectibus nonnisi raritate distinguuntur.

2. *per partes.*

a) *Non raro demonstrari valet opera quaedam excedere omnes naturae corporeae vires.* Hoc evidentissime patet ex illis insolitis operibus, quae absque ullo rerum physicarum subsidio efficiuntur. Si enim thaumaturgus, nullis adhibitis naturalibus remediis, solo nutu aut vocis imperio naturae ordinem aut cursum immutet, mortuum suscitando, caecum illuminando, aquam in vinum convertendo; vel illa adhibeat media, quae nullatenus apta sunt effectui producendo, ut cum Jesus ad linitionem luti restituit visum; manifestum est opus illud, attentis rerum circumstantiis, excedere omnino cunctas naturae corporeae vires. Natura siquidem corporea nihil potest efficere, nisi activa passivis applicando.

b) *Saepe demonstrari valet opera quaedam humana arte, imaginatione aut fraude produci non posse.*

Non *arte,* quia, ut recte ait *Tongiorgi,* «mirabilia arte fiunt vel per motus locales dexteritate quadam contectos aut artificiosa celeritate oculis intuentium subductos, vel per applicationem naturalium agentium ad passiva proportionata. Itaque, si quid per motum localem aut naturae viribus adhibitis ab homine fieri nequit, hoc certe non erit artis operatio» [3]. Porro quamplurima sunt opera miraculosa, quae neque per motum localem neque per applicationem agentium naturalium produci possunt, ut resurrectio mortuorum, sanatio in absentiam, etc.

Neque *imaginatione.* Multa fieri per imaginationem mira phaenomena neminem latet, quia haec potentia, praesertim in mulieribus, maxima vi praedita est, ita ut morbos interdum producat vel etiam depellat. «Imaginationi, ait S. *Thomas,* si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua, puta quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis...; similiter etiam quantum ad alternationem, quae est secundum calorem et frigus, et alia consequentia; eo quod ex imaginatione consequenter natae sunt consequi animae passiones, secundum quas movetur cor; et sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur» [4]. Item per *somnambulismum, magnetismum* et *hypnotismum* phaenomena stupenda, praesertim in morborum curatione, patrari constat. At facta miracu-

1 Cfr. Pesoh. *Jnstitutiones propaed.,* n. 188.
2 *Religions philosophie,* 1, 443.
3 *Cosmologia,* n. 470.
4 *III p.*, q. 13. a. 3 ad 3.

losa multum excedere vim imaginationis, et somnambulismi, magnetism! atque hypnotism! agendi rationem satis superque demonstrant Doctores catholici. Imprimis enim in his theoriis media adhibentur naturalia curationi obtinendae proportionata, in miraculis vero nulla, nisi virtus divina. Praeterea per hypnotismum, etc., nonnulli morbi, ut qui ex nervorum perturbatione orti sunt, curantur, nunquam qui ex organorum laesione aut alia gravi causa provenerint. Quis unquam hypnotism! ope caecis visum restituit, mutis loquelam concessit, surdos audire fecit, mortuos suscitavit, panes et pisces multiplicavit? Haec itaque miracula sunt.

Neque *fraude.* Fraude enim finguntur insoliti ac miri effectus, qui revera tales non sunt. Impossibile autem est, ut, quae S. Scriptura narrat, fictione aut simulatione inventa fuerint. Quis enim hucusque mortem ita simulavit, ut per tres dies in sepulcro jacuerit, et postea ad vocem alicujus subito resurrexerit? Quis caecitatem toto vitae cursu finxit, ut caecus a nativitate videretur, et miraculo se sanatum exhiberet?

c) *Item demonstrari potest prodigia permulta daemonum interventui non esse adscribenda.*

Primo, quia daemones nequeunt aliquid efficere nisi per motum localem vel per applicationem alicujus agentis naturalis. Neutro autem modo potest mortuus homo ad vitam restitui, vel corpus terrenum glorificari. Ergo facta miraculosa daemonum interventui adscribi non possunt.

Deinde, «sic Deus, ut bene observat S. *Bonaventura* [x], temperat potentiam et astutiam diabolicam, ut sic patiatur eum perverse imitari, ut in ipsa imitatione possit seducere malos juxta eorum merita mala, possit etiam deprehendi a bonis, et ut fides simul cum miraculis habeat locum». Hinc ad benevolentissimam Dei providentiam pertinet, ut nunquam patiatur per daemones effici praestigias ac mirabilia, quae ab hominibus bonae voluntatis detegi non valeant. Dantur ergo signa, quibus vera miracula a praestigiis daemonum discerni tuto possint.

142. Sequentia valent, ut opus divinum a fraudibus diabolicis distinguantur.

1) Si *natura ipsa operis* talis sit, ut juxta regulas critices omnes diabolicas vires penitus excedat, opus divinum esse recte judicaveris. Sic *resurrectio mortuorum* rite probata, *certa praedictio luturorum contingentium,* e't *perfecta secretorum cordium cognitio,* non diabolo sed Deo adscribi debent.

2) *Factum mirabile,* si alio miraculo certo et evidenti confirmatum vel aliqua prophetia comprobatum fuerit, ut miraculum a Deo patratum certe habendum est. Deus enim nunquam edit miraculum, nec cuipiam concedit spiritum prophetiae in confirmationem operis daemoniaci.

3) *Ex operis characteribus* recte cognoscitur actio Dei, et secernitur ab opere diabolico. Hos characteres dilucide expositos accipe ex S. *Thoma* et *Suarez.*

[1] ***In II Sent.,*** diet. 7, p. 2, a. 2, q. 2, in fine.

Opera Dei discernuntur a praestigiis daemonum:

a) *«Ex utilitate signorum.* Quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum et hujusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida et hujusmodi.

β) *^Quantum ad finem.* Quia signa bonorum ordinantur ad aedificationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis.

γ) *»Quantum ad modum* differunt. Quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter, sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris et hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab iis, quae virtute daemonum fiunt». Haec S. *Thomas* [1], quem exponens addit *Suarez* [2] miracula posse distingui.

δ) «Bene considerando ipsamet opera, signaque et circumstantias eorum.

ε) »Considerando personam, vitam et mores ejus, qui sic loquitur et operatur.

) «Considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi adversetur, vel aliis revelationibus divinis sufficienter propositis per Ecclesiam» [3].

4) *Miracula discerni possunt ah operationibus angelorum bonorum.* Nam vera miracula ratione *operis,* quod fit. vel *subjecti,* in quo patrantur, vel *modi,* quo efficiuntur, praeseferunt plerumque signa propria, quibus innotescunt ut opera Dei solius. Sic compenetratio duorum corporum *simul* in eodem loco et glorificatio corporis humani, ratione *operis;* resuscitatio mortui et visio data caeco nato, ratione *subjecti;* et subita sanatio aegri, gravi infirmitate laborantis, ratione *modi,* interventum divinum manifestant, et Deo, non sanctis angelis, adscribi debent.

Solvuntur difficultates.

143. Obj. 1.° Phaenomena plura, quae jampridem ut miracula habebantur, hodierno progressu scientifico naturaliter effecta fuisse declarantur. Quidni dicantur pariter producta, quae nunc supernaturalia censentur? Sic plures rationalistae.

Resp. 1. Nunquam fuisse aliquid progressu scientifico naturaliter effectum, quod naturae legibus adversatur, ut in miraculis saepissime contingit. Quando sunt progressu scientiarum mortui resuscitati, membra descissa suo corpori subito restituta et sanata, duo corpora in uno loco simul collocata, vel unum per bilocationem in duo loca extensa?

2. Plura etiam phaenomena, quae hodie per virium activarum passivis applicationem producuntur, potest dici olim vera miracula fuisse. Quia vires naturae, quibus haec phaenomena hodie efficiuntur, ignotae erant ante progressum scientificum; ideoque thaumaturgus, ubi miracula patravit, nullum adhibuit remedium naturale, nec vires naturae applicuit ad eorum

[1] ***In II Sent.,*** dist. 7, q. 3, a. 1 ad 2.

[1] ***De myst. vil. Christ.,*** disp. 31, sect. 2, η. 8.

Cfr Gerson, ***De distinctione verarum visionum a falsis,*** t. 1, coi 45; Ribet, ***I.a Mystique divine,*** t. 3, ch. 8.

effectionem, sed solum Deum exorando, et virtutem ex alto invocando, mira operatus est. Neganda ergo est *consequentia.*

Obj. 2.° Plura phaenomena ope *magnetismi, spiritismi* et *hypnotismi* facta dubitantium saltem suadent circa miraculorum certitudinem. Occultis enim causis ita stupenda in diversis statibus hypnotismi, etc., producuntur, ut quilibet animo dubitare constituat, num omnia queant, etiam primi generis miracula, naturaliter effici.

Resp. 1.° Nostra non interest impraesentiarum integrum tractatum de *magnétisme, spiritisme* et *hypnotisme* scribere. Consulat lector, quod ad praesens attinet, *Van Weddingen* [*], *Meric* [1], *Castelein* [3], *Monsabré* [4], *P. Franco* [5], *Coconnier* [6], *Jaugey* [7], *Mir* [8], [*] *Urraburu* [8], *Ugarte Ercilla* [10] et alios.

2.° Libenter fatemur haud raro nos ignorare, utrum prodigia multa, quae operantur, naturaliter effici queant, vel virtuti supernatural! adscribi debeant. Quare communiter docent Doctores cum omni cautela esse procedendum, quoties judicium circa facta insolita ferri oporteat. Interdum enim nonnisi probabilitas super veritate philosophica miraculorum obtineri potest [11].

3.° Falsum omnino est semper esse dubitandum, num opus mirabile, quod cernitur, fuerit vere supernaturale et miraculosum vel ope *magnetismi, spiritismi* aut *hypnotismi* productum. Constat enim, non raro, ut superius dictum est, facta quamplurima esse supernaturalia; tum quia ipsa operum natura excedit omnem virtutem creatam, tum quia nullus interfuit eis influxus *magnetismi, spiritismi* aut *hypnotismi* [12].

ARTICULUS VI

UTRUM MIRACULUM SIT VERUM CRITERIUM REVELATIONIS

144. Status quaestionis. Postquam miraculorum naturam investigavimus, eorumque possibilitatem ac discernibilitatem ostendimus, operae pretium est quaerere, utrum miracula sint revera inter criteria revelationis recensenda, id est, an divinam revelationem vere discernant, manifestent et commonstrent.

Ut punctum hujus difficultatis melius intelligatur, animadvertendum est duplicem inter alios posse Deum sibi praestituere finem in edendis miraculis, sive ab ipso immediate efficiantur, sive a sanctis angelis et hominibus virtute divina operentur: 1) ostensionem semper suae magnitudinis, gloriae ac bonitatis, et 2) confirmationem nonnunquam revelationis divinae [13]. Si Deus ostensionem tantummodo suae gloriae quaerat in miraculis edendis, pronum est per ea saltem directe non demonstrari revelationem divinam, quia, ut bene observat *Ottiger,* «id mi-

1 ***De Miraculo,*** part. 2, c. 4.
2 ***Le merveilleux et la science,*** lib. 3, ch. 2.
3 ***Psychologie, La Psychologie scolastique et l'hypnotisme,*** §§ 1, 2, 3.
4 ***Introd. au dogme cath.,*** t. 3, conf. 24-25.
5 ***El hipnotismo puesto en moda.***
6 ***El hipnotismo franco per lotum*** et ***Revue Thomiste,*** 1893-1896.
7 ***Diction. apolog.,*** v. «Hipnotismo».
8 ***El milagro,*** lib. 3, cc. 10-12.
8 ***Psychologia,*** vol. 3, p. 1111 sqq.
10 ***El espiritismo moderno per totum.***
11 Cfr. Benedictus XIV, ***De serv. Dei beatif.,*** etc., lib. 4. p. 1. C. 8, n. 2 sqq.
12 Cfr. Do Bonniot, ***Le miracle et ses contrefaçons,*** p. 2, ch. 5, 6, 7.
13 Cfr. Wllnior», ***De religione revel*** , lib. 1, c. 3, a. 5, § t.

racula et vaticinia probare non possunt, ad quod demonstrandum non sunt edita et quasi sigilla applicata»V Si vero ulterius intendat Deus doctrinae revelatae confirmationem et hoc fine efficiat miracula, quaestio est, utrum haec divinam revelationis originem satis demonstrent.

145. Errores, a) Rationalistae generatim negant miraculis vim inesse demonstrandi originem divinam revelationis, quia facta externa, ut sunt miracula, inepta esse putant ad probandam originem veritatis. Quod ut probent, nullum non movent lapidem, et ipsum quoque statum quaestionis non semel detorquent. Ita *Strauss* 1 et alii.

b) Protestantes quoque nonnulli, diversis ducti rationibus, renuunt miraculis tribuere vim confirmandi divinam revelationem 5.

c) Huc facit etiam quorumdam theologorum scholasticorum opinio, qui arbitrati sunt Deum posse, non quidem *in praesenti rerum ordine et potentia sua ordinaria, sed in alio ordine et potentia sua extraordinaria* vera efficere miracula, quae *per abusum thaumaturgi* ordinentur *in confirmationem erroris speculativi.* Sed, hoc admisso, non facile nobis innotesceret, quando per miracula, quae mediantibus hominibus eduntur, revelatio divina, et quando error speculativus confirmetur. Quare haec sententia a theologis boni nominis communiter rejicitur *.

146. Thesis. Miracula sunt certissimum revelationis divinae critérium, ideoque luculenter probant originem divinam revelationis in cujus confirmationem eduntur.

Arg. I. Veritas hujus doctrinae certissime traditur a Concilio Vaticano his verbis: *«Voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima»* 3* Quo testimonio nihil clarius, nihil firmius adduci potest. Unde *Abbas Bautain* coactus est subscribere huic propositioni: «Probatio ex miraculis Jesu Christi desumpta, sensibilis et percellens pro testibus ocularibus, vim suam atque fulgorem nequaquam amisit quoad generationes subséquentes» 6.

Arg. II. Sacris litteris, utpote antiquissimis libris, auctoritatem historicam vix ullus negaverit. Ex his itaque libris, qua *monumentum historicum* consideratis, liceat petere secundum argumentum.

Christus Dominus non semel provocavit ad miracula, quae in Scripturis narrantur, ut divinitatem suam et veritatem suae doctrinae confirmaret, sicut dictum est superius q. 3, a. i 7. Unde ob miracula, quae ipse faciebat, multi crediderunt in eum 8, sicut contigit in resur-

1 ***De revelatione supernal.,*** p. 1, sect. 1, c. 3, § 25.

2 ***Glaubenslehre,*** 1.

3 Vid. Wegscheider, ***Inst. theol.,*** § 121. «The miracles, ait ***The International Standard liible encyclopedia,*** are not the mere proofs of a revelation, they are themselves the revelation»; v. «Miracle», IV, 3.

• Cfr Van Weddingen, ***De miraculo,*** part. I. c. 6; et Lugo, ***De fide,*** disp. 2, sect. 1. n. 24.

5 ***Sess.*** 3, C. 3; Denz-Bannw., 1790.

0 Denz-Bannw., 1624.

7 Cfr ***Joan.,*** 5, 36-47, et 10, 37-38.

B ***Joan.,*** 2, 23.

rectione Lazarix. Pharisaei, consilio inito, dicebant: *quid jacimus, quia hic homo multa signa jacit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* 1. Item apostoli saepe probaverunt divinitatem suae doctrinae ex miraculis Christi; sic *Petrus* 3, referens opera Christi, auditores ita persuasit, ut una concione tria hominum millia converterit. Imo et in Veteri Testamento 4 *Elias* divinitatem suae doctrinae miraculo confirmavit.

Arg. III. Nihil fuit Sanctis Patribus familiarius, quam Christi divinitatem et divinam revelationis originem ex miraculis religionis Christianae contra incredulos comprobare. S. *Joannes Chrysostomus* proponens: «si dixerit gentilis, unde manifestum est Christum esse Deum?» 5 respondendum esse censuit ex prophetiis et miraculis id probari. «Cum advenisset igitur (Christus), ait, et salutis hominum negotium ageret, tum eorum, qui in vivis erant, tum etiam eorum, qui postea erant futuri, variis illam modis procurabat. Vide, quaeso, quid faciat. Miracula edit, et quaedam praedicit longis postea temporibus eventura; ac per ea, quae tunc fiebant, iis quae diu postea futura erant, auditoribus praesentibus fidem faciens: futuris quoque ex eventu praedictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita, atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens iis, quae ad regnum pertinebant» 6. Et S, *Thomas* ait: «Si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo, qui non mentitur» 7.

Arg. IV. Ratio theologica et fundamentalis hujus adsertionis est, quia, ut concilium vaticanum loco citato sapienter docet, miracula et prophetiae *omnipotentiam et scientiam divinam luculenter commonstrant.* Omnipotentia autem et scientia divina non patiuntur doctrinam, in cujus confirmationem eduntur miracula, non esse revelatam. Miracula enim sunt sicut sigillum, quo Deus testatur doctrinam, quam confirmat, esse divinam, et scientiae divinae prorsus repugnat sigillo suo falsum attestari. «Sicut princeps, inquit *Lugo* haec recte confirmans, si in ipso actu sigillandi aut subscribendi adverteret falsitatem contentam, non posset sigillare aut subscribere, sed deberet sigillum repetere, ne cooperaretur ad deceptionem et mendacium, sic Deus ad idem teneretur. Unde, cum Deus non solum antecedenter, sed in ipsomet actu sigillandi et operandi miraculum videat semper falsitatem doctrinae, ad quam confirmandam miraculi sigillum apponitur, non videtur tunc cooperari posse ad malitiam ministri, quin particeps sit deceptionis et falsitatis» 8. S. *Thomas* pariter haec habet: «Contingere non potest, quod aliquis, falsam doctrinam annuntians, vera miracula faciat, quae nisi virtute divina fieri non possunt; sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile» 9.

1 ***Joan.,*** ii, 45-48.
2 ***Joan.,*** ii, 47-48.
3 ***Act.,*** 2, 14-36.
4 ***III Reg.,*** 18, 19 sqq.
5 ***Adv. Jnd. el Gentiles demonstratio quod Christus sit Deus,*** n. 1; MG 48, 813.
6 ***Adv. Jud. et Gentiles demonstratio quod Christus sit Deus,*** n. 11; MG 48, 829.
7 ***II-II,*** q. 5, a. 2.
8 ***De virtute fidei div.,*** disp. 2, sect. I, n. 24.
9 ***Quodl.*** 2, a. 6 ad 4.

Solvuntur objectiones.

147. Obj. 1.° Miraculorum divinitatem ex doctrina probant catholici, doctrinam vero revelatam ex miraculis demonstrare nituntur. Hoc autem est circulus vitiosus. Ergo. Sic *Strauss* [1] et auctor operis *Supernaturelle religion,* vol. i, cum aliis.

Resp. Miracula et revelatio divina sese mutuo demonstrant, *diverso sensu,* Cone.; *eodem sensu,* Neg. Hoc egregie de more explicat *Tanqiierey* dicens: «Nec dicatur ibi vitiosum esse circulum, quatenus doctrina ex miraculis, miraculorum autem divinitas ex doctrina ipsa comprobatur; nam doctrinae excellentia primum *ratione* expenditur, deinde doctrinae excellentia aliisque signis divinitas miraculi agnoscitur, et ex miraculis doctrinae divinitas. Duo igitur hic habemus argumenta vere distincta, quae sibi mutuam opem praebent. Utrumque seorsim sumptum suam vim habet sive moraliter certam, sive maxime probabilem; ambo autem simul sumpta majorem efficaciam obtinent. Aliunde sanctitas doctrinae non est unicum criterium, quo utimur ad miraculorum divinitatem probandam, sed solum unum ex his, quae sane ad hoc investigandum utilia sunt» [2].

Obj. 2.° Spiritualia nunquam dependent a sensibilibus. Miraculum autem est sensibile, revelatio vero spiritualis. Ergo revelatio demonstrari nequit miraculis. Ita *Rousseau* et *Tyndall* cum aliis incredulis.

Resp. Spiritualia non dependent a sensibilibus *in causando,* ut a causa unica, Cone.; *in cognoscendo,* Neg. Effectus quidem spiritualis non potest *causari* a causa unica sensibili, quia causa nequit producere effectus generice ipsa superiores. In ordine tamen cognitionis nihil impedit, quominus intellectus noster ex rebus inferioribus superiorum notitiam acquirat. Sic ex rebus creatis aliqualem Dei cognitionem comparat.

Obj. 3.° Omnes falsae religiones gloriantur de miraculis patratis in confirmationem suorum errorum. Ergo miracula non demonstrant originem divinam revelationis.

Prob. Ant. *Vespasianus,* ut *Tacitus* [3] et *Suetonius* [4] testantur, morbos subito ab aegrotis expellebat; ad tumulum diaconi *Paris,* jansenistae, multa miracula patrata sunt; *Serapidis* et *Esculapii* templa olim adibant aegri et sanabantur. *Budha* celebratur multitudine miraculorum apud Orientales; et apud Indos, Aegyptios, Romanos, etc., innumera recensentur prodigia a diis immortalibus in confirmationem falsorum dogmatum effecta. Ergo.

Resp. 1.° Pleraque horum et aliorum, quae referuntur, falsarum religionum prodigia non sunt *historice* probata, ac idcirco nullam habent certitudinem nec probabilitatem, ut admitti possint.

Resp. 2.° Si quae sint historice vera, non parum distant a veritate philosophica, ut certissime patet ex signis, quae superius dedimus pro examine miraculorum. Etenim *Vespasianus* et alii egenos mercede conduxere, ut primum se aegros deinde sanatos fingerent [5]. Quae ad tumulum *Paris* contigisse recensentur, non miracula, sed opera diabolica fuerunt, quia convulsionibus, nervorum agitationibus, actibus obscenis, etc., quae nonnisi arti diabolicae tribuenda sunt, fiebant [6]. Sacerdotes *Serapidis* et *Esculapii,* arti medicae ut erant dediti, remediorum naturalium applicatione morbos curabant [7]. Prodigia denique *Budhae* et deorum apud Indos, Aegyptios, Romanos, etc., ridicula sunt et leviora, quam ut responsionem mereantur [8].

1 *Glaubenslehre.*
2 *De vera religione,* n. 391.
3 *Hist.,* lib. 4, n. 81.
4 *In Vespas.,* n. 7.
5 Cfr. Origenes, lib. 3, *Contr. Celsum,* n. 24; MG 11, 948; et P. Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons,* p. 2, ch. ix.
6 Cfr. Benedict. XIV, *De serv. Dei beatif.,* etc., lib. 4, p. 1, c. 7. n. 20; La Taste, *Lettres théologiques,* 21, et Dr. Calmeil, *La folie,* pag. 325 sqq.
7 Cfr Arnobius, *Adv. gentes,* lib. x, c. 41; ML 5, 770.
8 Mir, *El milagro,* lib. 3, c. 5, a. 1.

QUAESTIO VI

DE PROPHETIA

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT PROPHETIA

148. Vocis etymon. Antiqui scholastici et plures nuperi scriptores, S. *Jsidorum*[1] et S. *Thomam*[2] sequuti, nomen prophetiae a vocibus graecis πρν, quae est *prae* seu *prius* et *procul,* et φανὸ quae est *apparere,* derivant. Quo sensu propheta est *procul phans,* seu futura *praedicens.* Unde in sacris litteris prophetae *Videntes* dicti sunt, et a gentibus *Vates* a vi mentis appellabantur.

Nonnulli recentiores, ut *Comely*[3], *Ottiger*[4], et alii, hanc etymologiam rejiciendam esse putant, et *prophetiae* vocabulum derivandum a verbo graeco ζροφάναι, quod *pro altero,* id est, vice alterius loqui cumque *interpretari* significat. Quia tamen *prophetia* de futuris loquitur, idem etymologice significare videtur ac praedictio.

149. Prophetiae realis descriptio. Tripliciter *prophetiae* nomen usurpari solet in sacris litteris.

a) *Late* pro qualibet interpretatione alterius voluntatis[5], et sic Doctorum discipuli vocantur in Scriptura *liHi Prophetarum;* vel pro singulari quadam cognitione supra vulgus[6]; vel etiam pro hymnorum sacrorum compositione[7]; imo et pro miraculo vaticinia confirmante, quo sensu dicitur, *Eccli.,* 48, 14, corpus *Elisei* mortuum prophetasse, id est, mortuum suscitasse, ut constat ex *IV Reg.,* 13, 21.

b) *Strictius,* pro immediata cognitione et manifestatione rerum, quae humano ingenio naturaliter imperviae sunt et occultae. Huc pertinent res longe *distantes* et occultae, *praeteritae,* quae ab hominum memoria exciderunt, et *secretissimae humani cordis cogitationes.* Hanc prophetiam Samaritana Christo tribuit dicens: *Video, quia propheta es tu*[8].

c) *Strictissime* pro certa eventuum libere futurorum cognitione et praedictione, ut *Isaias*[9] praenuntiavit Christum ex Virgine esse oriturnm. In hac acceptione *Prophetia* saepe *Vaticinium* audit, et ambo promiscue usurpantur.

150. Definitio. Prophetia in hac strictissima acceptione definitur:

1 ***Etymol.,*** lib. 7, c. 8; ML 82, 283.
2 ***II-II,*** q. 171, a. I.
3 ***Introductio,*** 2, 2, n. 242.
4 ***Theol. fund.,*** p. 1, § 22.
5 ***Exod.,*** 7, i.
6 ***Tit.,*** i, 12 seqq.
7 ***I Reg.,*** 10, 5 sqq.
8 ***Joan.,*** 4, 19.
9 ***Is.,*** 7, 14.

Infallibilis praedictio alicujus eventus futuri contingentis, quod ex causis naturalibus praesciri non potest.

151. Divisio. Prophetia potest sortiri divisiones a) ex parte *luminis,* b) ex parte *objecti,* c) ex parte *medii,* et d) ex parte *modi*

a) *Ex parte luminis* alia est *perfecta,* alia *imperfecta. Perfecta* est, qua non modo res revelata, sed ipsa quoque revelatio cognoscitur, et haec sola dicitur presse prophetia. *Imperfecta* dicitur, qua innotescit quidem veritas, sed non ita certe, ut discernatur a quo accipiatur revelatio. Et vocatur *instinctus propheticus.*

b) *Ex parte objecti* dividitur in prophetiam *comminationis, praedestinationis* et *praescientiae. Prima* est quae praenuntiat futura, prout sunt in suis causis, id est, secundum quod dicunt ordinem, causae ad effectum, et continentur in suo decreto conditionato. Sed, quia interdum causa, aliis motivis supervenientibus, impeditur, prophetia haec non semper impletur; ideo vocatur *conditionalis* seu *comminationis*[1][3] *Altera* est, qua Deus praevidet et per se vel per prophetam, praenuntiat futura, prout sunt in se ipsis, seu in suo decreto absoluto, rerum exsistentiam determinante, et quatenus ipse solus facturus est. Vocari consuevit prophetia *praedestinationis,* et est bonorum tantum. *Tertia* denique dicitur, qua futura praevidentur et praedicuntur, quatenus sunt in se ipsis, sed libero arbitrio creaturarum relinquuntur facienda. Nuncupatur prophetia *praescientiae,* et potest esse bonorum vel malorum s.

c) *Ex parte medii* dividitur in *intellectualem, imaginariam et corporalem,* non quod prophetalis cognitio sistat in sensuum externa perceptione aut interna imaginationis sensatione; sed quod ipsa prophetalis cognitio, quae, utpote ad judicium pertinens, semper intellectualis est, diversis vocabulis nuncupatur, quatenus originem trahit vel a solo intellectu, vel ab internis sensationibus, vel ab externa sensuum perceptione 4.

d) *Ex parte* denique *modi* dividitur in eam, quae fit absque alienatione a sensibus, quae retinet commune nomen prophetiae, et in eam, quae fit cum tali alienatione a sensibus, quae vocatur *raptus.*

ARTICULUS II

UTRUM PROPHETIA SIT POSSIBILIS

152. Status quaestionis. Objectum prophetiae est, sicut modo diximus, futurum contingens, quod si, antequam eveniat, praevideri et aliis manifestari non repugnat, prophetia erit possibilis. Ideo tota quaestio de possibilitate prophetiae eo tandem reddit, ut statuatur 1) Deum futura contingentia certo praenoscere, et 2) aliis ea revelare posse. Quae cum alibi declaranda sint, breviter hic expendemus.

1 Cfr. Benedictus XIV, *De servorum Dei beatif.,* etc., lib. 3, c. 45, n. 6.

3 Cfr omnino S. P. N. Joannes a Cruce, *Subida dei Monte Carmelo,* lib. 2, c. 20 (ed. Burgos, 1929).

3 Cfr. S. Thomas, *II-II,* q. 174, a. 1.

1 Vid. Salmanticenses, *Arb. praedicam.,* § 17, nn. 171-174.

153. Errores. Prophetiae possibilitatem inficiantur omnes qui vel i) Deum esse negant, ut *athei;* vel 2) ei futurorum contingentium cognitionem denegant, ut *Epicurei, Stoici, Cicero* *, *Sociniani* ac generatim *Naturalistae* et *Ralionalistae,* ex quibus videndi sunt *Voltaire* 1, *Wegscheider*3 et alii non pauci.

154. Thesis. Certo tenendum est prophetiam esse possibilem.

Arg. I. Deus cognoscit omnia futura contingentia, eaque vafet hominibus revelare. Ergo prophetia est possibilis. *Prob. Ant.*

*i.*3 *pars* late demonstrabitur *De Deo uno,* n. 285 sqq., eo praesertim quod omnis perfectio intellectualis Deo tribuenda sit.

2.a *pars* ex se clarissima est. Si enim homines aliis valent communicare rerum, quas habent, notitias, quis Deo negaverit facultatem hominibus manifestandi futura contingentia, quae ipsi innotescunt a tota aeternitate? Manifestatio siquidem futurorum contingentium nullatenus adversatur Deo ejusque attributis et perfectionibus.

Arg. II. Consensus unanimis omnium populorum admittit possibilitatem prophetiarum. Ergo. Hinc *Isaias,* 41, 23, notam divinitatis agnosci ait ex prophetiis: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos.*

ARTICULUS III

UTRUM PROPHETIA SIT CERTUM REVELATIONIS CRITERIUM

155. Status quaestionis. Ut sensus articuli, sicuti par est, determinetur, animadvertendum est

1.° Prophetiam, quemadmodum dictum est de miraculis, duplici fine posse proferri: a) ad ostensionem magnitudinis, bonitatis et perfectionum Dei, et b) in confirmationem doctrinae revelatae.

2° Prophetias, etiam quae in confirmationem doctrinae revelatae proferuntur, dupliciter considerari posse: a) *antecedenter ad eventum,* id est, antequam verificatae fuerint, et b) *post eventum,* seu postquam completae fuerint. Vaticinia ante eorum eventum habent quidem *quoad se* vim demonstrandi revelationem, non tamen *quoad nos omnes,* sed *quoad eos* tantum, qui certo noverint ea esse a Deo.

Scopus hujus articuli est determinare, an prophetiae, quae in confirmationem alicujus veritatis revelatae a Deo proferuntur, *post eventum* sint invictum revelationis critérium.

156. Thesis. Prophetia in confirmationem doctrinae revelatae prolata atque eventu completa est luculentum revelationis critérium.

Arg. I. Concilium Vaticanurrf, *Sess.* 3, c. 3, expresse dicit prophetias esse divinae revelationis signa certissima.

Arg. II. *Ex S. Scriptura.* Innumera sunt S. Scripturae tum Veteris tum Novae Legis testimonia, quibus certe ostenditur haec doctrina.

1 *De Divinit.,* lib. 2, c. 7.
2 *Essai sur les moeurs et l'esprit des nations,* disc, prelim.
3 *Inst, theol.,* 1, c. 2, § 50.

Sufficiat quaedam Novi Testamenti loca adducere. 1) Christus non semel dixit se prophetice locutum fuisse, ut audientes post eventum vaticiniorum crederent. Ait enim: *Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis, quia ego sum* T Et iterum: *Dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis* 2 3 2) Apostoli plura crediderunt, cum prophetias a Christo editas cernerent eventu compleri. *Cum ergo resurrexisset a mortuis,* dicitur per Joannem, *recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat; et crediderunt scripturae et sermoni, quem dixit Jesus* 4. 3) Ideo S. *Petrus* docet prophetico sermoni semper esse credendum, quia Deum habet auctorem: *Et habemus,* inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* 4.

Arg. III. *Ex SS. Patribus,* a) Frequentissime SS. Patres adserunt prophetias esse invictissimum revelationis critérium, et quidem efficacius quam ipsum miraculum. Videatur S. *Justinus* 5.* b) Provocant ad prophetias a Christo prolatas et eventu completas, atque ex eis argumentum sumunt in favorem revelationis Christianae 6. c) Prophetias ajunt divinitatem testificari. Unde *Tertullianus* «idoneum, inquit, opinor testimonium divinitatis veritas divinationis» 7.

Arg. IV. *Ratione.* Cum solus Deus valeat futura contingentia certo cognoscere et praedicere, ipse dumtaxat potest esse auctor prophetiae. Hinc, quando prophetia editur in confirmationem doctrinae revelatae, Deus dicitur revelationem testificari. Impossibile autem est Deum falsum testificari. Ergo prophetia in confirmationem revelationis prolata et eventu completa est certissimum ipsius revelationis critérium.

Difficultates enodantur.

157. Obj. 1.° Futurorum contingentium notitiam valet homo acquirere vel mediis naturalibus, ope scilicet *magnetisms, spiritisms, hypnotisms,* etc., vel ministerio angelorum sive bonorum sive malorum. Ergo.

Resp.—Neg. Ant. Futura contingentia nullatenus possunt homini citra revelationem certo innotescere. Hinc quando magnetisati aut hypnotisati, imo et daemones, futura contingentia praenuntiant, notitia dumtaxat conjecturali, non certa, ea praedicunt. Angelos quoque bonos futura contingentia naturaliter latere demonstrant theologi.

Obj. 2.° Plures sunt in Scriptura prophetiae, quae certissime Deum habent auctorem, et nihilominus nullum sortitae sunt effectum. Hujusmodi sunt prophetiae *Jonae* de subversione Ninive 8 et *Isaiae* de morte Ezechiae 9. Ergo prophetiis potest subesse falsum.

1 *Joan.,* 13, 19.
2 *Joan.,* 14, 29.
3 *Joan.,* 2, 22.
4 *II Petri,* 1, 19-21.
5 *Apolog. I pro Christianis,* n. 30; MG 6, 373.
6 Cfr. S. August., *Contr. Faustum manich.,* lib. 12, c. 43; ML 42, 277.
7 *Apologet, adv. gent, pro Christ., c.* 20; ML 1, 449.
8 *Joan.,* 3, 4.
9 *Is.*. 38, i.

Resp. Prophetiae, quae certe a Deo editae sunt et eventu non completae, sunt *condilionales,* seu, ut in scholis vocant, *comminationis.* Prophetiae autem *comminationis* praenuntiant ordinem causae ad effectum, id est, praedicunt determinatum effectum ex causis exsistentibus certo eventurum, nisi reticita conditio praefatas causas impedierit. Haec autem conditio, licet interdum non manifestetur a Deo, infallibiliter tamen cognoscitur, an sit apponenda vel non. Ideo prophetiae comminationis nunquam sunt falsae, licet effectus praenuntiatus aliquando non sequatur. Praedicuntur tales effectus ex determinatis causis se^uuturi, nisi aliis supervenientibus causis impediantur. Quandoque conditio impletur, quandoque non. Ex hoc tamen non sequitur prophetias fuisse falsas, quia ordo causarum ad effectus praenuntiatus fuit verus. Hinc de casibus in objectione enuntiatis ait S. *Thomas:* «Praenuntiavit... *Isaias* mortem futuram Ezechiae secundum ordinem dispositionis corporis et aliarum causarum inferiorum ad istum effectum; et *Jonas* subversionem Ninive secundum exigentiam meritorum. Utrobique tamen aliter evenit secundum operationem Dei liberantis et sanantis....» Et iterum addit: «Etsi enim aliquando fiat prophetae revelatio secundum ordinem causarum ad aliquem effectum, simul tamen vel postea fit eidem revelatio de eventu futuri effectus, qualiter sit immutandus; sicut *Isaiae* revelata fuit sanatio Ezechiae et *Jonae* liberatio Ninivitarum» L

Obj. 3.° a) Ethnici non carent oraculis, ut videre est apud *Clementem Alexandrinum* 1, *Plutarchum* 3*et *Suetonium* *. Omnium celeberrima sunt illa *Jovis Ammonis* in Delpho, *Serapidis* Alexandriae, *Apollinis* in Creta, *Trophonii* in Boeotia, *Esculapii* Hornae, etc. b) *Sybillae* vera ediderunt vaticinia, ut permulti testantur SS. Patres 5;* eaque tractu temporis completa sunt. Ergo.

Resp. i." De oraculis ethnicorum. 1) Ethnici nullum habuere verum oraculum, sed omnia, quae hoc nomine pervulgarunt, veris destituuntur divinationum notis. Quis eorum veritatem historicam noverit? Pleraque non fuerunt, nisi a paganorum sacerdotibus callide confecta, ut incautos deciperent. Veritate quoque philosophica carent, quia eorum auctores nonnisi cognitione conjecturali uti potuerunt. 2) Plura eorum daemonum interventu edita fuisse videntur '. Hinc *Tullius* 7 sic Apollinem facete compellebat: «Sed jam ad te venio, o sancte Apollo... tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis, et quae ad dialecticam deferenda sint» 8.

2.0 De Carminibus Sybillinis. a) Adeo obscura est et confusa de carminibus Sybillinis quaestio, ut vix aliquid certum de illis dicere queas. Nihilominus'exsistentia Sybillarum in dubium verti non posse videtur; de illis quippe loquuntur omnes scriptores tum profani, tum ecclesiastici, imo et SS. Patres, praecipue latini. Virgines fuisse dicuntur, quae carminibus futura nuntiabant et canebant v. Quot fuerint, ubi exstiterint, quid scripserint, res sunt nondum bene exploratae.

b) *Ad numerum* quod attinet *Diodorus Siculus, Bibl. hist.,* lib. 4, c. 66, n. 7 et *D. Petrus Petit,* unam tantummodo posuerunt *Daphnim* nomine,

1 ***Contr. Gent.,*** lib. 3, c. 154. Cfr. S. Joannes a Cruce, ***Subida dei Monte Carmelo,*** lib. 2, c. 20.

2 ***Cohort, ad Gentes,*** c. 2; MG 8, 69.

3 Vitae; Aristides, 19; et ***De Pythiae oraculis; De dejectu oraculorum***.

1 ***In Tiberium,*** c. 14.

3 Cfr. S. Justinus, ***Cohortat, ad Graecos,*** n. 37; MG 6, 307; et Clemens Alex., ***Strom.,*** lib. 6, c. 5; MG 9, 264.

° Vid. P. Honoratus a Sta. Maria, ***Animadversiones in reg. et usum critices,*** t. 2, lib. 2, diss. i, a. 3.

7 ***De divinat.,*** lib. 2, c. 56.

8 Cfr. Tertul., ***Apolog., c.*** 32; ML 1, 509; Lactantius, ***Div. Inst.,*** lib. 4, C. 27; ML 6, 532; P. Mlr, ***La projecia,*** lib. 3. c. 5, a. 3.

8 Vid. S. AuKust., ***De civitate Dei,*** lib. 18, c. 23; ML 41, 579,

quibus certe favent *Plato, Plutarchus, Cicero* et alii qui de Sybilla numero singulari semper loquuntur. *Cappella* duas posuit *Hierophilam* et *Simmachiani; Solinus* tres, *Delphicam, Erythraeam* et *Cumanam; Eliantis* quatuor; *Varro l,* quem plures cum S. *Hieronymo* 1 sequuntur, decem enumerat, quarum nomina haec sunt: *Persica, Lybica, Delphica, Cumana, Erythraea, Samia, Amaltaea, Hcllespontica, Phrygia* et *Tiburtina,* quibus nonnulli alias quatuor addunt. Ex omnibus *Erythraea* et *Cumana* celebriores dictae sunt.

c) *Quoad locum,* in quo scripserunt, nihil certo constat.

d) *Quid* scripserint, ubi earum carmina servata fuerint, quis ea viderit, totum incertum est. Plura de Christo dicuntur prophetasse. Fertur *Tarquinius* tres libros a Cumana magno pretio emisse et in Capitolio collocasse. At anno 76 ante Christum una cum Capitolio incendio perierunt. Ex fragmentis deinceps, quae remanserant in Asiae et Graeciae regionibus, mille collecti sunt versus, qui hodie octo libris continentur; his accensendi sunt alii quatuor libri a Cardinali *Mai* anno 1828 in Vaticano inventi, imo et alia fragmenta, quae referri solent apud veteres scriptores. Horum meminisse videtur *Virgilius* cum dixit:

«Ultima Cumaei venit jam carminis aetas:
«Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
«Jam redit et virgo; redeunt saturnia regna;
«Jam nova progenies caelo demittitur alto.
«Tu modo nascenti puero quo ferrea primum,
«Desinet ac toto surget gens aurea mundo
«Casta fave Lucina...» 3

e) Quidquid sit de his quaestionibus, quae magis curiosae quam utiles videntur, quantum ad carminum doctrinam divisi sunt veteres scriptores, α) Nullum exsistimant *aliqui* in illis vaticinium contineri. «Callide, inquit *Cicero,* qui illa (carmina) composuit, perfecit, ut, quodcumque accidisset, praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur» 4. Tullium non pauci sequuntur, et ipse S. *Augustinus* fraudem suspicatus est in Sybillis 0. S. *Ambrosius* spiritu mundano putat esse illa scripta', β) *Nonnulli* censent vetera carmina sybillina ab *essenis, therapeutis* vel *judaeis* saeculo III ante Christum composita fuisse, et cuncta vaticinia ex sacris litteris excerpta. *Essenii* namque, *therapeutae* et *judaei alexandrini,* in solitudine vitam gerentes, studio sacrarum litterarum dediti erant, et, cum prophetas legissent, carmina, quae oracula continebant, scripserunt, ut gentiles inducerent ad lectionem scripturarum. Quae, ut facilius propagarentur inter gentiles, posuerunt in ore *Sybillae,* quae *prophetissa* dicebatur *hellenica.* Haec tamen multiplicata sunt et partim corrupta saeculo II aerae Christianae7, γ) *Alii* demum concedunt Deum per Sybillas vera edidisse vaticinia in confirmationem verae religionis, sicut etiam olim per *Balaam* prophetavit 8.

f) Quaelibet tandem acceptetur interpretatio, nihil obstat veritati revelationis, nec prophetiae destituuntur vi eam demonstrandi.

1 Apud S. Hieronymum, ***Adv. Jovin.,*** lib. I, n. 41; ML 23, 283. Cfr. Laetantius, ***Div. Jnst.,*** lib. i, c. 6; ML e, 141.

2 ***Adv. Jovin.,*** lib. 1, n. 41; ML 23, 283.

3 ***Bucolica,*** egloga 4, v. 4 sqq.

4 ***De Divinat.,*** lib. 2, cc. 54-56.

5 ***De civit. Dei,*** lib. 3, c. 17; ML 41, 98.

' ***In ep. I ad Cor.;***—2, 12; ML 17, 206.

7 Cfr. Lecann., ***Dictionn. des miracles,*** art. ***Sibylles;*** Card. Meignan, ***Les derniers Prophetes,*** 1894; et alii.

3 Vid. Honoratus a S. Maria, ***Animadv. in reg. et usum critices,*** t. 2, lib. 2, diss. 2; ct Sztkely, ***Bibliotheca apocrypha,*** v. 1, lib. 2.

QUAESTIO VII

DE REVELATIONIS INQUISITIONE ET ACCEPTATIONE

ARTICULUS I

UTRUM HOMO TENEATUR REVELATIONEM MEDIATE SIBI IMPERTITAM INQUIRERE

158. Status quaestionis. Triplex est, quantum ad praesens attinet, hominum conditi», a) *Quidam* sunt *infideles positivi,* qui cum revelationem saltem confuse agnoverint, fidem ei detrectant, atque, idcirco positive fidem negant[1]. b) *Alii* sunt *haeretici,* qui quosdam articulos negantes ab unitate fidei defecerunt, totamque fidem corruperunt. c) *Alii* denique sunt *catholici,* christianae religionis defensores et disciplinae theologicae cultores, qui examen et investigationem revelationis non semel instituunt, ut adversarios convincant doctrinamque catholicam pro viribus tueantur.

Heic opportune quaeritur, utrum hi omnes officium habeant inquirendi veritatem revelationis.

159. Errores, a) *Indifferentistae* et *deistae,* sicut nullam imponunt homini obligationem admittendi unam prae altera religionem, ita nec volunt inesse cuiquam obligationem inquirendi revelationem divinam, quantumvis de ea dubitet.

b) Item *Rousseau*[2] optandum fore dixit, ut quilibet religionem in qua natus est profiteretur.

160. Thesis. Gravissimum inest cuique homini officium exsistentiam divinae revelationis inquirendi, ubi de ea suspicari inceperit.

Arg. Nemo potest sine gravi aeternae salutis discrimine voluntarie se exponere periculo errandi circa religionem et circa media ad salutem aeternam consequendam necessaria. Sed huic periculo voluntarie se exponit, qui, religionem supematuralem nondum amplexus, et de revelatione divina suspicari incipiens, negligit ejus exsistentiam inquirere. Ergo. «Quoddam monstri genus est, ajebat *Pascal*[3], in eodem animo eodemque tempore hujusmodi sollicitudinem ob res inanes et abnormem insensibilitatem propter maxima negotia perspicere».

Scholion. Potest hic investigari quale incumbat officium inquirendi veritatem catholicis, qui, omnes articulos fidei sibi notos, ut par est, admittentes, dubitare incipiunt de exsistentia revelationis aliorum, qui revera in deposito fidei continentur.

1 De infidelibus pure negativis nulla est quaestio, quia, cum nihil de doctrina revelata audierint, nequeunt eam investigare. Cfr. *De fide,* n. 483.

2 *Emite,* lib. 4.

3 *Pensées,* a. 1; § «Rien n'est».

Cui ut respondeatur, distinguendum est inter populum fidelem et Doctores. 1) *Fideles* nullam habent obligationem investigandi mysteria, quae latent in deposito revelationis, sed, dummodo acceptent, quae Ecclesia eis proposuerit, et parati sint ea acceptare, quae in posterum proponantur, omnia implicite credunt, et, ut eos decet, satis obligationem adimplent. 2) *Doctores* vero quodammodo tenentur inquirere, non quidem ut eorum fides salva consistat, quia possunt etiam ipsi, sicut alii fideles, quaedam implicite et quaedam explicite credendo, in integritate fidei permanere, sed ut alios erudiant, et caeteros fidei articulos ab incursibus haereticorum defendere valeant.

ARTICULUS II

QUAE SIT PROPRIA RATIO REVELATIONIS INQUIRENDAE

161. Status quaestionis. Decet hanc investigationem revelationis, quantum sublimitas rei patitur, rationalem esse ac scientificam. Ratio tamen naturalis nunquam valet suis viribus et principiis propriis relicta in hac materia scientifice procedere; quia naturaliter ad ea, quae sunt supernaturalia, pertingere non potest, sed necessario factis supernaturalibus, externis scilicet argumentis, innixa debet ratiocinari, et apologeticam demonstrationem, quantum fas est, producere. Quo autem haec investigatio sit fructuosior pro his, qui religionem supematuralem nondum amplexi de revelatione incipiunt dubitare, declarari oportet, quae sit prima ratio et indoles revelationis inquirendae, et qualis sit via prosequenda.

162. Errores, a) *Nonnulli* dixerunt in omni scientifico revelationis examine, sive fiat ab homine catholico sive infideli, dubium, non tantum methodicum, ut ajunt, sed positivum ac serium de veritate doctrinae revelatae praecedere oportere. Ita *Georgius Hermes* [1] et alii.

b) *Alii* examen philosophicum, tum positivum tum negativum, omnium doctrinarum divinae revelationis ad praefatam investigationem, ut unicum medium, requirunt. Sic *Deistae.*

c) *Alii* interna quadam experientia, qua quis doctrinae revelatae convenientiam sibi persuadet, veritatem divinae revelationis primum inquiri contendunt. Ita *Sentimentalistae* [2].

d) *Alii* tandem docuerunt ipsum revelationis factum et miraculorum notitiam sola fide suscipienda esse, quin ratio naturalis valeat ullatenus fidei praelucere in revelatione investiganda. Sic *Traditionalistae.*

163. Thesis I. In investiganda revelationis veritate non est ab omnibus indiscriminatim admittendum dubium positivum omnium doctrinarum revelatarum.

Arg. Homini catholico, qui vel religionem supematuralem satagit defendere vel disciplinis theologicis operam dare, non licet de veritatibus revelatis atque ab Ecclesia propositis dubitare, quia dubius in

1 ***Introduci, philosophica.***

2 Huic affinis esse videtur theoria Modernistarum, qui originem revelationis ejusque notionem petunt a sensu religioso. Cfr. Encycl. ***Pascendi,*** § «Sed non hic». Donz-Bannw., 2075.

fide haereticus est, juxta receptum axioma theologicum. Ergo dubium positivum non est indiscriminatim admittendum in revelationis investigatione.

Neque scientifica revelationis tractatio postulat tale dubium, quin potius, ut prorsus inutile, rejicit ac damnat. Omnis siquidem rerum divinarum apologetica tractatio potest a methodica quaestionis dubitatione exordiri, et ab homine fideli, qui omnes veritates revelatas firmiter credit, docte dilucidari, quin necesse sit a fide catholica deficere.

Minime tamen negaverim aliqualem dubitationem etiam positivam et seriam homini nondum catholico in indaganda revelationis veritate licere, quia Deus hominum ad religionem catholicam conversionem humano modo operari consuevit, et ante omnia dubitationem eis injicere curat, ac postea veras atque supernas illustrationes communicat.

Hermesius ergo in eo potissimum peccare videtur, quod dubium positivum de doctrinis revelatis ad omnes sine discrimine homines extendendum putavit.

164. Thesis II. Non sufficit ut examen philosophicum praecedat.

Arg. I. Revelatio est quoddam factum, ut ex superioribus patet. Factum autem non examine philosophico doctrinae, sed testium auctoritate, monumentis historicis, et argumentorum externorum usu inquiritur ac comprobatur.

Arg. II. Doctrina revelata, quae saepe saepius vires humani intellectus transcendit, per examen philosophicum investigari non valet. Ergo examen philosophicum de veritate doctrinae non semper praecedere potest investigationem revelationis, nec est ejus inquirendae primaria ratio.

165. Thesis III. Experientia interna non potest revelatio investigari.

Arg. Experientia interna non satis hominem docet veritatem revelatam. Ergo nequit peream inquiri veritas revelationis. *Consequentia patet.*

Antecedens ex eo probatur, quod experientia interna quibusdam persuadet doctrinam esse congruentem et revelatu dignam, aliis vero e contra esse inconvenientem, ut multis jam fanaticis accidit. Contradictoria autem simul vera esse nequeunt. Ergo experientia interna non satis instruit hominem de veritate revelationis. Huc venit, quod Concilium Vaticanum statuit dicens [1]: *«Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, a. s.i>*[2].

166. Thesis IV. In inquirenda revelatione non est more traditionalistarum sola fide procedendum, sed suae concedendae sunt rationi partes.

Arg. Veritas hujus theseos patet ex omnibus traditionalism! damnationibus, quas supra retulimus, et praecipue ex hac propositione,

1 Sess. 3, *De fide,* can. 3: Denz-Bannw., 1812

2 Huic doctrinae contradicit theoria Modernistarum.

quam jussu S. Congregationis *Indicis* die 11 Junii 1855 subscripsit *D. Bonnety:* «Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit»1.

167. THESIS V. Qui revelationem inquirit, debet imprimis cognoscere auctoritatem Dei, et deinde accurate examinare omnia, quae adsint, revelationis criteria tum interna tum externa, ut factum revelationis cognoscat, veram revelationem a falsis discernat, eamque credibilem reddat.

Haec thesis non est nisi compendium eorum, quae dicta sunt circa criteria revelationis.

1) Qui revelationem inquirit, debet imprimis cognoscere auctoritatem Dei revelantis, quae nobis innotescit ex conceptu Dei optimi et sapientissimi, qui nec falli nec fallere potest.

2) Deinde debet examinare criteria, quae adsint in favorem revelationis, nempe:

a) *Interna,* tum *individualia,* ut est pax interior hominis, quam mundus dare non potest, tum *universalia,* ut est mira expletio omnium adspirationum humanitatis in ordine ad Deum. Exinde colliget doctrinam, quae hos effectus producit, probabiliter esse a Deo revelatam, et aliquando inferet satisfactionem interiorem individuorum et miram expletionem adspirationum generis humani, quae observat, excedere vires et exigentias naturales, et constituere miraculum morale soli Deo tribuendum.

b) *Externa intrinseca,* scilicet a) sublimitatem doctrinae, quae lucet in puritate, pulchritudine et harmonia ejusdem, et β) mirabilem Ecclesiae vitam, quae manifestatur in' celerrima ejus propagatione, eximia sanctitate, inexhausta in omnibus bonis fecunditate, catholica unitate invictaque stabilitate. Facile saepe videbit haec excedere vires et exigentias naturales, et constituere miraculum morale.

c) *Externa extrinseca,* scilicet miracula et prophetias, quae, ut diximus, ubi verificantur in confirmationem revelationis, sunt signa revelationis certissima.

ARTICULUS III

UTRUM OMNES TENEANTUR AMPLECTI REVELATIONEM SUPERNATURALEM SIBI NOTAM

168. Status quaestionis. Supponimus ut certum—quod in sequentibus probandum suscipietur—revelationem alicujus veritatis ad religionem spectantis hominibus fuisse a Deo impertitam. Porro haec revelatio, semel a Deo facta, potest mediantibus criteriis homini innotescere; ubi hoc fit. insurgit dubium, an sit obligatio eam suscipiendi. Quod ut plenius intelligatur, operae pretium est praenotare duplicem, ut ex dictis q. 2, a. 1, patet, esse revelationem; *generalem* unam, quae ad multitu-

' Donz-Bnnnw., 165X·

dinem ordinatur, *privatam* alteram, quae in utilitatem fit alienjus particularis. Revelationibus *privatis* adsentire nemo tenetur, nisi ipse qui a Deo fuerit illustratus. Sed quaeritur, an quilibet, postquam revelationis generalis notitiam habuerit, teneatur eam amplecti ac profiteri.

Cum praesens quaesitum valde affine sit alteri, quod solutum est q. 1, a. 4, et argumenta ibi proposita huic applicari facile queant, breviter hic rem expediemus.

169. Errores. Indifferentistae *absoluti* nullam obligationem agnoscunt religionem amplectendi; *relativi universales* liberum putant cuique esse, quam libuerit religionem amplecti, et *relativi particulares* dicunt omnes sectas unicae verae religionis esse aeque bonas \ noluntque admittere obligationem suscipiendi revelationem supematuralem, quantumvis notam.

170. Thesis. Tenetur homo sub discrimine salutis aeternae revelationem supematuralem semel cognitam suscipere.

Arg. I. Constat certissime ex Concilio *Vaticano* et aliis ecclesiasticis documentis. Concilium namque *Vaticanum* haec habet: *«Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium praestare tenemur»* 1. Et iterum statuit: *«Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei imperari non possit, a. s.i>* 3. Concilium etiam *Coloniense* an. 1860 hanc doctrinam statuit, et simul definitionis rationem reddidit dicens 45 «Profecto, si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio, ut sibi fides habeatur. Nec potest is, qui fidem detrectat, non inferre injuriam aut Dei scientiae et veracitati, dum eum erroris vel fraudis non expertem innuit, aut Dei sapientiae, dum eum absque consilio agere et loqui opinatur, aut supremo ejus dominio, cui se non vult submittere; unde etiam aeternae damnationis reus pronuntiatur» s.

Arg. II. Ratio theologica, et quidem invictissima, petitur ex verbis Concilii *Coloniensis* modo relatis. Nam Deus, cum ad homines per revelationem loquitur, veritates et doctrinas suae intelligentiae eis manifestat, ut sibi fidei obsequium praestetur. Omnes autem ex gravissimo naturae officio et sub salutis aeternae discrimine tenentur Deo sic loquenti fidem habere; qui enim fidem Deo loquenti detrectat, vel scientiam ei denegat aut veracitatem, vel sapientiam ejus agnoscere renuit, vel ab ejus supremo dominio se subtrahere studet, quod quantum sit malum, neminem latet. Ergo.

1 Cfr. sup., q. i, a. 4, n. 76.
2 *Sess.* 3, C. 3; Denz-Bannw., 1789.
3 *Sess.* 3, *De fide,* can. 1; Denz-Bannw., 1810.
4 *Decret.,* p. 1, c. 4; ap. Collect. Lacens., t. 5, p. 275.
5 Cfr. *Concil. plenar. Americae laiinae;* Decret., tit. 1, cc. 2 et 3.

QUAESTIO VIII

DE REVELATIONE PRIMITIVA [1]

171. Nota. Dictum est superius q. 1, a. 2, quot in mundo numerentur religiones, et quomodo genus humanum, quoad earum professionem spectat, dividatur; et licet non omnes synopses hucusque factae conveniant in adsignando singulis religionibus numero adscriptorum [2], hoc tamen unum constat apud omnes, plures scilicet ab initio mundi admisisse exsistentiam revelationis a Deo hominibus impertitae,

Porro haec revelatio triplici nomine insignitur, et diversis vestitur conditionibus, prout diversis mundi aetatibus locutus fuerit Deus.

1,a *Revelatio primitiva* tempore, quod dicitur *legis naturae,* protoparentibus et patriarchis pro universo genere humano a Deo facta, se extendit a creatione primi hominis usque ad Moysen pro judaeis, et usque ad promulgationem religionis Christianae in die Pentecostes pro gentibus.

2,a *Revelatio mosaica,* quae Moysi a Deo impertita fuit. Ejus dogmata ac praecepta moralia ad totum genus humanum, praecepta vero caeremonialia et civilia ad solum populum judaicum spectabant.

3,a *Revelatio Christiana,* quae per Christum facta est et in apostolis clausa, ad omnes et singulos homines spectat [3].

Revelationem tam *primitivam* quam *mosaicam* breviter hic in duabus quaestionibus exponemus, ut lector earum notitiam habeat, sed poterit Praelector theologiae ambas quaestiones in schola omittere, et Praelectori S. Scripturae remittere. De revelatione Christiana fusius deinde agemus.

ARTICULUS I

UTRUM DEUS ALIQUAS VERITATES ANTE MOYSEN HOMINIBUS REVELAVERIT

172. Status quaestionis. Statum legis naturae ad illam mundi aetatem diximus referri, quae a principio creationis usque ad legem a Moyse conscriptam protenditur. Cum autem plura saecula a creatione hominis ad Moysen usque effluxerint, investigandum hic venit, utrum toto illo tempore privati fuerint homines revelatione divina, vel potius acceperint a Deo veritates ad religionem spectantes.

1 Leg. Hooke, ***Theol. cursus compl.,*** t. 2, coi. 567 sqq. et app., § 5. ***De relig. primitiva,*** p. 1094; Liebermann, ***Inst. Theol.,*** lib. 1, p. 2, c. 2; Zigliara, ***Propaedeutica,*** lib. 3, c. 1 sqq.; Ottiger, ***Theolog. fundamentalis,*** sect. 2, c. 1; Lottini, ***Introductio ad S. Theol.,*** p. 2, c. 12 sqq.

2 Cfr. diversas sententias apud Werner, ***Orbis terrarum catholicus,*** p. 2-4, et Zaccberini, ***Theolog. fund. De vera relig.,*** n. 281, nota.

3 ***Multifariam,*** inquit Apostolus, ***Hebr.*** 1, 1-2, ***multisque modis olint Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*** Locutionem hanc ***in Filio*** vide egregie interpretatam apud S. Joannem a Cruce. ***Subida dei Monte Carmelo,*** lib. 2, c. 22 (ed. Burgos, 1929).

173. Errores, a) Omnes imprimis, qui possibilitatem revelationis conati sunt inficiari, ejus exsistentiam a fortiori voluerunt respuere. Hinc *naturalistae* et *rationalistae* generatim negant Deum aliquando hominibus, saltem in ordine supernatural!, locutum fuisse [1].

b) *Alii,* admissa tum ex parte Dei tum ex parte hominis possibilitate revelationis, ejus exsistentiam inutilem esse arbitrantur, ideoque factum negant. Ita non pauci hodierni liberales.

174. Thesis. Exstitit ante Moysen vera revelatio protoparentibus et patriarchis primaevae aetatis a Deo impertita.

Nota. Priusquam argumenta ex S. Scriptura in probationem hujus theseos adducerentur, authenticitas fortasse ipsius S. Scripturae et sacrorum scriptorum divina legatio forent demonstrandae, ut inde processus scientificus uberior formari et difficultates occurrentes facilius praeoccupari possent, sicut reapse vidimus factum esse a *Liebermann* [2]; ordinem tamen chronologicum revelationis servare volentes enuntiatam thesim hic praemittimus et argumentis etiam S. Scripturae probandam suscipimus; majorem haec vim ac firmitatem profecto accipient ex his, quae sequenti quaestione dilucidanda occurrent.

Arg. I. In S. Scriptura passim leguntur testimonia, quibus certe constat olim primis hominibus innotuisse veritates et dogmata atque praecepta positiva. Haec autem dogmata et praecepta, utpote naturalem vim rationis excedentia, miraculis et prophetiis plerumque confirmata, nonnisi a Deo prodire valuerunt. Ergo exstitit ante Moysen vera revelatio divina.

Prob. Maj. 1.° quoad veritates religiosas et dogmata.

Doctrinae religiosae ei dogmata primis hominibus vere innotuerunt.

Nam 1) *Genesis,* 1, 26 et 9, 6, diserte promisit Deus se hominem ad imaginem suam esse facturum, et 2, 7, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.

2) *Genesis,* 2, 17, mortem homini in poenam minatus est, ex quo comederet de ligno scientiae boni et mali, quam rei eventus confirmavit.

3) *Genesis,* 3, 15, praenuntiavit adventum Mariae Virginis ejusque sobolis, et inimicitias, quas esset inter serpentem (daemonem) et praefatam Virginem posturus.

4) *Genesis,* 3, 16-19, aperte docet omnes generis humani aerumnas et labores a peccato exordium sumpsisse.

5) *Genesis.* 3, 19, Adam dicitur e pulvere adsumptus et in pulverem reversurus, id est, instruitur ex alto circa sui originem et novissima.

6) *Genesis,* 9, 1, benedixit Deus Noe et filiis ejus, et fecunditatem eis contulit, ut multiplicarentur et replerent terram.

7) *Genesis,* 12, 2-3, promisit Abrahae et posteris ejus benedictionem, praedixitque ejus sobolem fore gentem magnam.

Alia sunt innumera testimonia, quibus docemur protoparentes no-

1 Cfr. sup,, n. 93.
2 Lib. i, p. 2, c. 1

stros et patriarchas Noe, Abraham, Isaac, Jacob, etc., ante Moysen divinitus fuisse edoctos.

2. Quoad praecepta positiva.

1) *Genesis,* 2, 17, interdixit Deus protoparentibus nostris, ne comederent fructus arboris scientiae boni et mali.

2) *Ibid.,* 6, 14 sqq. jussit Noe, ut arcam construeret trecentorum cubitorum longitudinis, in qua posset se et cuncta viventium genera ab aquis diluvii liberare.

3) *Ibid.,* 17, 10-14, instituit Deus circumcisionem, quae fuit populo israelitico sacramentum ad delendum peccatum originale masculorum.

4) *Ibid.,* 22, 2, mandavit Abrahae, ut filium suum unigenitum Isaac in monte sacrificaret.

Haec et alia quamplurima, tum moralia tum caeremonialia, sunt praecepta positiva a Deo olim protoparentibus nostris et patriarchis primaevae aetatis data, quae satis superque demonstrant accuratam Dei erga homines sollicitudinem ac providentiam.

Prob. Min. Haec dogmata atque praecepta nonnisi a Deo prodire valuerunt.

Non potuit homo naturaliter cognoscere 1) se esse Deo similem nec 2) mortem ex comestione fructus vetiti pendere; 3) praenuntium de adventu Virginis, etc., miraculis et prophetiis confirmatum ac eventu completum, omnes intellectus humani vires superabat; 4) unde aerumnae et labores provenerint philosophos totius antiquitatis, fide destitutos, omnino latuit, et solummodo innotuit iis, qui revelationibus primitivis, in lege scripta saepius repetitis, fidem adhibuerunt; 5) Adamus sui e terra eductionem solus ediscere nequivit, quia origo propria quemque naturaliter latet; 6) et 7) benedictio ac fecunditas Noe et Abrahae eorumque posteris promissae erant futura contingentia soli Deo nota.

Praecepta item positiva, quae ante Moysen a Deo data dicuntur hominibus, creduntur excedere plerumque vires et conatus hominum.

Ergo haec omnia nonnisi a Deo prodire valuerunt.

Arg. II. Aliud non leve argumentum petitur ex *consensu generis humani.* Communis fuit semper inter gentes persuasio Deum olim homines edocuisse doctrinas veritatis, eisque veram religionem tradidisse. Quam religionem ab ipso generis humani exordio a Deo prodiisse vel inde constat, quod *Tullius* praeclare docet dicens: «quo propius aberant homines ab ortu et divina progenie, hoc melius ea quae erant vera perspexisse». Hinc scite arguit *Liebermann:* «Si homo sola ratione adjutus officiorum vitae et religionis summam conficere posset, qui factum est, ut dum humana inventa parva primum et rudia, crescente humani generis cultura, crescant etiam et expoliantur; religio e contra eo purior apud omnes populos fuerit, quo propius ad communem fontem accederet, inversam ubique a philosophia et humanis scientiis viam secuta?»

1 Lib. i, p. 2, c. 2, sect. 1, a. 1, n. 257.

Arg. III. Luculentum etiam argumentum hujus theseos est puritas, uniformitas et constantia doctrinae religiosae a principio mundi ad Moysen usque retentae. «In prima collectionis pagina, ait *Hooke,* ea depingitur, qua homini licet gravitate creatoris virtus; illius omnipotentia, cui omnia parent, sapientia summa et effusa bonitas, ita vivide exprimuntur, ut nescias an plus reverearis potentiam, quam sapientiam admireris et bonitate commovearis. Dignum tanti operis exordium! Ac in illa aetate, cum omnes homines ad muta idola procumberent, haberentque locales deos, quos secum portarent, negant hi divinae naturae nomen, esse ullum, aut aliam esse informandam animo notionem numinis, nisi entis sibi sufficientis, quod per se exsistens omnia sustinet, quod futuras omnes temporum periodos scientia complectitur, quod cum summa aequitate res temperat humanas» 1. Eamdem doctrinam professi sunt Adam, Noe, Abraham aliique patriarchae et Dei prophetae, eadem prosecuti sunt documenta. Hanc a principio temporum doctrinae religiosae perpetuam successionem non sine speciali Dei providentia ac consilio esse conservatam clarius est, quam ut probatione indigeat. Cum inventa cuncta generis humani successu temporis mutarentur, sola religio per viginti quinque et amplius saecula eadem semper integra permansit.

ARTICULUS II

QUALIS FUERIT REVELATIO PRIMITIVA

175. Status quaestionis. Ostensa semel revelationis primitivae exsistentia, declarandum hic venit, quae dogmata quasve doctrinas continuerit. Hinc scopus hujus articuli est investigare, quas Deus revelaverit doctrinas primis parentibus et patriarchis posterioribus, qui ante Moysen floruerunt.

176. Thesis. Tum dogmata praecipua verae religionis, tum officia, quibus homo adstringitur erga Deum et proximum, revelata sunt a Deo protoparentibus nostris et antiquis patriarchis.

Arg. Eo fine revelatio veritatum caelitus impertita est hominibus, ut ii veram religionem addiscerent, et, Deum super omnia diligentes, felicitatem adsequerentur aeternam. Sed vera religio non addiscitur, nec Deus super omnia diligi potest aut felicitas aeterna adipisci sine dogmatum praecipuorum et officiorum erga Deum et proximum cognitione. Ergo revelatio primitiva continebat manifestationem praecipuorum dogmatum verae religionis et officiorum, quibus homo adstringitur erga Deum et proximum.

Veritatum et officiorum, quae in religione patriarchal! a Deo revelata sunt, summam texere non adeo facile fuerit. Ex his tamen quae in libro Geneseos historice narrantur, pleraque primaevae revelationis capita discere licet. Hinc.

1 *Theol. cursus complet.,* tom. 2, col. 580.

1) Deum verum, creatorem caeli et terrae, *unum* esse, rerumque omnium *dominum* exsistere, ab initio manifestatum est hominibus, ut passim ex historica narratione constat.

2) Deus *misericors* et *benignus* praedicatur erga Cain1; erga ipsos Adamum et Evam 2; erga omnes peccatores ante diluvium 3; post diluvium erga omnes gentes, cum promisit se nunquam deinceps terrae maledicturum propter homines, nec ultra diluvium permissurum 4.

3) *Providentiel* Dei manifestata est tum erga Adam et Evam 5, eos in paradiso, ubi omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave erat, constituendo; et 6 tunicis pelliceis post peccatum induendo; tum erga Noe ejusque familiam 7, arcae constructionem ei praecipiendo; tum erga Abraham 8, ut de terra sua egrederetur, praecipiendo; tum erga omnes patriarchas, prout ex eorum gestis certissime patet.

4) *Judex* ac *vindex* peccatorum justissimus Deus exhibetur, ut totius Genesis narrat historia.

5) *Mysteria* quoque SSmae. Trinitatis et Incarnationis revelata sunt proculdubio hominibus ante Moysen. *Trinitatem* quidem adumbratam cernimus in *Gen.,* 1, 26, ubi Deus in 'plurali numero dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et *Incarnationem* tum *Gen.,* 3, 15, ubi Dominus ad serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum;* tum in pluribus sacrificiis, quibus praefigurabatur passio Christi. Hinc utrumque mysterium juxta S. Thomam fuit post peccatum ante Christum creditum ab hominibus, explicite quidem a majoribus, et implicite secundum velatam cognitionem a minoribus 9.

6) Per primaevam revelationem innotuit homini se ad imaginem Dei esse conditum 10,1 spirituali ac immortali anima esse praeditum u, omnibus animantibus se praesidere12,13 immortalem gloriam bene facientibus qua praemium esse promissam, etc., etc.

7) Cognovit item homo se a prima dignitate per peccatum decidisse 18 et per mediatorem a peccato Uberatum iri14.

Officia, quibus potissimum homo adstringebatur erga Deum, erant:

1) *Cultus internus;* ubique enim gentium et semper septima dies *sacra* habebatur, ut homines Deo debitum cultum et honorem tribuerent. Hinc ipse Dominus *benedixit diei septimo et sanctificavit illum* 1S.

1 *Gcn.,* 4, 15.
2 *Gen.,* 3, 16 sqq.
3 *Gen.,* 6, 3 sqq.
4 *Gen.,* 8, 21.
5 *Gen., 2,* 8 sqq.
6 *Gen.,* 3, 21.
' *Gen.,* 6, 14.
8 *Gen.,* 12, i.
8 ***II-II,*** q. 2, aa. 7-8.
10 *Gen.,* i, 26.
11 *Gen.,* 2, 7.
12 *Gen.,* i, 26.
13 *Gcn.,* 3, 7 sqq.
14 *Gen.,* 3, 15.
10 *Gen.,* 2, 3.

2) *Cultus externus;* juxta illud *Gen.,* 4, 26: *Coepit (Enos) invocare nomen* ***Domini*** qua invocatione postea passim usi sunt Abraham, Isaac et Jacob.

3) *Sacrificia* Deo offerebant Cain de fructibus terrae et Abel de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum [1] Quem morem patriarchae sequuti sunt.

Officia demum erga homines praecipua erant:

1) *Reverentia et pietas erga parentes;* Isaac ita reveritus est patrem suum Abraham, ut obedientiae causa paratus fuerit ad se sacrificandum [3].

2) *Fraterna charitas* multum commendata fuit ac laudata apud praecipuos primaevae aetatis viros, ut constat ex historia filiorum Jacob.

3) Omnes denique virtutes patriarchal! tempore enixe commendatae fuere.

Liceat hanc quaestionem verbis cl. *Liebermann* claudere: «Haec r.evelatio, inquit, a Deo hominibus data et usque ad Noëmum in familiis Patriarcharum summo studio conservata, a Noëmo, secundo generis humani parente, posteris relicta est. Cum autem corruptio et impietas in Noëmi posteris invalesceret, elegit sibi Deus virum piissimum, Abrahamum, ut ipse custos esset avitae religionis et promissionum antiquarum. Novum cum eo foedus iniit, cujus signum erat circumcisio, qui ritus a tempore Abrahami partem effecit religionis patriarchalis. Jam vero, si haec omnia cum religione Christiana conferuntur, obvium est ea non tantum Christianae revelationi non esse adversa, sed illius prima principia et elementa continere. Et quamvis amplissima haec sit et per totum orbem splendeat tum doctrinae sublimitate tum sanctitate praeceptorum, nihilominus in illa prima revelatione jam reperitur quasi in nucleo inclusa» [4].

QUAESTIO IX

DE REVELATIONE MOSAICA

177. Nota. Cum librorum sacrorum authenticitas, auctoritas, inspiratio aliaque hujus generis plura in introductione S. Scripturae propriam sedem a multo jam tempore obtinuerint, ad illam potius crediderim hanc quaestionem pertinere; quia tamen non pauca religionis Christianae dogmata, in posterioribus defendenda, a revelatione mosaica cernimus esse partim hausta, quaedam de illa censuimus hic enucleanda.

Ecclesia, ab ipso generis humani exordio quodammodo a Deo instituta et per revelationem mosaicam non parum illustrata, ac in Synagoga apud judaeos conservata, figura fuit ac typus verae Christi Ecclesiae, cui defendendae omnes theologorum vires ac conatus dirigantur oportet. Ne igitur religionis Christianae et verae Christi Ecclesiae tractatio incompleta relinqui videatur, necessum est heic, quae ad revela-

1 Hoc de propagatione publici cultus intelligendum esse merito docent theologi; Adam quippe, Abel, etc., invocaverant saepius ante Enos nomen Domini. Cfr. Franzelin. ***De Traditione,*** th. 20.

2 ***Gen.,*** 4, 3-4.

3 ***Gen.,*** 22, 7 sqq.

4 Lib. i, p. 2, c. 2, a. 1, n. 259.

tionem mosaicam spectant, dilucidare. Memores tamen instituti ac propositi nostri pauca, eaque in compendio, sumus tradituri.

ARTICULUS I

QUIS FUERIT AUCTOR PENTATEUCHI

178. Status quaestionis. *Notiones genericae.* Pentateuchus, quem hebraei *Thora* (legem) appellant, ex duplici voce graeca -εντα (quinque) τεύχο (volumen) coalescit, et idem significat ac *quinque voluminum liber,* eo quod quinque libris, ut notum est, constet.

Hi libri, quos a praecipuo argumento nos *Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros* et *Deuteronomium* appellamus, a vocabulo, quo inchoantur, nomen sortiti sunt apud judaeos. Ideo vocati sunt 1.us *Beresit* (in principio—*Genesis),* 2.'lS *Vellesmoth* (haec sunt nomina—*Exodus),* 3 us *yaicra* (et vocavit—*Leviticus),* 4,us *Hammesphecodim* (dubiae interpretationis—*Numeri)* et 5.us *EUehadabarim* (haec sunt verba—*Deuteronomium).*

Argumentum. *Genesis* narrat historiam a creatione mundi usque ad obitum Patriarchae Joseph in Aegypto. Describuntur in eo: 1.° mundi et hominis a Deo creatio; hominis lapsus, ejusque e paradiso in poenam peccati expulsio et consequentes inde aerumnae; Redemptoris a Deo facta promissio; Patriarcharum generationes et vitae; diluvium, et gentium per varias mundi plagas dispersio ac linguarum in turris babelicae aedificatione confusio (1-11). 2.° Iterum obliti homines beneficiorum Dei, et passionibus ac idolorum cultui dediti, auctorem suum reliquerunt, et abyssum barathrumque petierunt immensum. Dominus autem, memor promissionis suae de non delendo ultra per diluvium genere humano. Abrahamum ejusque posteros sibi elegit in populum dilectum, ut religionem sartam tectam servarent. Praecepit Abraham, ut de terra sua egrederetur, et Chanaan peteret; foedus cum eo iniit, in cujus signum instituit circumcisionem, ac Redemptorem ex ejus semine nasciturum promisit. Prosequitur historia populi electi, et narrantur gesta Abraham, Isaac, Jacob, et Joseph Patriarchae, filii Jacob, quem fratres ejus vendiderunt, et Ismaelitae in Aegyptum detulerunt. Non sine divino consilio, eo in ministrum Pharaonis, regis Aegypti, electo, Jacob cum reliquis filiis in Aegyptum perrexit ibique sedem fixit. Inde populus Israel in Aegypto detentus (12-50).

Exodus refert historiam hebraeorum a morte Joseph usque ad secundum annum egressus ex Aegypto. Gesta praecipua sunt: hebraeorum in Aegypto per quadringentos triginta annos jugum et oppressio, Moysis nativitas ac gesta, decem plagae Aegypti (1-12), liberatio israelitarum a servitute aegyptiaca, exitus ab Aegypto, transitus maris rubri, iter per desertum usque ad montem Sinai (13-18); promulgatio decalogi in Monte Sinai, praecepta ac festa populo imposita (19-25); ac denique foedus a Domino cum populo initum, et ea, quae ad tabernaculum, arcam foederis, vasa, vestes, etc., spectabant.

Leviticus, quasi prosequens argumentum Exodi, agit de his, quae

Levitae ac sacerdotes servare debebant in sacrificiis offerendis festisque celebrandis.

Numeri recensent imprimis omnes bellatores Israel, qui erant in deserto, omnesque primogenitos ac levitas; historiam populi israelitici in deserto per 38 circiter annos narrant.

Deuteronomium quasi compendium est praecedentium. Idcirco quasdam leges, alias jam latas, repetit, earumque explicationes continet.

Cum autem hi libri praecipuam revelationem populo israelitico a Deo factam contineant, et fundamentum sint totius Veteris Testamenti, ex quibus non pauca reperiuntur hausta in Novi Testamenti oeconomia, operae pretium est eorum antiquitatem et authentiam strenue, ut par est, tueri. Quinque consequentur exinde pro vera religione beneficia magni momenti: 1.° *Valor doctrinalis* eorum dogmatum, quae pro instruendis hebraeis a Deo tradita sunt. 2.° *Valor historicus* librorum, qui antiquissimis aliis mundi scriptis vetustiores probabuntur. 3.° *Moralitas* praeceptorum Pentateuchi, quae philosophorum systemata puritate, integritate et gravitate longe superant. 4.° *Valor litterarius* librorum, qui non solum antiquitate, sed etiam expressionis pulchritudine ac lepore merito celebrantur. 5.° *Valor philosophicus* conceptuum, qui difficillimas philosophiae quaestiones mirum in modum solutas exhibent.

De antiquitate igitur et auctore Pentateuchi simul in hoc articulo agendum est, ut cuncta, quae dicenda occurrent, debito ordine prodeant.

179. Auctorum placita, a) Catholici omnes et plerique protestantes, imo et judaei, usque ad finem saeculi xvu unanimi consensu tenuere integrum Pentateuchum, exceptis ultimis capitibus Deuteronomii, Moysen habuisse auctorem. Adeo nonnulli hanc urgent sententiam, ut eam citra temeritatis notam negari non posse exsistiment[1].

b) Saeculo xvu *Thomas Hobbesius*[2] Deuteronomii partem dumtaxat modicam Moysi adscripsit; *Isaac Peyrère,* burdigalensis[3] docuit Pentateuchum hodiernum compendium esse operis Moysis; et *Ben. Spinoza* * illum Esdrae tribuit.

c) *Pichardus Simon*[6], Congr. Oratorii sodalis, legem solummodo et praecepta arbitratus est a Moyse scripta, reliquas vero partes scribis seu notariis publicis, divinitus tamen inspiratis, adscripsit.

Ii scriptores a catholicis strenue confutati, paucos suo tempore nacti sunt sectatores.

d) Elapso saeculo rationalistae, omnem revelationem et notionem ordinis supernaturalis respuere volentes, dixerunt Pentateuchum non fuisse a Moyse conscriptum nec ejus aetate compositum. Huic principio innixi rationalistae in tot abierunt sententias, ut nescias quid tandem sibi velint. Oportet tamen eorum opiniones, quantum fas est, in unum ordinem redigere. Systemata rationalistarum ad tres hypotheses solent a theologis reduci.

i.a est *documentorum,* systema scilicet eorum, qui volunt Pentateuchum ex antiquis quibusdam documentis quae *Elohistica* et *Jahvistica,* ob usum Elohim et Jahve, nuncupabantur, a Moyse, ut vult *Joannes Astrue,* medicus catholicus montpelliensis, anno 1766 Parisiis mortuus®, vel partim a Moyse et partim a quopiam juniore, ut contendit *Ezvald* cum aliis compo-

1 Cfr. Jaugey, *Diction. Apolog.,* V. *Pentateuco.*
2 *Leviathan,* 3, 33.
3 *Systema praeadamiticum,* lib. 4, c. 1-4.
4 *Traci, theol. polit.,* c. 8, n. 48 sqq.
6 *Histoire critique du V. T.,* c. 5-6.
° *Conjectures sur les mémoires originaux dont il parait que Moise s'est servi, etc.*

situm fuisse. Sed nemo est inter rationalistas, qui sciat, quando et a quo haec documenta exarata fuerint.

2.a hypothesis est systema *fragmentorum,* quod praefata documenta dispartienda putat in plura fragmenta, quorum nonnulla a Moyse fuerint conscripta, alia vero ab aliis auctoribus tempore Davidis et Salomonis, vel etiam recentius exarata et circa captivitatem babylonicam collecta. Ita *J. S. Vaterl,* quem sequuti sunt *Th. Hartmann* et ahi.

3·" hypothesis vocatur *supplementorum,* quae contendit Pentateuchum exaratum fuisse ex vetustissimo quodam documento, quod antiquam historiam contineret; aliis tamen recentioribus documentis, quorum numerus, aetas, auctor, etc., incertus est, *suppletum* fuisse decursu temporis, et in formam hodiernam redactum. Hanc explicationem ab *H. Ewald* [1]excogitatam diversimode modificant alii [8].

His in genere ita statutis, in mille abierunt rationalistae sententias, ubi egerunt de adsignando tempore, quo conscriptus fuerit Pentateuchus. Dum nonnulli tuentur Deuteronomium esse inter omnes Pentateuchi libros recentissimum, alii contendunt eum Levitico et quibusdam Exodi ac Numerorum partibus anteponendum [4].

Has rationalistarum inter se dissensiones dilucide exponit *Comely* dicens: <<Sat magna igitur est sententiarum criticorum varietas, nec finem faceremus, si omnes enumerare et explicare conaremur; unusquisque igitur sat facile inveniet, quo delectetur. Si quis duos Pentateuchi auctores admittere velit, recurrat ad *Tuch;* si tres, consulat *De Wette;* si quatuor, patronos alleget *Hupfeld, Schrader, Nicolas;* si quinque, eum adjuvabunt *Vaihinger* et *Dillmann;* si sex vel septem, ei praesto erunt *Noeldeke* et *Knobel;* si autem innumeros praefert, sequatur *Ewald.* Neque ei deerunt patroni, si Pentateuchum terminatum esse adserit aut tempore Josue *(Delitzsch Gen., Kurtz),* aut tempore Saulis *(Stachelin),* vel Davidis *(Eleck),* vel Salomonis *(Tuch),* vel Josiae *(Knobel),* aut ultimis annis ante exilium babylonicum *(Schrader),* aut Esdrae aetate *(Wellhausen),* aut tempore intermedio inter Nehemiam et Alexandrum M. *(Reuss),* aut primorum Ptolomaeorum *(Seinecke)* aetate»[5].

Has opiniones ut in unam formam redigeret, aliam hypothesim commentus est *I. Wellhausen* [6], quem nuperi rationalistae fere communiter sequuntur. Narrationem historicam gestorum Israel non morte Moysis sed occupatione terrae Chanaan, quae a Josue describitur, putavit expleri; ideo canonis Judaeorum librum primum censuit esse, non *Pentateuchum,* sed *Hexateuchum.* Hic Hexateuchus tribus operibus seu documentis constabat. *Primum* documentum est Deuteronomium, quod eo tempore conscriptum creditur, quo dicitur inventum, saeculo scilicet vn a. Christum, Josia Rege. *Secundum* documentum, *historicum,* quod totam narrationem Geneseos, partem Exodi ac Numerorum, atque librum Josue complectebatur, et putabatur ex duobus scriptis, jahvistico uno et elohistico altero, compositum, medio circiter saeculo vm a. Christum. *Tertium* documentum *legale* erat, quod *Wellhausen librum quatuor foederum* vel *Codicem Sacerdotalem* appellavit, et componebatur ex integro Levitico et partibus Exodi ac Numerorum, tempore captivitatis inceptum atque paulatim absolutum. Quare cum anno circiter 444 a. Christum Deuteronomium documento historico conjungeretur, Esdras *Codicem Sacerdotalem* eisdem inseruit, atque ita Pentateuchum hodiernum tandem complevit [7].

1 *Comment, iiber den Pentat.*

2 *Studien u. kritihen,* 1831, p. 602 sq.

3 Cfr. Comely, *Hist, et critica Introd, in V. T. libros sacros,* vol. 2, c. 1, n. 10.

4 Cfr. Murillo, *Jesucristo,* lib. 2, sect. 1, c. 1; et *El Ginesis,* Introducciôn, P· 95 sqq.

5 *Hist, et critica Introd, in V. T. libros sacros,* vol. 2, c. 1.

6 *Prolegomena zur Gesch. Israels.* 1895.

7 Cfr. Murillo, *Jesucristo,* lib. 2, sect. 1. c. 1; et Comely, *Introd, in V. T. libros,* vol. 2, c. 1; et *Compcnd. diss.,* 4, c. 1, § 2.

Perbellis ac vere mira *Wellhausen* critica, ut ex sola Bibliorum lectione post triginta et amplius saecula certe deducat, quae partes librorum sacrorum continerentur in uno vel altero documento.

e) *Modernistae* hodierni, rationalistarum theoriis plerumque imbuti, negant communiter Moysen fuisse auctorem Pentateuchi. Ita *Loisy, Minocchi, Sabatier* [1], etc. His subscribunt catholici quidam hypercritici, qui putant, bene perpensa librorum constructione, scientifice demonstrari Pentateuchum non esse opus Moysis. Sic *Lagrange* [2] et alii.—*Hummelauer* [3] cum aliis contendit Deuteronomium bis ante Esdram, a Josue scilicet volumine suorum verborum et a Samuele collectaneo legum seu judicio regni, auctum fuisse.

180. Thesis I. Pentateuchus antiquitate mosaica merito celebratur.

Arg. I. Petitur primo argumentum validum ex ipsa sententia et hypothesi rationalistarum, qui testimonia et narrationes historicas imo et documenta inveniunt in Pentateucho, ipso Moyse vetustiora, ab auctore adhibita. Alia vero recentiora documenta gratis finguntur, et conjecturaliter tantum absque ulla, sive intrinseca sive extrinseca, ratione admittuntur. Cum enim omnia in praefatis libris referantur ad tempora Moyse antiquiora vel coaetanea, et nonnulla fragmenta textui sacro inserta supponantur certe Moyse vetustiora, nullo fundamento ponitur Pentateuchum fuisse post Moysis tempore compositum.

Arg. II. Sacra ipsa Scriptura passim innuit, et constans traditio docet, Pentateuchum jam olim exstitisse 1) tempore Esdrae, 2) tempore Regum, et 3) tempore ipsius Josue.

1) II Esdrae 8, 1-5 dicitur: *Congregatusque esi omnis populus quasi vir unus ad plateam, quae est ante portam aquarum, et dixerunt Esdrae scribae, ut a/ferret librum legis Moysi, quam praeceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem. ... Et aperuit Esdras librum coram omni populo* [4].

2) I Reg. 14, 33, haec leguntur: *Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine.* Lex autem, quae carnem cum sanguine prohibebat manducare, data est a Deo in Pentateucho [5].

3) Josue 8, 30-32, habetur: *Tunc aedificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal, sicut praeceperat Moyses, famulus Domini, filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysi. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.*

Ergo Pentateuchus est antiquior Esdra, Regibus et Josue.

Haec ipsa sententia ut vera habita est in tota antiquitate, prout diserte testantur *Flavius Josephus* [6] et *Philo* [7], antiquissimi historiographi.

Arg. III. S. *Thomas* luculenter probat Pentateuchum convenientissime tempore Moysis fuisse scriptum. «Convenientissime, ait, lex vetus

1 Loisy, *Études bibliques,* Paris, 1903, pag. 194-259; Minocchi, *Studi religiosi,* passim; Sabatier, *Ensayo de una Filoso/ia de la religiôn* (hisp. vers.), lib. 2, c. I, § 1.
2 *Les Sources du Pentateuque* (Revue Biblique), Janv. 1898.
3 *Comment. Deuteronomium,* Introd., § 6.
4 Cfr. *II Esdrae,* 13, x.
5 *Gen.,* 9, 4: *Deut.,* 12, 16, 23, etc.
6 *Antiquit. jud.* in Prooem., n. 4; et *Contra Appionem,* lib. 1, n. 8.
7 *Vita Moysis,* lib. 2, post med.

data fuit tempore Moysi. Cujus ratio potest accipi ex duobus, secundum quod quaelibet lex duobus generibus hominum imponitur. Imponitur enim quibusdam duris et superbis, qui per legem compescuntur et domantur. Imponitur etiam bonis, qui per legem instructi adjuvantur ad implendum, quod intendunt. Conveniens igitur fuit tali tempore legem veterem dari ad superbiam hominum convincendam. De duobus enim homo superbiebat, scilicet de *scientia* et de *potentia,* a) De scientia quidem quasi ratio naturalis ei posset sufficere ad salutem. Et ideo, ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini suae rationis absque adminiculo legis scriptae; et experimento homo discere potuit, quod patiebatur rationis defectum per hoc, quod homines usque ad idololatriam et turpissima vitia circa tempora Abrahae sunt prolapsi. Et ideo post haec tempora fuit necessarium legem scriptam dari in remedium humanae ignorantiae, quia per legem est cognitio peccati, ut dicitur *Rom.* 7, 7. b) Sed postquam homo est instructus per legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat, quod cognoscebat; et ideo sicut Apostolus concludit ad *Rom.* 8, 3-4: *Quod- impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; misit Deus Filium suum... ut justificatio legis impleretur in nobis.* Ex parte vero bonorum lex data est in auxilium; quod quidem tunc maxime populo necessarium fuit, quando lex naturalis obscurari incipiebat propter exuberantiam peccatorum. Oportebat enim hujusmodi auxilium quodam ordine dari, ut per impecfecta ad perfectionem manuducerentur; et ideo inter legem naturae et legem gratiae oportuit legem veterem dari» L

181. Thesis II. Moyses fuit revera auctor Pentateuchi.

Nota. Libenter concedimus cum theologis et S. Scripturae interpretibus naevum aliquem, librariorum incuria, in Pentateuchum invehi potuisse; et ultro fatemur ea, quae in fine Deuteronomii de morte Moysi referuntur, non ab ipso Moyse sed aliena manu, probabiliter Josue vel Esdrae, sub inspiration^ tamen divina, esse inserta. Hoc tamen non obstat, quominus Pentateuchus dicatur et sit opus genuinum Moysis.

Arg. I. Innumera sunt in Evangeliis tum judaeorum tum Christi testimonia, quibus rite probatur Moysen esse auctorem Pentateuchi. Nam Sadducaei Christum tentantes dicebant:.V/oyses *dixit: si quis mortuus fuerit non habens filium* [1], etc., quod reperitur *Deuteronom.,* 25, 5.— Et ipse Christus vicissim redarguit Sadducaeos dicens: *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac et Deus Jacob?* [3]. Haec autem habentur *Exodi,* 3, 6.—Similiter in Evangelio legitur de Jesu: *Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant* [4]. Et iterum ait Christus:

1 ***I-II,*** q. 98, a. 6. Cfr. omnino Vigoureux, ***Manuel Biblique,*** A. T., p. 1, sect. I, c. 1, a. 3.

2 ***Matth., 22,*** 24.

3 ***Marc.,*** 12, 26.

4 ***Bue.,*** 24, 27.

*Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me*1. Ac tandem dicitur apud Joannem: *Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth* 2. Jesus autem praenuntiatus fuit in Pentateucho, *Gen.,* 49, 10, *et Deui.,* 18, 18.

Arg. II. Ipse Moyses testatur mandatum accepisse a Domino scribendi Pentateuchum. Ait illi Dominus: *Scribe hoc ob monumentum in libro* 34 Et rursum: *Scribe tibi verba haec* *. Porro acceptum mandatum fideliter Moyses opere complevit. Unde dicitur: *Descripsit Moyses juxta castrorum loca* 56 et deinceps: *Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini et cunctis senioribus Israel. Praecepitque eis dicens: post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel... in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel* ®. Nomine autem *legis* designat Scriptura non solum Deuteronomium, sed omnes praecedentes libros, tum 1) quia Deuteronomium non nova lex, sed legis jam exsistentis explicatio est, tum 2) quia juxta unanimem sensum judaeorum septimo quoque anno non solum Deteronomium sed totus Pentateuchus vel saltem praecipuae ejus partes legi debebant coram populo, tum denique 3) quia Deuteronomium supponit jam alios libros scriptos.

Arg. III. Omnes fere Veteris Testamenti libri centies testantur, constans hebraeorum traditio confirmat, et monumenta aegyptiaca certe demonstrant Moysen fuisse auctorem Pentateuchi. Lege librum *Josue,* 1, 1-8, et *Malach.,* 4, 4, etc. 7.

182. Scholion I. Haec authentia Pentateuchi talis non est, ut omnino tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; sed permitti potest hypothesis eorum «qui exsistimant eum opus ipsum, a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum, alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent: ac tandem opus hac ratione confectum ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum ipsiusmet nomine vulgaretur». Ita *Commissio Biblica, Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 377-378.

1 ***Luc.,*** 24, 44.
2 ***Joan.,*** i, 45.
3 ***Exod.,*** 17, 14.
4 ***Exod.,*** 34, 27.
5 ***Num.,*** 33, 2.
6 ***Deut.,*** 31, 9 sqq.
7 Cfr. Vigoureux, ***Manuel Biblique,*** A. T., p. 1, sect. 1, c. 1, a. 3, § I.

Unde ***Commissio Biblica*** pro studiis de re biblica provehendis a Leone PP. XΠ1 condita, cujus sententiis ad doctrinam pertinentibus, perinde ac decretis SS. Congregationum a Pontifice probatis, nos subjicere conscientiae officio obstringimur ***(Motu proprio*** SS. D. N. Pii PP. X, 18 Nov. 1907), proposito dubio:

«Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam mosaicam Sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi judaici, Ecclesiae quoque constanti traditione, necnon indiciis internis, quae ex ipso textu eruuntur, jus tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos?»

Die 27 Junii 1906 respondendum censuit ***Negative,*** Denz-Bannw., 1997.

Scholion II. Occasione systematis *documentorum,* quo rationalistae authentiam Pentateuchi impetunt, quaerunt catholici, num revera Moyses in conscribendo Pentateucho adhibuerit documenta vetustiora, ab aliis auctoribus exarata 4.

Plerique, etiam catholici, tuentur, aliis id aegre ferentibus, Moysen, in suo opere exarando, usum fuisse documentis originalibus praeexsistentibus et pleraque humanis mediis collegisse. Ita *Vigoureux* 1, qui hanc sententiam conatur defendere, a) *auctoritate Vitringae,* qui saeculo jam xn ajebat: «*Shedas* et *scrinia Patrum,* apud Israelites conservata, Moysen opinamur collegisse, digesisse, ornasse, et, ubi deficiebant, complevisse, atque ex iis primum librorum confecisse» 34 b) *Ex styli varietate;* arcaismis enim, qui abundant in libro Geneseos, carent alii Pentateuchi libri, c) *Ex lexicographia;* Deum siquidem scriptor in quibusdam partibus vocat *Elohim,* in aliis *Jahve.* d) *Narrationes* quae interdum videntur incompletae, ut illae de historia Lamec 4 et Nemrod 5, innuunt Moysen documentis usum fuisse incompletis, e) Verba *Dixit Dominus ad Moysen* frequenter in ultimis quatuor libris, nunquam in libro Geneseos reperiuntur.

Quidquid sit de hac opinionum diversitate, nullatenus exsistimamus esse dubitandum, quin potuerit Moyses quibusdam documentis vetustioribus uti sub triplici conditione:

1.a Quod, licet praefata documenta naturaliter acceperit sive collegerit, *inspiratus* tamen divinitus fuerit ad judicandum de eorum doctrina ac veritate.

2.a Ea saltem, quae captum hominis excedunt, et naturaliter sibi innotescere nequiverunt, per veram revelationem acceperit. *Inspiratio* enim presse loquendo est manifestatio eorum, quae aliunde nota sunt, et ideo usum documentorum potest supponere; at *revelatio* est manifestatio veritatis ignotae, et, ubi veritas sive *per se* sive *per accidens* ignoratur, revelatione opus est.

3.a Moyses dicatur *auctor* Pentateuchi; quia, supposito quod praefata documenta adhibuerit, vel ex eis aliquid suis libris inseruerit, hoc sub divina inspiratione fecisse credendus est.

Hoc ipsum confirmavit praefata *Commisto Biblica,* quando proposita quaestione: «L trum absque praejudicio mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit?, die 27 Junii 1906 respondit. *Affirmative» e.*

OBJECTIONES

183. Obj. 1.° Auctor Pentateuchi saepissime loquitur de Moyse ut de alia persona, sicut *Exod.,* 8, 12, *Clamavit Moyses,* et *ibid.* 13, *Fecitque Dominus juxta verbum Moysi.* Imo *Exod.,* 11, 3 et alibi Moysen laudibus effert dicens: *Fuit Moyses vir magnus valde.* Ergo Moyses non scripsit Pentateuchum.

Resp. a) Nihil obstat, quin auctor alicujus libri de se ipso in tertia persona loquatur, sicut alii non semel fecisse leguntur. Sic S. *Joannes* in Evangelio et *Sta. M. N. Theresia* in sua vita et aliis scriptis passim locuti sunt de se ipsis in tertia persona, b) Verum est, quod sancti laudibus sese efferre non consueverint, sed Moyses ob peculiares rationes, quia nimirum oportebat se legatum divinum exhibere, laudes sibi tribuit.

1 Valbuena, ***Egipto y Asiria resucitados,*** p. I, lib. I, c. 5.
2 ***Manuel Biblique,*** Ant. T., ***Pent.,*** c. 1, a. 3, n. 253.
3 ***Sacrarum observat, libri duo,*** 1, 4.
4 ***Gen.,*** 4, 23.
s ***Gen.,*** 10, 9.
' Resp. 27 Junii 1906, dub. 3; Denz-Bannw., 1999.

Obj. 2. Ex studiis lexicographicis satis colligitur Pentateuchum non esse unius auctoris opus. Nam i) stylus quandoque est simplex et brevis, quandoque sublimis, abundans et poëticus; 2) in quibusdam partibus scriptor Deum vocat *Elohim,* in aliis exclusive *Jahve.* Haec autem certe innuunt Pentateuchum a diversis auctoribus scriptum fuisse.

Resp.—Neg. Ant. Ex studiis lexicographicis praecise colligitur Pentateuchum unico auctori, Moysi, tribuendum esse, ut liquido demonstrant critici. 1) Styli autem differentia nihil in contrarium probat. Nam opus, quod simul sit historicum, legale et propheticum, non potest nec debet eumdem habere stylum aut sermonis elegantiam. 2) Diversitas nominum, quibus Deum in diversis partibus vocat auctor, ad summum probat Moysen variis documentis usum fuisse in opere conscribendo, quod fieri potuisse absque detrimento authenticitatis admissimus superius.

Alias objectiones vide apud interpretes S. Scripturae solutas.

ARTICULUS II

UTRUM PENTATEUCHUS SUBSTANTIALITER INTEGER AD NOS USQUE PERVENERIT

184. Status quaestionis. Ut revelatio et auctoritas legis mosaicae sartae tectae serventur, oportet, non solum authentiam Pentateuchi cognitam habere, verum etiam ejus integritatem ostendere. Idcirco opportunum heic duximus investigare, utrum Pentateuchus, prout nunc exstat, fideliter correspondeat operi a Moyse conscripto, vel e contra, substantialiter corruptus, ab illo primitivo mutatus fuerit.

a) Quaestio hic est de integritate *substantiali,* quae dogmatis, legis et narrationis substantiam spectat, non de *accidentali,* quae circumstantias levioris momenti respicit. Libenter enim concedimus plura menda quoad transpositiones, aetates Patriarcharum, ordinem chronologicum, descriptiones geographicas, etc., in Pentateuchum decursu temporis irrepsisse x; haec tamen non substantiam operis sed accidentalia dumtaxat mutant.

b) Plures fuerunt Pentateuchi factae versiones, quae non eamdem fidem merentur. Ne igitur difficillima quaestione de authentia versionum implicemur, integritatem substantialem Pentateuchi probaturi, solum de eo loquimur in suo textu originali hebraico, adhuc exsistente, non quidem in suis manuscriptis *autographis*—haec enim perierunt—sed in transcriptionibus olim fideliter factis et maxima interpretum cura postea editis.

185. Error. Nonnulli ex rationalistis, authentiam Pentateuchi inficiari non valentes, dixerunt textum originalem jam olim tempore Antiochi vel saltem in captivitate babylonica periisse, et qui nunc habetur corruptum

1 Praefata ***Commissio Biblica*** sub die 27 Junii 1906 posse admitti docet ***salvo Ecclesiae judicio,*** nonnullas modificationes tam longo saeculorum decursu Pentateucho obvenisse, uti: «additamenta post Moysis mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interjectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas, mendosas demum lectiones vitio amanuensium adseribendas. dc quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et judicare» Denz-Bannw., 2000.

fuisse, atque idcirco nullam mereri fidem. Hanc opinionem, quam nonnulli antiqui bona fide tenuerunt *, hodierni rationalistae contra divinitatem Pentateuchi verterunt.

186. Thesis. Textus hebraicus Pentateuchi substantialiter adhuc integer perseverat.

Arg. I. *Ex PP: auctoritate.* Patres Ecclesiae non solum usi sunt textu hebraico in suis operibus conscribendis, verum etiam tuentur eum esse substantialiter incorruptum. Hinc S. *Hieronymus,* omnium forte peritissimus, libros judaeorum incorruptos adserebat, et incorruptionis rationem reddebat dicens: «Si aliquis dixerit hebraeorum libros postea a judaeis esse falsatos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondeat quaestiunculae, quod nunquam Dominus et apostoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis et Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint post adventum Domini Salvatoris et praedicationem Apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et Evangelistae et Apostoli ita testimonia protulerint, ut judaei postea falsaturi erant» [1].

Quam doctrinam ipse Dominus confirmasse videtur cum dixit: *Jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia jiant* [3].

Arg. II. Nemo potuit Pentateuchum substantialiter corrumpere. 1) Levitae enim, quibus solemniter commissum est munus custodiendi sacros codices [4], a Josue et aliis sanctissimis viris, qui populum israeliticum gubernarunt opitulati, summo studio ac veneratione libros sacros usque ad captivitatem babylonicam adservarunt. 2) Tempore autem captivitatis plura exemplaria ab originalibus transcripta fuere sub inspectione sacerdotum et levitarum, qui muneri suo satisfacere volentes omnem curam adhibuerunt, ut cuncta fideliter exscriberentur. 3) Deinde judaei, post annos septuaginta libertatem nacti ac in plures regiones dispersi, ea secum detulerunt et magna veneratione ubique custodierunt. Visum autem comprobatumque est omnia exemplaria, in variis regionibus decursu temporis habita, in substantialibus convenire. Quis potuerit ea, in diversas mundi plagas a judaeis asportata, uniformiter corrumpere? Hinc est, quod nunquam Christus Dominus de libris corruptis judaeos accusarit. Tempore igitur Christi Pentateuchus substantialiter integer manebat.

Post Christi vero tempora difficilior adhuc evasit sacri textus corruptio. Apostoli enim primo et Christi discipuli acceptam a suo Magistro doctrinam de veritate Sacrarum Scripturarum fideliter tenuere; postea SS. Patres earum integritatem non modo tuiti sunt, sed et egregie demonstrarunt. Accidit, quod primis Ecclesiae saeculis plures factae sunt versiones graecae immediate ex textu hebraico, et tantam Doctores adhibuerunt curam in addiscendis custodiendisque sacris libris, ut nul-

1 Vide doctam super hoc dissertationem apud P. Cherubim a S. Joseph, ***Sumina criticae sacrae,*** t. 1, disp. 3, a. 2.

2 ***In Isaiam,*** 6, 9 sqq.: MΓ. 24, lox.

3 ***Maith., 5.*** 18.

4 ***Deui.,*** 31, 26 sqq.

latenus paterentur eos a quopiam corrumpi. Huc venit, quod *Josephus,* licet judaeus, testatur dicens: «Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo adhuc nec adjicere quidquam illis, nec demere, aut mutare aliquid est ausus. Sed omnibus judaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta credamus, iisdemque constanter adhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libenter mortem perferamus» 1.

ARTICULUS III

UTRUM MOYSES DIVINA REVELATIONE PERFUSUS PENTATEUCHUM SCRIPSERIT

187. Status quaestionis. Titulus hujus quaestionis solet diversimode ab auctoribus exponi. *'Nonnulli* interrogant, utrum Moyses divinitus inspiratus Pentateuchum scripserit; *alii* quaerunt, utrum Moyses legati divini munere functus fuerit; *alii* de revelationis mosaicae exsistentia seu de agiographia Pentateuchi loquuntur. Sed quomodolibet titulus exprimatur, quaestio tandem in idem recidit, et significat, an Moyses per revelationem divinam dogmata ac veritates doctrinales tradiderit, leges scripserit, et missionem suam adimpleverit.

Ad pleniorem tamen intelligentiam doctrinae tradendae oportet heic praenotare non unius generis esse documenta, quae in Pentateucho continentur. *Quaedatn* ad dogmata catholica referuntur, *alia* praecepta moralia continent, *nonnulla* leges caeremoniales extense tradunt. Unde, ut legatio divina Moysis satis explicetur, operae pretium est ostendere haec omnia per revelationem Spiritus Sancti prodiisse et a Moyse populo israelitico communicata fuisse.

Hic ergo probandum suscipitur tum dogmata, tum praecepta moralia, tum leges caeremoniales, tum denique formam regiminis Israel, quae in Pentateucho continentur, a Deo revelata fuisse, atque idcirco exsistentiam revelationis mosaicae vere admittendam esse.

188. Errores. *Criticismus* hodiernus et *rationalismus,* ad quem protestantes plerumque deflectunt, totis viribus revelationem mosaicam tollere nituntur dicentes Pentateuchum esse opus mere humanum.

189. Thesis L Dogmata cuncta, quae in Pentateucho traduntur, sunt a Deo Moysi revelata.

Arg. Haec dogmata praecipue referuntur ad doctrinas et veritates revelationis primitivae, quae latius in Pentateucho traduntur. Hinc docetur 1) *Monotheismus,* Deum scilicet esse unum, creatorem caeli et terrae, aeternum, omnipotentem ac omnis generis perfectionibus praeditum, dominumque universarum rerum 1. 2) Deum esse trinum in per-

1 ***Contr. Appionem,*** lib. i, n. 8.

2 ***Deut.,*** 6, 4; ***Gen.,*** 1, 1; ***Ex.,*** 3, 14. Cfr. Vigoureux, ***La Bible et les découvertes modernes,*** tom. 2, p. 328.

sonis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [1]. 3) Nunquam idola veneranda, sed Deum esse tantummodo honore dignum et vere glorificandum: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me... Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est* [2]. 4) Pleraque mysteria Novi Testamenti in figura manifestata fuere, ut persona et sacrificium Christi in Isaac, panis eucharisticus in manna de caelo praestito. 5) Mysterium Incarnationis Christi et singularis Beatae Mariae Virginis praeservatio a peccato originali clarissime patefacta fuere in *Genesi,* 3, 15.

Porro haec dogmata *a Deo fuere Moysi manifestata,* ut omnia satis demonstrant extrinseca testimonia.

Moyses vir modestissimus ac sanctissimus fuit, ut plura docent S. Scripturae testimonia et ecclesiastica documenta [3]. Hic porro vir, integerrimae vitae cum esset et proprias virtutes aliis celare solitus,

1) *Testatur passim se a Deo legationem accepisse et divinitus inspiratum fuisse.* Nam *Exod.,* 3, 2, dicitur: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ibid.,* v. 14, additur: *Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* Ac tandem, ut alia innumera omittamus, *Ex.,* 4, 15, *Ego ero,* inquit Dominus Moysi, *in ore tuo et in ore illius* (Aaron).

2) *Vt legatus a Deo missus habitus est a populo.* Moyses, qui haec populo durae cervicis et carnali loquebatur, ab omnibus fuit semper in veneratione habitus, imo, licet quandoque duro sermone filios Israel argueret et severissimas poenas eis infligeret, ut legislator divinus et dux Israel fuit proculdubio agnitus [4].

3) *Suam missionem et doctrinam miraculis et prophetiis confirmavit.* Dicitur enim de eo: *Fecit signa coram populo et credidit populus* [5]. In Aegypto plagis Pharaonem percussit, et in itinere *Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis* [6]; sicco pede pertransiit cum multitudine mare rubrum, et quadraginta annorum spatio magna mirabilia fecit coram populo [7]. Item, prophetavit Regem a Deo pro Israel constitutum iri [8], templumque erectum iri [9]; praenuntiavit populum praevaricaturum [10]; praedicavit Christum, Prophetam magnum, venturum [11]; quam prophetiam accepimus confirmatam a Christo Domino qui ait: *Si enim crederetis Moysi, crederitis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit* [12]; ac tandem mortem suam annuntiavit prope esse futuram [13].

1 *Gen.,* i, 26 et alibi.
2 *Ex.,* 20, 2-10.
3 Cfr. *Ex.,* 3, 11; et 4, 10.
4 *Deut., 28,* 15 sqq.; et 31, 24-29.
5 *Ex.,* 4, 30. Cfr. Alapide, *in Exodum,* 4, 30.
6 *Ex.,* 13, 21.
7 *Deut.,* 34, 11-12.
8 *Deut.,* 17, 14.
9 *Deut.,* 12, 10-14.
10 *Deut.,* 28, 37.
11 *Deut.,* 18, 15.
12 *Joan.,* 5, 46.
13 *Deut.,* 31, 14.

Moyses autem sanctus ac modestus ut erat, noluit vel 1) alios decipere, vel 2) populum durum ac carnalem sophismatum usu fallere, vel 3) futura naturaliter praenuntiare, vel 4) errorem miraculis confirmare. Ergo firmiter tenendum est dogmata, quae in Pentateucho continentur, a Deo Moysi per veram revelationem manifestata fuisse.

Minime nos latet rationalistas et incredulos, ut hanc thesim impugnent ac rejiciant, errores supponere in Genesi ex inventis physicis, astronomicis, et geologicis probatos; sed hanc difficultatem nullius esse roboris ostendetur inferius, dum de *Deo Creatore* agendum erit.

190. Thesis II. Leges morales Pentateuchi excellentiam legis mosaicae probant, et a Deo Moysi revelatae sunt.

Nota. Triplicis generis sunt praecepta in Pentateucho contenta, *moralia* scilicet, quae bonos hominum mores respiciunt, *caeremonialia,* quae modum praecipue cultus Deo exhibendi praescribunt, et *judicialia,* quae hominum inter se relationes determinant, ac legum observantiam custodiunt.

Heic de legibus moralibus, quae sive in Decalogo sive in aliis legis scriptae partibus continentur, tantummodo sermo est.

Arg. Leges morales Pentateuchi exhibent ac determinant omnia officia, quae homo persolvere tenetur erga Deum, erga proximum et erga se ipsum. Ergo et bonitatem religionis mosaicae arguunt et a Deo revelatae sunt.

Consequentia patet. Quia in his tribus officiis omnes hominum obligationes, etiam eorum capacitatem excedentes, continentur; ideoque leges ea praecipientes justae sunt et Deum habent auctorem.

Prob. Ant.

P. Erga Deum. Officia hominis erga Deum sunt: 1) Recte de Deo esse sentiendum, 2) Deum super omnia diligendum. 3) Verum cultum Deo exhibendum. Haec autem luce meridiana clarius docentur in Pentateucho. Ergo. Nam a) *Notio Dei,* unius entis, necessarii, infiniti, aeterni et immutabilis, traditur non solum in nomme Jahve, quod haec omnia significat, verum etiam in altero nomine, quo sese Dominus revelavit dicens; *Ego sum, qui sum... qui est misit me ad vos* L Deus *omnipotens, creator* et *gubernator* omnium ostenditur in primo capite Geneseos, ubi referuntur omnia a Deo creata. Alia Dei attributa passim praedicantur in Pentateucho, *sanctitas* scilicet, *justitia* et *veritas* 2; *intelligentia* et *bonitas* 3; *misericordia* et *clementia* 4. b) *Amor Dei* super omnia praecipitur illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. et ex tota fortitudine tua* 5. Ad hunc finem injungitur alibi *votorum,* quibus homo Deo dicatur, fidelis *observantia* 6.

1 ***Ex.,*** 3. 14.
2 ***Deui.,*** 32, 4.
3 ***Gen.,*** 1, 31. ***Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant vplde bona.***
4 ***Ex.,*** 34. 6.
5 ***Deut.,*** 6, 5; et 11, 13.
6 ***Num.,*** 30, i sqq.

«Id ipsum magis determinatur, ut optime ait *Schwetzl,* per vetitum cultum deorum alienorum et imaginum, interdictum adsumendi nomen Dei in vanum ac perjurii, atque per exercitationem ad timorem Dei, fiduciam in ejus praesidio, ad gratum pro acceptis beneficiis animum et ad observantiam mandatorum divinorum, sub quibus omnia officia hominis comprehenduntur», c) *Cultus* denique verus Deo vero exhibendus praescribitur in omnibus sacrificiis et legibus caeremonialibus, adeo ut praecipua rituum et caeremoniarum pars in lege mosaica ad cultum Deo exhibendum ordinata fuerit.

2.° Erga proximum. Officia erga proximum continentur praesertim *justitia* et *caritate,* ita ut singuli teneantur jus alienum revereri et proximum corde diligere. Utraque autem in Pentateucho accurate praecipitur. a) *Justitia* quidem in praeceptis Decalogi, cum dicitur: *Honora patrem tuum et matrem tuam... Non occides; non moechaberis; non furtum facies; non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt* 1. Ex quibus vides non solum opera externa, quibus jus alienum laeditur, interdici, sed ipsum quoque ultionis desiderium vetari, b) *Caritas* vero enixe commendatur tum cum dicitur: *Diliges amicum tuum sicut teipsum* 3, tum etiam cum praecipitur *pauperes, pupillos* et *viduas* benigne excipiendos 4, *mercenarios, surdos, caecos* et *senes* favore prosequendos 5; *alienigenas advenas* ut hospites considerandos 6; ipsos *inimicos* non odiendos sed diligendos 7.

3.° Erga se ipsum. Officia quoque homfais erga se ipsum certe docentur in Pentateucho, cum *sanctitas* et *instructio* animae et *custodia* ac *integritas* corporis commendantur. *Sanctitas* quidem non solum lege circumcisionis sed illis potissimum verbis praescribitur: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* 8. *Custodia* et *integritas* corporis praecipiuntur, quoties non tantum homicidium sed etiam mutilatio corporis vetatur.

Ex his concludere licet legem mosaicam recte fuisse a Christo Domino commendatam, cum adolescenti interroganti quid agere deberet ad vitam aeternam adipiscendam, praecepit, ut mandata decalogi servaret 9.

191. Thesis III. Leges item caeremoniales Pentateuchi convenienter a Deo Moysi revelatae et populo israelitico utiliter traditae sunt.

Nota. Multiplicis generis erant in lege mosaica caeremoniae, quae cultum Dei respiciebant, et ordinem in religionis exercitio custodiebant. Non hic arbitramur opus esse eas singillatim recensere, aut earum pro-

1 *Theol. gen.,* § 86.
2 *Ex.,* 20, 12-17.
3 *Lev.,* 19, 18.
4 *Ex.,* 23, 11.
5 *Lev.,* 19, T3, 14 et 32.
6 *Ex.,* 23, 9.
7 *Ex.,* 23, 4-5.
8 *Lev..* 19, 2.
9 *Matth.,* 19. 16-19.

priam ac peculiarem rationem investigare. Haec in ipso Pentateucho et hebraeorum libris satis extense dilucidantur, et. qui velit amplam legis in hac parte notionem habere, potest S. Scripturae interpretes adire.

Oportet tamen hic breviter ostendere has leges caeremoniales et a Deo originem duxisse et convenienter populo israelitico traditas fuisse.

Prob. 1.a pars.

Arg. Potissimum hujus primae partis argumentum petitur ex ipsa relatione Moysis, qui disertis verbis passim testatur se ordinationem ac ductum Dei sequutum omnes caeremonias populo tradidisse L Si autem Moyses, ut superius dictum est, modestia, sanctitate et perfectione merito celebratur, tantum abest, ut leges a se conditas Deo, auctori, falso tribuere voluerit. Ipse igitur in ducem populi electus quotquot pro regimine Israel dedit leges certissime per revelationem accepisse dicendus est.

Huic argumento accedit robur ex traditione universali gentium et unanimi consensu populi Israel, quibus docemur leges caeremoniales Pentateuchi a Deo prodiisse.

Proh. 2.a pars.

Arg. I. Legum caeremonialium convenientia ac utilitas potest primo *negative* probari ex eo quod nihil continuerint, quod errorem, vel injustitiam, vel immoralitatem, vel aliquid ridiculum redoleret. Hinc:

1.° Nihil fiebat in iliis caeremoniis, quod unitati Dei, vel Trinitati personarum, vel alicui dogmati revelato adversaretur, aut veritatibus naturalibus se opponeret. Si autem quidpiam legibus Zoologiae, vel Geologiae aut alterius scientiae naturalis, quae nunc in tanto sunt pretio, minus conforme apparenter in ritibus mosaicis inveniri contingat, non hoc Spiritui Sancto tribuas velim, sed ipsi Moysi, qui, licet superno lumine perfusus, humano tamen modo et populo rudi accommodato voluit loqui.

2° *Sacrificia humana* nequidem permittebantur, sed absolute vetita erant, et *omnis injustitia* procul. Sic, recensitis hujusmodi sacrificiis, quae a chananaeis fiebant, dicitur pro hebraeis: *Non facies similiter Domino Deo tuo.— Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias et comburentes igni* [1]. Homicidium vero tale censebatur crimen, ut mortis poenam habuerit statutam.

Cum ergo constituitur, ut, quod Domino consecratum fuerit, sive homo sive animal, non vendatur nec redimi possit, sed *quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino; et omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur* [3], hoc, inquam, intelligitur, ubi de homine sermo fuerit, de morte civili, nullatenus de morte cruenta. Dupliciter enim potest aliquid Deo consecrari: 1.° *sanguinis effusione* seu *morte cruenta;* quo pacto animalia Deo offereban-

1 *Deut.,* 6, 17; 7, ii.
2 *Dcut., 12,* 31.
3 *Levit.,* 27, 28 sqq.

tur et sacrificabantur; 2.° *morte civili* ad perpetuum Dei servitium aliquid offerendo, et sic poterant homines Deo sacrificari sacrificio symbolico, ut de facto legimus aliquos sacrificatos[1]. Mors igitur, qua omnia Deo consecrata plectebantur, intelligi debebat pro natura rei, ita ut omnia quodammodo destrui deberent, res nimirum insensibiles per veram destructionem, animalia per sacrificium, et homines, ut ait *Liebermann,* «Domino cedebant in perpetuum, ac templi servitio per totam vitam erant mancipati» [2].

Ita pariter quod legitur de voto *Jephte,* filiam suam sacrificantis [3], recte intelligunt plerique S. Scripturae interpretes de morte civili, adeo ut filia Jephte in perpetuum Deo dicata virginitatem voverit atque servaverit. Nonnulli illam revera immolatam fuisse tuentur; quod si concedatur, holocaustum non fuit Deo acceptum nec in lege permissum, vel, ut ait S. *Hieronymus* [4] «non sacrificium placet, sed animus offerentis».

3.° *Immoralitatis* ne vestigium quidem prae se ferebant, sed omnes erant pro gratiis Deo agendis cultuque ei exhibendo ordinatae, pro ordine in societate servando accommodatae, et pro praeceptis moralibus determinandis opportunae. Unde nihil illae immundum vel immorale continebant, sed potius omnia moralitatis impedimenta removebant. Ad hunc finem certe ordinatae sunt *purificationes* et *expiationes* in lege praescriptae.

4.° Nihil tandem *ridiculum* ex multiplicitate legum caeremonialium sequi potuisse eo maxime ostenditur, quod a) ex his quaedam pro sacerdotibus, quaedam pro populo valde numeroso promulgatae sunt; et oportebat eas quodammodo multiplicari, ut omnium necessitatibus consuleretur; et b) res etiam minutissimas voluit Deus per eas definire, ut populus sibi dilectus a cunctis aliis gentibus sanctitate et justitia discerneretur, ac omnis erroris tolleretur occasio.

Arg. II. Positivum argumentum pro convenientia legum caeremonialium petitur praesertim ex earum fine nobilissimo, qui non alius fuit, quam debitum cultum Deo optimo maximo exhibere eique servitium praestare, populum a periculo in idololatriam labendi eripere seu amovere, ac judaeos a peccatis committendis, quoad fieri posset, coercere. Ad haec ordinatae sunt sacerdotum cum solemni pompa unctio, sacrificiorum oblatio, paschae et aliorum festorum, praesertim sabbati, celebratio; ad haec circumcisionis caeremoniae; ad haec temporum ac loci, in quibus sacra fieri debebant, designatio; ad haec denique, ut verissime ait *Hooke,* «multiplices illae leges, quae Deo honorem et reverentiam singularem vindicabant rebusque omnibus sacris, sive personis, sive locis, sive instrumentis, aptae valde erant ad idololatriam eradicandam; hac quippe ratione tremendum majestatis divinae ejusque sanctitatis sen-

1 Vid. Jansens, ***Herm. sacra,*** n. 64. Nonnulli verba legis intelligenda volunt, de internecione hostium, qui bello capiebantur et morte damnari consueverant, vel etiam facinerosorum qui capite plectebantur.

2 ***Inst. Theol.,*** n. 282.

3 ***Jud., ii,*** 30.

4 ***In Jer.,*** 7, 30-31; ML 24, 763. Cfr. Hummelahuer, ***Comment, in lib. Jud.,*** 11, 29 sqq.

sum rudibus hebraeorum animis injiciebat lex ritualis, et eorum etiam pietatem et obedientiam exercebat»L

Quantum leges caeremoniales in hoc influxerint, patet ex historia populi hebraeorum, qui solus inter otnnia mundi depravata systemata veram religionem professus est, verum cultum uni Deo, sicut oportebat, tribuit legesque moralitatis servavit.

192. Thesis IV. Forma regiminis populi israelitici fuit «theocratia», ideoque Deus vere fuit «rex civilis Israel».

Arg. I. Adsertum patet ex testimonio S. Scripturae. Moyses enim dixit ad populum: *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias caeremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio; et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia praecepta illius; et jaciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam* 1. Quam electionem Dei in Regem rite a populo fuisse factam ostendunt omnia illa S. Scripturae testimonia, quibus Deus vocatur *Rex Israel.*

Arg. II. Leges tum civiles tum judiciales, tum militares dedit Deus populo suo. Ergo fuit, ejus Rex. Consequentia patet, quia ad Regem proprie pertinet leges ferre, vel saltem sancire in omni forma politica.

Antecedens probatur.

a) *Leges civiles.* Ad leges civiles ferendas et Reipublicae prosperitatem promovendam maxime conferunt imprimis *leges ipsae morales* et *caeremoniales,* quae bonos hominum mores custodiunt et pietatem erga Deum fovent. Depravatis enim semel moribus et oblitis erga Deum obligationibus, actum esset de pace ac tranquillitate Reipublicae. Deus ergo, ut sapiens legumlator, leges fundamentales primo tulit de moribus et cultu divino. Deinde, prosperitati quoque temporali hebraeorum consulere volens, alias, easque vere sapientes, de. rebus temporalibus fecit ordinationes. Hinc a) universam terram Chanaan in duodecim partes pro singulis duodecim tribuum familiis divisit, et singulis unam partem distribuit 3. β) Vetuit Israelites, ne agros *in perpetuum* alienarent, sed ad summum per quinquaginta annos, ad proximum scilicet usque jubilaeum, vendere eos vel quomodocumque alienare permisit 4δ Anno autem jubilaei recurrente, omnes agri ac possessiones ad primitivos dominos redire debebant, γ) Sabbatum religiose custodiendum praecepit 0. o) Jubilaeum quinquagesimo quoque anno celebrandum mandavit 0. s) Alias denique leges, ut plures omittamus, non semel sapienter tulit de modo, quo animalia tractari deberent7.

b) *Leges quoque judiciales dedit, a)* Judices enim et magistratus in singulis urbibus constituit, ut jus dicerent et sententias ferrent in ci-

1 *Cursus campi, theol.,* 2, coi. 824.
2 *Deut.,* 26, 17-19.
3 *Num.,* 33, 54; 34, 13, etc.
4 *Levit.,* 25, 10 sqq.
5 *Ex.,* 20, 10; 23, 12.
6 *Levit.,* 25, 8 sqq.
' *Ex.,* 23, 4 sqq.

vium causis x, quorum nemini a justitia deflectere licebat, sed omnes, nullo accepto munere, aeque de omnibus judicare tenebantur 1, duobus saltem testibus auditis in singulis casibus, β) *Poenae* pro criminibus statutae erant leviores vel graviores pro culparum ratione. Ipsa quoque mortis poena servabatur pro gravioribus flagitiis. γ) *Poena* vero *talionis,* accepta fortasse ab aliarum gentium codicibus, retenta fuit in Pentateucho, ita ut oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, etc., is, qui laesionem alicujus membri a quopiam, deliberate operante, passus fuerit, a percussore postulare potuerit 3; quae tamen poena non a privatis personis sed a publica auctoritate infligenda erat. 0) *Furtum* erat prohibitum sub poena restitutionis, plerumque in duplo, imo in quadruplo, si de ovibus jam occissis aut venditis, et in quintuplo, si de bobus, agebatur.

c) *Leges* denique *militares* non semel tulit Deus pro populo Israel. Siquidem ordinabatur in *Deuteronomio,* 20, 10-11, quando et quomodo bellum gerere liceret, et quid post bellum fieri oporteret.—Omnes, exceptis nonnullis, qui in lege recensentur, anno vigesimo suae aetatis ad bellum pergere debebant. Alia plura de lege militari sunt a Deo statuta, quae non vacat heic exponere.

Arg. III. Supremam potestatem civilem non semel exercuit Deus in populum Israel, ut patet ex locis S. Scripturae innumeris. Nam Moysen primo et deinceps Josue constituit in duces populi; judices elegit, ut judaeos regerent; Saulem, Davidem et alios in regiam dignitatem evexit; Prophetas, qui israelitas divina oracula docerent, suscitavit; interdum bellum gerendum constituit, et in ipso bello exercitum non semel direxit, aliaque permulta fecit, quae Regis majestatem et potestatem significabant.

ARTICULUS IV

UTRUM LEX MOSAICA ABROGATA JAM FUERIT

193. Status quaestionis. Ut sensus tituli recte intelligatur, praenotandum est nos hic agere de abrogatione legis mosaicae, non *quoad dogmata* et *praecepta moralia,* quae utpote immutabilia, aeterna sunt et nullatenus abrogationi obnoxia; sed quoad *praecepta civilia, judicialia, caeremonialia* atque *militaria,* quae in qualibet constitutione et regiminis forma plerumque mutari solent.

Porro hanc legem mosaicam aliquando, adveniente nempe Christo, abrogatum substitutumque iri per novam Messiae legem omnes Veteris Testamenti sacrae paginae testantur, ut vel ipsi judaei facile concedunt. Nam inquit Dominus per Jeremiam: *Ecce dies venient... et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt... Sed hoc erit pactum,*

1 *Deut.,* 16, 18.
2 *Deui..* 16, 19-20.
3 *Ex.,* 21, 23-25.

quod feriam cum domo Israel;... dabo legem meant in visceribus eorum, el in corde eorum scribam eam; et ero eis m Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus 1. His verbis certo promittitur, non renovatio legis antiquae, ut voluerunt nonnulli protestantes, sed novum foedus novaque lex. Hinc novum cultum Deo in universo mundo exhibendum praenuntiavit Malachias, 1, 10 sqq., gentium ad eum conversionem praedixit *David* 2, et sacerdotium ad gentes translatum iri prophetavit Isaias dicens 3: *adsumam ex eis* (ex gentibus) *in sacerdotes et levitas.*

Substitui autem debebat per legem Messiae, cujus conditiones praedicantur his verbis: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus; complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, Judicium gentibus proferet... et legem ejus insulae exspectabunt... Et dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris* 4. Servus Dei hoc loco promissus nequibat esse Cyrus, aut populus israeliticus, aut Prophetarum ordo, aut aliquis ex Prophetis homo singularis, ut insaniunt nonnulli ex rabbinis et protestantibus rationalistis 5, sed Messias a Deo praenuntiatus. Unde in paraphrasi chaldaica, cui certe non parva debetur auctoritas, his verbis *ecce servus meus* additur *Messias.* Et *Matth.,* 12, 1-20, adimpletum esse dicitur in Christo, quod Isaias loco citato praenuntiavit. Quae omnia confirmavit *David,* cum haec verba posuit in ore Christi: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* 6. Confer etiam *Psal.* 71, in quo conditiones hujus regis, quae nonnisi Christo convenire poterant, late numerantur. Alia de Christo prophetia habetur Jeremiae ubi dicitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum; et regnabit rex et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster* 7. Certum est hic Messiam futurum designari, legemque ab eo mutandam fore annuntiari.

Supposito ergo, quod lex mosaica aliquando abroganda fuerit, et per novam Messiae legem substituenda, venit hic breviter ostendendum eam jam olim fuisse abrogatam et per legem Christianam substitutam.

194. Error. Judaei Messiam adhuc exspectantes pertinaciter negant legem mosaicam abrogatam fuisse; suum errorem ut quodammodo tueri valeant, omnia S. Scripturae loca violenter interpretari coguntur.

1 ***Jerem.,*** 31. 31-34.
2 ***Ps.*** 21, 28.
3 ***Is.,*** cap. 21.
4 ***Is.,*** 42, 1-9.
5 Hunc locum violenter interpretati sunt inter alios Gesenius, ***Der Prophet Jesaia,*** 3, 63; et Knobel, ***Der Prophet Jesaia erklart,*** p. 363 sqq.
3 ***Ps.*** 2, 6.
7 ***Jer.,*** 23, 5 sqq.

195. THESIS. Lex mosaica jam olim abrogata est.

Nota. Potest haec propositio pluribus Veteris Testamenti prophetiis, quae proculdubio adimpletae sunt, demonstrari, sed nolumus longam texere argumentorum seriem, ne in animos candidatorum confusionem ingeramus. Ea tantummodo seligemus S. Scripturae loca, quae clariora et faciliora videbuntur.

Arg. I. Arguitur primo *ex vaticinio Patriarchae Jacob,* qui morti jam proximus haec inter alia filio suo Judae dixit: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium*[1].

a) Hunc locum ad Messiam referri ita certum est, ut, quocumque se vertant adversarii, nunquam valeant contrarium persuadere [2]. Adeo mentibus judaeorum ex hoc vaticinio ingesserat idea de Christo venturo, ut ipse *Simeon* hujus exspectationis diserte meminerit in suo cantico [3]; judaei quoque ad Joannem Baptistam [4], et *Joannes Baptista* ad Jesum [5][6] legationes miserunt interrogantes: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Imo et *Samaritana* ajebat ad Jesum: *Scio quia Messias venit* [7]. Unde, cum Jesus patraret miraculum multiplicationis panum, contentio orta est inter judaeos, quorum nonnulli dicebant: *Hic est vere propheta.* Alii: *Hic est Christus* [8].

b) Jam vero vaticinium Jacobaeum jam olim fuisse adimpletum constat certissime ex sequenti argumento.

Juxta Jacobum in Juda permansurus erat principatus in fratres suos seu alias tribus, et dux de femore ejus semper adsumendus, quousque veniret, qui mittendus erat, id est Messias, spectatio gentium. Atqui principatus Judae in fratres suos jam dudum cessavit, et dux de femore ejus non amplius adsumitur. Ergo Messias, novus legislator venit, lexque antiqua Moysis per ipsum abrogata est.

Major argumenti duplicem habet partem, nempe, 1) in illis verbis principatum aliquem et potestatem in fratres suos promitti Judae, et 2) per illum, *qui mittendus erat,* Messiam designari. Haec autem duo patent certissime verba Jacobi recte consideranti.

Primum quidem, quia vox *schebet,* qua utitur textus hebraicus et quam vulgata reddit *sceptrum,* ex se, absque ulla additione particulae, nunquam significat *virgam tribulationis,* ut judaei contendunt, sed *virgam dominationis* seu *auctoritatis,* id est *sceptrum,* quod est supremae potestatis symbolum. Quam interpretationem non solum grammaticae legibus sed textui etiam sacro magis convenire ostendunt verba sequentia: *et dux de femore ejus (non auferetur); mechokek,* quo utitur textus hebraicus, quomodolibet vertatur,' semper significat vel *ducem,* ut interpretatur vulgata cum plerisque, vel *scribam,* ut vult *Onkelos,* vel *legislatorem,* ut alii contendunt, et innuit principatum ac ducem non esse auferendum a tribu Juda, *donec veniat, qui mittendus est.*

1 ***Gen.,*** 49, 10.
2 Cfr. Hummolauor, ***Comment, in Gen.,*** c. 49, 10.
3 ***Lue., 2,*** 25 sqq.
1 ***Joan.,*** i, 19 sqq.
6 ***Afallh.,*** 11, 2 sqq.
6 ***Joan.,*** 4, 25.
7 ***Joan.,*** 7, 40-41.

Secundum etiam patet ex verborum obvia significatione. Nam *Schilo* sive i) *mittendum* significet, ut vertit vulgata, sive 2) *lilium* designet, ut volunt alii, sive 3) *qui habet sceptrum* denotet, ut intelligunt nonnulli, sive 4) *pacificum* seu *pacis auctorem* exprimat, ut non improbabilis fert opinio, solum Messiam antonomastice significat. Quis a) nominetur *mittendus,* et exspectatio gentium, nisi ille, qui promissus fuerat.ad redemptionem Israel, et quem judaei, ut superius dictum est, exspectabant venturum? Quis bj *filii* nomen pro tribu Juda melius sibi vindicet, quam Messias, qui secundum omnes prophetias erat ex illa tribu oriundus? Cui c) magis congruant verba *qui habet sceptrum,* quam Messiae, qui futurus erat Rex Israel, et fassus est postea Pilato se esse Regem? Quis denique d) *pacificus* et *auctor pacis* nuncupetur, nisi Messias, qui ab Isaia [1] appellatur *princeps pacis?* Hinc non mirum si *Onkelos* hunc locum sic vertat: *donec veniat* Messias *cujus est regnum, el ei obedient populi.*

Minor argumenti probatione vix indiget. Qui historiam mundi vel ex cortice salutaverit, statim conspiciet judaeos a multis jam saeculis dominatum ac sceptrum amisisse. A multo jam tempore, amisso regno et principatu, aliorum regnorum dominationi subjecti jugum ferunt importabile, imo, ubique terrarum dispersi, exsules vagantur, quin nemo eorum hodie ex qua familia vel tribu sit oriundus scire valeat.

Ex quo plane consequitur *Messiam jam olim advenisse.* Adveniente autem Messia, novo legislatore supremo, necesse erat, ut novae etiam leges, relictis antiquis, pro universo mundo conderentur. Ergo lex mosaica per novam Messiae legem abrogata est.

196. Arg. II. Celebris est locus Danielis, cui oranti archangelus Gabriel apparuit et dixit:

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia et ungatur sanctus sanctorum.

Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea muri- in angustia temporum.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit populus ejus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipavit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio.

Confirmavit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis dejiciet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio [1].

Argumentum ex hoc vaticinio deductum et rei praesenti ac proposito accommodatum sic accipe.

In hoc Danielis vaticinio agitur proculdubio de Messia, cujus adventus post aliquod temporis spatium annuntiatur. Tempus autem ab angelo praefixum a longo jam tempore elapsum est. Ergo jam olim Messias venit, et per ejus adventum lex mosaica abrogata est.

1 ***Is.,*** 9, 6.
2 ***Dan.,*** 9, 24-27.

Prob. Major per partes.

1.a pars. In hoc vaticinio agitur de Messia.

Est contra rationalistas et rabbinos, quorum plerique, ut facilius se expediant a difficultate, negant authentiam libri Danielisx; alii docent vaticinium Danielis ad duos *unctos*—Christos—referri, quorum primus—*Christus dux*—de quo v. 25, fuit Cyrus; et alter—*Christus occidendus*—juxta *Hofmann, Wieseler,* etc., Onias III, juxta *Evald* Seleucus Philopator. Ducem autem venturum, de quo in fine v. 26, dicunt esse diversum a Christo, Antiochum scilicet Epiphanem juxta *Marsham,* vel Oniam sacerdotem juxta alios. Sed frustra.

a) Siquidem, qui venturus promittitur, vocatur *Christus* ab angelo, et nemo unquam hoc nomine absque ullo additamento in Scripturis insignitus est nisi Messias qui vere dicitur *Unctus,* utpote regis spiritualis munere functurus.

b) Additur eum *Christum ducem,* id est, *unctum principem,* appellatum iri, ita ut simul *dux* seu *rex* esset et *sacerdos* futurus. Solus autem Messias post Danielis tempora dicitur *rex unctus,* tum quia hoc tempore oleum non adhibebatur sicut olim ad inungendos reges 1, tum quia nemo fuit simul sacerdos et dux populi hebraeorum.

c) Hic vero, 'qui simul est *Christus* et *dux,* id est, *unctus princeps,* occidetur. Quis autem hic fuerit nisi Messias, qui in Monte Calvario occisus est sub Pontio Pilato, designent velim rationalistae et rabbini.

2.“ pars. In praefato vaticinio adventus Messiae post aliquod temporis spatium annuntiatur.

Est item contra plures rationalistas et rabbinos, quorum *nonnulli* ajunt nullum tempus in loco citato pro adventu Messiae determinari, sed in sermone angelico per verbum septuaginta numerum indefinitum significari.

Alii concedunt per illas hebdomades tempus aliquod determinatum praefigi, sed ita magnum, ut nemini liceat illud computare, cum inter 7-62-1 hebdomades, quae referuntur, alia tempora intermedia possint admitti; *alii* demum 70 hebdomades symbolice volunt esse intelligendas, ita ut per hebdomades 7 tempus usque ad Christum, per 62 usque ad Antichristum, et per 1 ad mortem usque Antichristi designetur.

Sed haec nugae sunt.

Nam 1) angelus Danielem, qui Deum precabatur, ut Jerusalem et templum reaedificare dignaretur, affatus solatusque est, praefigens ei tempus quo Jerusalem esset iterum aedificanda ac Christus venturus.

2) Verba angeli *septuaginta hebdomades abbreviatae sunt (definitae* juxta hebraicum sermonem) nullatenus possunt de numero indefinito interpretari.

1 Quoquoversum se vertunt rationalistae et increduli, ut vim hujus argumenti evertere videantur Plerumque docent librum hunc longo post Danielem tempori scriptum fuisse. Cfr. Danko, ***Hist, revel, div.,*** § 144.

Oleum siquidem sacrum, ad inungendos reges et duces populi olim adhiberi •."litum, in secundo templo non servabatur. Cfr. Ottiger, ***Theol. fund.,*** p. 576.

3) *Tempus* seu *terminus a quo* et terminus *ad quem* hebdomadum septuaginta certe adsignantur ab angelo, *ab exitu* nempe *sermonis* seu *decreti,* ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad desolationem et completam eversionem civitatis ac templi. Certum est autem decretum illud, quodquod tandem fuerit, super quo valde disputant Doctores, jam olim editum fuisse, civitatem quoque et templum denuo fuisse aedificata ac iterum devastata; necnon abominationem desolationis pervenisse.

Prob. Minor.

Hebdomada numerum septenarium denotat, et semper significat aliquod temporis spatium. Possunt autem considerari hebdomades dierum, mensium et annorum, prout septem diebus, mensibus vel annis compositae supponantur. Judaeis sicut et aliis gentibus[1], non hebdomades mensium, sed dierum dumtaxat et annorum innotuerunt, harumque meminit S. Scriptura, quoties diem et annum septimum sabbaticos esse, et ut tales sanctificandos, decernit. Tempus autem ab angelo praefixum per hebdomades dierum computari nequivit, quia spatium 490 dierum nimis breve erat ad civitatis et templi aedificationem ac eversionem; computandum igitur erat per hebdomades annorum, quae quadringentos nonaginta annos efficiebant, sufficiens scilicet temporis spatium, ut omnia exsequi valerent, quae angelus eventura praedixit.

Jam vero 490 anni jam dudum elapsi sunt ab edito decreto urbis reaedificandae. Sive enim illud decretum fuerit 1) a *Cyro* editum, ut aliqui vohmt, sive 2) a *Dario Hystaspe,* ut nonnullis placet, sive 3) ab *Artaxerxis Longimani* primo vel secundo suo edicto, ut bene multi tuentur, certum est hebdomades hujus vaticinii jam diu elapsas fuisse. Propterea urbs Hierosolyma, quae, ut historia narrat, denuo aedificata fuerat, diruta est, et templum secundum a fundamentis eversum, necnon sacrificia ibi offerri solita evanuerunt. Messias igitur jam diu advenit, et lex mosaica per ipsum abrogata est.

197. Scholion. Tradita jam doctrina de legis mosaicae abrogatione, operae pretium est breviter innuere, quo praecise tempore cessaverit illa obligare. Communiter dicunt SS. Patres et theologi legem mosaicam primo fuisse *vivam* seu *obligatoriam,* deinde *mortuam,* ac idcirco liberam, tandem *mortiferam,* et qua talem illicitam.

Hinc i) lex vetus non cessavit sed viva permansit, et idcirco judaeos obligare non desiit ad mortem usque Christi. Quod probatur ex ipsa doctrina Servatoris, qui diserte declaravit cathedram Moysis adhuc exsistere[2]. Ergo et lex Moysis simul cum ejus cathedra exstitit. Hoc igitur tempore filii judaeorum, etiam eorum, qui Christi doctrinam acceperant, circumcidi debebant.

2) In morte Christi lex mosaica, spectato saltem fundamento seu voluntate legislatoris, abrogata est, ita ut jam mortua fuerit. Ratio est, quia Christus suum testamentum obfirmavit per mortem in cruce. Porro *dicendo novum* (testamentum), *veteravit prius,* ut ait Apostolus[3]. Unde, redemptione generis humani per mortem Christi in cruce peracta, cessavit finis ac fundamentum veteris legis. Ideo Christus in cruce ait: *Consummatum est*[4]. Et

1 Cfr. M. Varro, *De hebdomadibus,* lib. i.
2 *Matth.,* 23, 1-3.
3 *Hebr.,* 8, 13.
4 *Joan.,* 19. 30.

referunt non sine mysterio Evangelistae *velum templi scissum* fuisse *in duas partes a summo usque deorsum* *.

Ut tamen totaliter et actu desineret esse, opus fuit, ut nova lex seu novum testamentum aperiretur, promulgaretur et divulgaretur, unde

3) Divulgata nova lege per orbem, abrogata est omnino lex mosaica. Lex etenim nova, postquam fuit divulgata per praecones evangelicos, incepit obligare. Obligatione autem novae legis incepta, oportebat veterem abrogari.

QUAESTIO X

DE REVELATIONE CHRISTIANA

198. Revelatio Christiana continetur praesertim in quatuor Evangeliis, et, ut recte res intelligantur, pauca de Evangeliis praemittimus, et deinde paulo longius divinam Christi legationem et divinitatem religionis christianae exponemus.

Ante omnia oportet authentiam Evangeliorum declarare. Porro authentia seu auctoritas Evangeliorum est duplex. Una *divina,* quatenus Spiritum Sanctum habent auctorem; et sic, cum increduli totam negent revelationem, Evangelia non adsumuntur in Apologetica; altera *humana,* quatenus sunt documenta historica testium, ut plurimum oculatorum, fide digna, quae narrant originem et propagationem religionis christianae; hoc sensu quaeritur in praesenti, utrum Evangelia sint authentica seu habeant auctoritatem historicam.

Ut autem liber aliquis vere dicatur authenticus, requiritur a) ut sit *genuinus,* id est, ab auctore, cui adscribitur, exaratus; b) ut sit *veridicus,* id est, ab auctore veraci compositus; et c) ut *integer* remaneat. Hinc exsurgunt tres hujus quaestionis articuli, 1.us de genuinitate, 2.us de veracitate, et 3.us de integritate Evangeliorum.

ARTICULUS I

UTRUM EVANGELIA SINT OPERA GENUINA

199. Status quaestionis. Liber aliquis dicitur *genuinus* seu *legitimus,* cui opponitur *spurius, apocryphus,* etc., qui reapse fuit aetate qua fertur et ab auctore, cui adscribitur, exaratus. Hinc partim dicitur *genuinus* et partim *apocryphus* liber, cujus aetas cognoscitur, quamquam auctore ignoto fuerit scriptus.

Xemo non videt, quantae sit utilitatis pro authentia Evangeliorum vindicanda eorum genuinitatem comprobatam habere. Refert universalis antiqua traditio quatuor Evangelia, quae vitam Jesu Christi et gesta plurima narrant apostolorum, fuisse a SS. *Matthaeo, Marco, Luca* et *Joanne* conscripta, quorum primus et ultimus discipuli Christi, secundus et tertius socius discipulusque Petri et Pauli respective fuere 1.

1 ***Matth.,*** 27, 51.

2 C.fr S. Hieronymus, ***De viris illustribus,*** cc. 1-9; ML 23, 638 sqq. Alios quoque novimus libros, qui nomine Evangeliorum divulgati sunt, sed Ecclesia Romana nunquam eos in canone retulit.

Quaerendum itaque est, utrum haec Evangelia fuerint revera ab ipsis auctoribus, quibus adscribuntur, et consequenter eo tempore, quo ipsi vixerunt, conscripta.

200. Errores, 1) *Primum errorem* tenuit *Gottlob Paulus,* professor theol. heidelbergensis, naturalista (1761-1851), qui [1] fatetur quidem Evangelia, saltem synoptica, (Matthaei, Marci et Lucae, quae similes inter se continent narrationes), genuina esse, sed omnia, quae in eis referuntur, naturaliter accidisse contendit. Hinc admittit relatum Evangelistarum, sed judicium de factorum supernaturalitate, sicut et omnia miracula, rejicit.

2) *Secundus error* est *rnythicismus David Frid. Strauss* (1808-1874), rationalistae, qui [2] arbitratus est quatuor Evangelia conscripta fuisse saeculo II ab auctoribus ignotis ex his, quae didicerant traditione orali. Juxta ipsum exstitit Christus, homo purus, cujus gesta, vitam et miracula praedicaverunt apostoli, quemque Messiam esse dixerunt in lege promissum et a judaeis jam diu exspectatum. Tunc bona fide excogitata sunt et Christo tributa figmenta mythica ac theogoniae, quae ex Lege Veteri Messiae adscribebantur. Quae cum ita se haberent, nonnulli scriptores saeculi II bona fide, ut primo dixit *Strauss,* conscii vero fraude, ut postea adseruit, finxerunt Christum mythicum et idealem juxta vaticinia, quae dicebantur messianica, ejusque vitam et miracula mythica retulerunt in libris, quos Evangelia Jesu nuncuparunt.

Huic theoriae consentit *Renan* [3] quoad *figmenta mythica,* etc., sed ad aetatem quod attinet, censet saeculo I et ab ipsis Evangelistis exarata fuisse Evangelia.

3) *Tertius error* excogitatus fuit a *Frid. Christ. Baur,* professore tubingensi et magistro *Strauss,* (1792-1860), protestante, qui alia via tentavit originem Evangeliorum explicare. Jesus Christus nullam instituit religionem, juxta *Baur,* sed solummodo de moribus hebraeorum reformandis egit. Mortuo Christo, diversae tendentiae et factiones inter apostolos, praecipue inter Petrum et Paulum, obortae sunt [4] quorum primus doctrinam ac praedicationem Christi ad solos Judaeos, secundus vero ad omnes gentes spectare docebant. Hinc quaedam Pauli epistolae, quae *Petrinismum* seu *particularismum,* et Apocalypsis, qui *Paulinismum* seu universalismum impugnant, genuinae sunt.» At Evangelia quae vel in favorem Petrinismi (Matthaei), vel in favorem Paulinismi (Lucae), vel pro obtinenda conciliatione (Marci et Joannis) scripta videntur, apocrypha sunt.

Hanc teoriam amplexa est schola protestantium *Tubingensis.*

4) *Quartum errorem* defendunt communiter hodierni celebriores rationalistae, nescientes quo se vertant. Censent ii quatuor Evangelia saltem quoad substantiam ab illis auctoribus, quibus tribuuntur, scripta fuisse ex alio primitivo Evangelio vel aliis documentis primitivis, ab incerto auctore conscriptis [5]. Illud autem primitivum Evangelium, vel documenta, si plura sint admittenda, quae altum silentium tenebant de Christi divinitate ac miraculis, adulterata fuerunt ab Evangelistis, quaedam mutando, alia adjungendo. Ita *Eichhorn* (1752-1827), quem sequuti sunt *Marsh,* episcopus anglicanus, *Gratz, De Vette, Ewald, Holzmann, Sabatier, J. Bovon,* et alii bene multi.

Hi tamen omnes, ubi inquirunt, an unum vel plura fuerint primitiva documenta, quo idiomate conscripta, quae illorum versiones factae, quibus eorum versionibus singuli Evangelistae usi fuerint, an omnes Evangelistae documenta primitiva adhibuerint, vel e contra unus tantum, ex quo alii

1 ***Exetisches Handbuch,*** 2.

2 ***Leben Jesu,*** § 13.

3 ***Tie de Jésus,*** Introd.; ***Les Apôtres,*** Introd.

4 Hunc errorem confirmare conantur ex his quae refert S. ***Paulus, Galat.,*** 2, 11 sqq.

5 Cfr. Ronan, ***Tie de Jésus,*** Introd.

sua Evangelia deprompserint, unde provenerint analogiae et discrepantiae synopticorum, etc., etc., in tot abeunt sententias, quot sunt capita.

Nonnullis placet illud documentum fuisse unicum *(Ur-evangelium),* aramaice scriptum *(Eichhorn* et alii); *alii* plura requirunt, diversis linguis exarata (quatuor fuisse adserit *Ewald): alii* plura vel pauciora juxta cujusque placitum. Illud fuisse graece translatum et ex eo evangelia synoptica deprompta vult *Marsh,* a quo dissentiunt alii dicentes solum Evangelium Marci (vel Lucae juxta quosdam) fuisse a versione graeca haustum, Evangelium vero Matthaei ex aramaico derivatum *(Gratz).* Non defuerunt qui dicerent unum tantummodo Evangelistam documento primitivo usum fuisse, et ex eo alia deprompta esse.

Analogias autem et discrepantias librorum synopticorum *mutuae,* ut ajunt, *dependentiae nonnulli* tribuunt, ita ut *Marcus* Evangelio Matthaei, et *Lucas* utroque usi fuerint [*]. *Alii* ex hoc volunt synopsim Evangeliorum provenisse, quod tres primi Evangelistae communibus usi fuerint documentis. *Plerique* tandem arbitrantur synopticorum affinitatem et discrepantias ex eo derivatas esse, quod apostoli non scripto sed *oretenus* Evangelium praedicarunt; eadem saepe repetendo, plura, nonnullis tamen variationibus interpositis, selegerunt ac didicerunt, quae neophytis traderent. Discrepantiae tamen facile, ut patet, eorum narrationibus oralibus admixtae sunt. Hinc Evangelistae, qui non solum apostolorum explicationibus intererant, sed vitam quoque familiarem cum ipsis egerant, facile potuerunt plures analogias nonnullasque discrepantias suis Evangeliis inserere [1].

Haec ultima explicatio sicut et hypothesis, quae admittit Evangelistas documentis primitivis usos fuisse in Evangeliis conscribendis, non paucis catholicis arridet, admittendo tamen, ut par est, omnia sub inspiratione composita fuisse.

5) *Quintus* denique *error* est *modernistarum,* qui, theorias rationalistarum plerumque sequuti, inter alia docuerunt a) parabolas evangelicas ab ipsismet evangelistis et Christianis secundae tertiaeque generationis esse digestas [3] b) Evangelia, quousque canon constitueretur, continuis additionibus et correctionibus fuisse aucta [4], c) quartum Evangelium non a S. Joanne Apostolo, sed ab auctore incerto, eximio vitae christianae teste, fuisse scriptum [5].

201. Thesis. Quatuor Evangelia sunt opera vere genuina, id est, ab auctoribus, quorum nomina gerunt, aetate apostolica scripta.

Nota. Perplura antiquitatis documenta, Patres Ecclesiae priorum saeculorum, ipsi haeretici ac pagani, libri quoque apocryphi diserte testantur quatuor Evangelia ab ipsis auctoribus *Matthaeo, Marco, Luca*

1 Cfr. Vigoureux, ***Manual Biblico,*** t. 3, n. 76 sqq. (ed. 1913).

2 Cfr. Comely, ***Introd. in V. T. lib. sacr.,*** vol. 3, n. 51, p. 184.

3 Cfr. Decr. ***Lamentabili sane exitu,*** S. R. et U. Inquisitionis (S. Officii) sub die 3-4 Julii 1907, prop. 13; Denz-Bannw., 2013.

4 Cfr. Decr. ***Lamentabili,*** prop. 15; Denz-Bannw., 2015.

6 Schola rationalista germanica fere communiter (Vid. Harnack, ***Die Chronol. der altchristlichen Litteratur bis Eusebius,*** vol. 1, et ***Wesen des Christentums,*** conf. 2, cui subscribunt modernistae Schell, Loisy, Murri, Tyrrel, etc.) tenet quartum Evangelium non esse opus genuinum S. Joannis Apostoli. Ab hoc errore non satis recedere videntur qui docent revelationem, objectum fidei catholicae, non fuisse cum apostolis completam, et quartum Evangelium non a S. Joanne Apostolo, sed post ejusdem mortem, incerto auctore, sub inspiratione Spiritus Sancti fuisse compositum. Cfr. Decr. ***Lamentabili sane exitu,*** prop. 18-21; Denz-Bannw., 2018-2021.—Scholae germanicae et modernistis contradicit Sanday ***(An examination of Harnack's*** AVhat is Christianity») cum schola anglicana dicens epistolas S. Pauli et doctrinas Ecclesiae primitivae intelligi non posse, nisi admittantur authenticitas et voracitas Evangelii S. Joannis.

et *Joanne* esse conscripta. Unde in probationem theseos totidem adsumentur argumenta, quot sunt hic relata testimoniorum genera.

Arg. I. *Ex antiquis documentis.* Universalis omnium populorum consensus in admittenda Evangeliorum genuinitate constat ex documentis authenticis totius antiquitatis. Nam 1) *versiones* cunctae tum *occidentales* tum *orientales* Evangeliorum, in primis Ecclesiae saeculis factae, continent ea cum expressione auctorum, quibus tribuuntur, sicut olim legebantur populo Christiano, quin unquam ulli occurreret illa apocrypha esse. 2) *In canone* librorum sacrorum a Patribus olim confecto et a Conciliis provincialibus et oecumenicis confirmato veniunt quatuor Evangelia sub iisdem auctoribus.

Celebre ac magni ponderis est hac in re fragmentum, quod invenit *Muratori* in Bibliotheca Ambrosiana Milanensi a. 1740. Habetur in eo pars *canonis* seu *catalogi* scripturarum, quem confecerat Ecclesia Romana circa annum 170, et relate ad Evangelia sic loquitur: «Tertium Evangelii librum secundum *Lucam.* Iste medicus post ascensum Domini, quum eum Paulus quasi ut juris studiosum secum assumpsisset, nomine suo ex opinione ejus concripsit. Dominum tamen nec ipse vidit in came, et ideo prout assequi potuit. Ita et a nativitate Joannis incipit dicere.—Quarti Evangeliorum *Joannes* ex discipulis. Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit: Conjejunate mihi hodie in triduum, et quid cuique fuerit revelatum alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Joannes suo nomine describeret» L

Hinc concilia *ajricanum* (393-397), *romanum* (405), *jlorentinum* (1441), et *tridentinum* (1546) fidelium consensum suis decretis confirmavere. *Origenes* expresse docet hanc doctrinam ex traditione se accepisse. *«Ex traditione,* ait, accepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub caelo est, citra controversiam admittuntur; *-primum* scilicet Evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem publicano, postea vero apostolo Jesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum Judaeis ad fidem conversis publicavit. *Secundum* fuisse accepimus Evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in litteris retulit... *Tertium* Evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur, in gratiam gentilium conscriptum. *Postremum* vero Evangelium Joannis» 1. *Eusebius,* accuratissimus rerum ecclesiasticarum historiographus, elenchum librorum N. T. descripsit dicens: «Primo igitur collocanda est sacra Evangeliorum quadriga (ea dixerat cap. 24 fuisse a Matthaeo, Marco, Luca et Joanne conscripta), quam deinde consequuntur Actus Apostolorum. Post hos numerandae sunt Pauli epistolae (quatuordecim fuisse ait cap. 3). Inde prior illa Joannis, ac similiter Petri epistola suscipienda est. Postremo adjungenda est, si ita videbitur, Joannis revelatio; de qua quid veteres senserint, suo loco exponemus. Et haec quidem *communi omnium consensu* recepta sunt» 3.

Hic porro communis omnium fidelium consensus ad nostra usque

1 Vide Cornely, ***Introd. in*** I'. ***T. libros sacros,*** vol. 3, n. 63.
2 ***Hom. in Matth.,*** t. 1; MG 13, 829.
3 ***Hist. Eccl.,*** lib. 3, c. 25; MG 20, 268.

tempora absque ulla interruptione certe pervenit et argumentum constituit, ut ajunt, praescriptionis, quo possumus rationalistas perstringere cum cl. *Brugère,* p. 172 qui ait: «Ita apud Jurisperitos vocatur quaedam argumentandi ratio, quae *e jacto* possessionis concluditur *ad jus,* eo quod usurpatio fuisset ordinarie improbabilis aut etiam moraliter impossibilis. Eodem porro argumentandi modo critici utuntur ad authenticitatem probandam: hic autem non sufficit suppositionis improbabilitas, sed requiritur vera impossibilitas moralis». Quis enim audeat viginti saeculorum traditionem rejicere eo quod gesta, quae narrant Evangelia, et divinitas Jesu Christi, quam tuentur, nequeant cum placitis rationalistarum componi?

202. Arg. II. *Ex Patribus Ecclesiae priorum saeculorum.* Interminabilis certo forem, si omnia vellem SS. Patrum, quae ad rem faciunt, afferre testimonia. Quaedam seligenda sunt clariora.

Clemens Romanus, Petri discipulus et Pontifex Maximus, vel ejus nomine Ecclesia Romana, a. circiter 96, unam et alteram scripsit epistolam ad Corinthios, tum ut eorum dissensiones componeret, tum etiam, ut eos post persecutionem Domitiani in fide confirmaret. In his autem epistolis diserte citat, non quidem ad litteram sed quoad sensum, prout ferebat illius temporis consuetudo, loca Evangeliorum synopticorum, dum *Epist.* 1, c. 13 iisdemet fere verbis *Matth.* 7, .1-2, et *Lucae* 6, 36-38 hortatur fideles, ut cum omnibus sint misericordes; et *cap.* 46 reprobat peccatum Judae ac scandali juxta doctrinam *Matthaei* 26, 24 *(Marci* 14, 21—*Lucae* 22, 22; *Lucae* 17, 2; *Matth.* 18, 6—*Marci* 9, 2). Item duabus *de Virginitate* scriptis epistolis meminit Lucae.

Opusculum, cui nomen *Doctrina duodecim Apostolorum,* anno 1883 editum, et probabilius, ut ipse rationalista *A. Harnack* fatetur[1], sub finem saeculi I compositum, cap. 1 explicite refert verba *Matthaei* 5, 39, 41, 44, 48; et c. 16 citat verba *Lucae* 12, 35.

Ignatius Martyr (f 107, juxta alios 114) saepissime laudat Evangelia Matthaei, Lucae et Joannis, imo provocat Philadelphios et Smvrnenses ad canonem N. T., quem dividit in Evangelium et Apostolos.

Epistola, quae, nescimus qua de causa, S. Barnabae tribuitur, scripta circa annum 120 aut 130, magni profecto est ponderis ob suam antiquitatem: porro c. 4, 14 refert illa verba *Matth.* 22, 14: *Multi sunt vocati, pauci vero electi,* et c. 5, 9, alia ipsius *Matth.* 9, 13, *non veni vocare justos sed peccatores.*

Papias, Episcopus Hierapolitanus, et, ut refert ejus discipulus S. *Irenaeus,* auditor S. Joannis et S. Polycarpi amicus, scriptis circa annum 125 quinque libris *De Interpretatione oraculorum dominicorum* apud *Eusebium,* testimonium reliquit non exigui ponderis de Evangeliis Marci et Matthaei dicens: «Marcum. Petri interpretem, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter perscripsisse; non tamen ordine pertexuisse, quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant. ...Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium praedicabat». Et de

[1] Cfr. Bardonhewor. ***Patrologia,*** epocha i.", § 6.

Matthaeo dicit: «*Matthaeus* quidem hebraico sermone divina scripsit oracula; interpretatus est autem unusquisque illa, prout potuit» L

Si quis autem ex silentio Papiae circa Lucam et Joannem contra horum Evangelia insurgere velit, meminerit 1) scopum Papiae in praefato loco non fuisse omnia quae de Evangeliis sciret litteris mandare, sed Marci dumtaxat et Matthaei originem describere, et 2) non nisi perpauca nunc exstare Papiae fragmenta, quae apud *Eusebium* servata sunt.

S. *Polycarpus* item (f 156), S. Ignatii et Papiae sodalis, Episcopus Smymensis et magnae sanctitatis vir, multoties citat Evangelia secundum Matthaeum, Marcum et Lucam.

Hermas (γ a. 140-155) denique, de quo Apostolus ad *Rom.* 16, 14, in suo opere *Pastor* plura ex quatuor Evangeliis deprompsit 1.

Clariora adhuc sunt SS. Patrum qui saeculo n floruerunt testimonia.

S. *Justinus,* circa annum 130 in Christianismum conversus, celebrem Apologiam direxit ad Antoninum Imperatorem aliaque praeclara scripsit opera, in quibus saepe textus ex Evangeliis excerptos retulit 3,4 Evangelia adserens scripta esse ab *apostolis* et *discipulis Domini* ·, legique solita in conventibus Christianorum 5.*

Similia habet *Tatianus,* S. Justini discipulus (f c. 165), in suo opere *Diaiessaron* ®.

S. *Irenaeus,* Episcopus Lugdunensis (γ c. 163) et S. Polycarpo valde carus, qui Ecclesiae tum orientalis tum occidentalis traditiones praesens anno circiter 170 perscrutatus est, explicite ait: «*Matthaeus* in hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, quum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum *Marcus,* discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et *Lucas* autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur, Evangelium in libro condidit. Postea et *Joannes,* discipulus Domini, qui et supra pectus Domini recumbebat, et ipse edidit Evangelium Ephesi Asiae commorans» 7. Deinde rationem reddidit, cur fuerint quatuor Evangelia.

Confer denique, si vis, *Tertullianum,* qui ait: «Nobis fidem ex apostolis Joannes et Matthaeus insinuant: ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant» 8, et *Origenem,* qui haéc habet: «Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata» 9.

203. Arg. III. *Ex haereticis.* Domesticorum argumentis aggreganda sunt exterorum testimonia, quae profecto plenissime demonstrant quatuor Evangelia genuina esse.

1 ***Hist. Eccl.,*** lib. 3, c. 39; MG 20, 296.
2 Vid. apud MG 2, 892 sqq.
3 Cfr. ***Apol.,*** i, 33, 35, 51; MG 6, 381 et 384, et ***Dial, cum Tryph.,*** 100, 103; MG 6, 709.
4 ***Dial, cum Tryph.,*** n. 103: MG 6, 717.
8 ***Apol.,*** i, 66-67: MG 6, 429.
8 Hic postea in haeresim lapsus est.
7 ***Contra haer.,*** lib. 3. C. I; MG 7. 844
9 ***Adv. Marcion.,*** lib. 4, c. 2; ML 2. 392.
• ***In Luc., hom.*** 1: MG 13, 1803.

Haeretici namque priorum saeculorum, qui ad suos errores confirmandos ad sancta Evangelia provocabant, genuinitatem Evangeliorum certe supposuerunt et acceptarunt. «Tanta est autem, inquit S. *Irenaeus,* circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam» L

Hinc *Simon Magus,* qui tempore apostolorum vixit 1, *Menander* ejus discipulus, qui anno circiter 74 floruit, *Saturninus,* qui eis proxime successit. et alii bene multi ad Evangelia non semel provocarunt, ut suos disseminarent errores.

Ebionitae solum admittebant Evangelium secundum Matthaeum, *Marcion* solo Luca utebatur vel potius abutebatur «ausus... circumcidere Scripturas» 3.

Gnostici quatuor admittebant Evangelia. Hinc *Basilides* non solum Evangeliis usus est, verum etiam viginti libros circa ipsa scripsit, ut affirmat *Eusebius* 4, et *Valentinus* juxta *Irenaeum5*plenissime* usus est Evangelio Joannis, ex cujus primo capite *aeonum* doctrinam educere conatus est. *Heracleon* tandem, Gnosticorum celeberrimus, Evangelium Joannis commentariis auxit.

204. Arg. IV. *Ex paganis.* Gentiles priorum saeculorum, «assueti, ut ait *Lactantius,* dulcibus ac politis sive orationibus sive carminibus, divinarum litterarum simplicem communcmque sermonem pro sordido» aspernabantur B. Eorum tamen nonnulli libros Novi Testamenti omni sollicitudine evolvendos curarunt, dum alii contra Evangelia insurrexerunt. Mentione digni sunt *Celsus, Porphyrius, Julianus,* etc., qui doctrinam quidem Evangeliorum respuerunt, sed eorum genuinitatem palam professi sunt.

Celsus circa annum 178 librum contra Christianos edidit, cujus fragmenta apud *Origenem* servantur 7. Adserit in eo 8*omnes Christianorum doctrinas esse sibi bene notas, eorumque libros refutare velle 0. Exposita dein truncate, uti solent haeretici, Evangeliorum doctrina, ait «discipulos haec de Jesu scripsisse, ut, quae contra illum erant, excusarent» 10 11 Ac tandem affirmat multos haereticos «a magna ecclesia» descivisse, et, discessum suum defendere volentes, Evangelia corrupisse.

Porphyrius item saeculo in quatuor Evangelia, Actus Apostolorum et alios N. T. libros aggressus est refutare, si fides est S. *Joanni Chrysostomo,* qui ait: «Sufficiunt autem, et qui contra nos disputarunt ad testimonium antiquitatis librorum nostrorum ferendum, nempe Celsus et Bataneotes (Porphyrius) qui post illum fuit; non enim contradicebant iis. quae post illos edita fuerant» u.

1 ***Contra haer.,*** lib. 3. c. 11, n. 7; MG 7, 884
2 Cfr. ***Act. Apost.,*** 8. 13.
3 Cfr. S, Irenaeus, ***Contra haer.,*** lib. 3, c. 11, n. 7; MG 7, 884.
4 ***Hist. Eccl.,*** lib. 4, c. 7; MG 20, 317.
6 ***Contra haer.,*** lib. 3, c. ix, n. 7; MG 7, 884.
» ***fnst.,*** lib. 6, c. 21; ML 6, 713. Cfr. ***Inst.,*** lib. 5. c. 1; MI. 6, 550.
' ***Conti. Celsum,*** MG 11, 642 sqq.
8 Orig., ***Contr. Celsum,*** 1, 12; MG 11, 677.
" ***Ibid.,*** lib. 2, 74; MG 11, 909.
10 Origones, ***Conti. Celsum,*** lib. 2, n. 16; MG 11, 825.
11 ***Hom.*** 6 ***in 1 al Cor.,*** n. 3; MG 61, 52.

Julianus demum, apostata, quatuor Evangeliorumn omina palam expressit, et licet doctrinam blasphemus haeretice negaverit, genuinitatem tamen librorum affirmavit dicens: «Jesuin quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Joannes... primum id prodere ausus est» 1.

205. Arg. V. *Ex libris apocryphis.* Liber *apocryphus,* qui primitus idem sonabat ac *absconditus, secretus,* etc., diversimode accipitur. 1) In quantum opponitur *canonico;* et hoc sensu, libri qui a quibusdam dicebantur a Spiritu Sancto inspirati, sed non sunt in canone relati, nuncupantur *apocrvphi,* sicut epistola Bamabae, Pastor Hermae, etc. 2) In quantum non est *genuinus* sed *spurius,* id est, non fuit ab illo auctore, cui tribuitur, scriptus. Hujus generis fuerunt satis multi ut Evangelia Pseudo-Matthaei, secundum Aegyptios, Hebraeos, secundum duodecim Apostolos, secundum Petrum, Thomam, Matthiam, Nicodemum, Acta Andreae, Philippi et Thomae, Periodi Pauli et Theclae; epistolae Pauli ad Laodicenses et ad Senecam, et alii plures, quorum nonnulli ab haereticis, alii a fidelibus bona fide, scripti sunt 2.

Hi libri, quorum studio magnopere incumbendum est hodiernis temporibus, imitationes censentur nostrorum Evangeliorum, quorum non exiguam partem continent in fragmentis, et demonstrant certissimam originem apostolicam librorum sacrorum N. T. praesertim Evangeliorum.

Ex his argumentis concludere licet quatuor Evangelia ab ipsis auctoribus, quorum nomina gerunt, scripta fuisse saeculo i aerae Christianae. .*Matthaeus* creditur scripsisse circa annum 40, *Marcus* ab anno 40 ad 50, *Lucas* inter annos 60 et 70,. ac *Joannes* demum circa annum 100. Id unum certe tenendum putamus, scilicet, ante annum 150 quatuor Evangelia ut genuina communiter accepta fuisse in Ecclesia.

Scholion. Qui singulorum Evangeliorum genuinitatem probatam, aut objectiones contra datam doctrinam solutas, aliaque id genus plura velit habere, adeat scripturistas, et ex theologis *Lahousse 3, Pesch4* aliosque. Heic meminisse sufficiat Decreti Pii Papae X *Lamentabili sane exitu,* quo damnata est sequens prop. 18: *Joannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae Christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo 5.*

1 Apud S. Cyrillum Alex., ***Contr. Julianum,*** lib. 10; MG 76, 1004.

2 Cfr. Comely, ***Jntrod.,*** 1, 213: ***Dictionnaire des Apocryphes*** (Paris, 1856), préface; Vigoureux, ***Diction, de la Bible,*** v. ***Apocryphe,*** etc.

3 ***De vera religione,*** disp. 4, c. 2,.a. 1.

4 ***Inst. Propaed.,*** p. 1, sect. 1, a. 1.

* Quia contra genuinitatem quarti Evangelii insurgunt fere undique rationalistae, et eorum argumenta, ex rationibus extrinsecis quandoque, ex internis ipsius textus evangelici plerumque, petita, temere approbare visi sunt nonnulli catholici, placet heic resolutionem ***Commissionis biblicae*** hac de re integre subjicere. Ex ***Acta 5. Sedis,*** vol. 40. p. 383.

Propositis sequentibus dubiis respondit prout sequitur:

Dubium I. Utrum ex constanti, universali ac solemni Ecclesiae traditione jam a saeculo II decurrente, prout maxime eruitur: ***a)*** ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, jmo etiam haereticorum testimoniis et allusionibus, quae, cum ab apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent: ***b)*** ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrorum librorum; ***c)*** ex eorumdem libro-

ARTICULUS II

UTRUM EVANGELISTAE VERACES FUERINT IN EVANGELIIS CONSCRIBENDIS ATQUE IDEO FIDE DIGNI CENSEANTUR

206. Status quaestionis. *Veracitas* alicujus libri in eo consistit, quod narratio factis respondeat. Ad hanc autem conformitatem requiritur omnino quod auctor 1) *scientia* calluerit sufficienti; factum scilicet quod narrat bene noverit, et 2) *fidelitatem* servaverit in scribendo, id est, *sincerus* fuerit in rebus exponendis.

Unam vel alteram ex his conditionibus plures Evangelistis negaverunt, ac veracitatem Evangeliorum rejecerunt.

207. Errores. 1) *Christianus llaur,* de quo supra n. 200, adserens evangclistas defendisse factiones Petrinismi et Paulinismi, negavit eis veracitatem [1].

rum vetustissimis manuscriptis codicibus et in varia idiomata versionibus; *d)* ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente; praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur Joannem apostolum et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment?

Resp.—***Affirmative.***

Dubium II. Utrum etiam rationes internae, quae eruuntur ex textu quarti Evangelii sejunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I epistola Joannis apostoli manifesta cognatione, censendae sint confirmare traditionem, quae eidem apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit?—Et utrum difficultates quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor scripsit solvi rationabiliter possint, prout SS. Patres et exegctae catholici passim praestiterunt?

Resp.—***Affirmative*** ad utramque partem.

Dubium III. Utrum, non obstante praxi, quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tanquam ex documento proprie historico, considerata nihilominus indole peculiari ejusdem Evangelii et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc, ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas?

Resp.—***Negative.***

Die autem 29 Maji 1907, in audientia ambobus Binis, consultoribus ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Eulcranus Vigouroux, P. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultores ab Actis.

[1] Eximia opera apologetica, quibus non solum genuinitas Evangelii Joannis sed etiam divinitas D. N. Jesu Christi strenue vindicatur, his diebus in lucem prodierunt. Consulat ea, si velit, lector. Vide articulos ***A. Orejôn,*** apud ***Espaila y America,*** i.“, Dec. 1906. et ***L. Murillo,*** apud ***Razôn y Fe,*** 1907, vol. 17, p. 141 sqq., et 413 sqq.

[1] Cfr Vigoureux, /..‹ v ***livres suints et la critique rationaliste,*** t. 2, liv. 4, ch. 7.

2) *Strauss* negavit, ut superius vidimus, realitatem factorum, quae narrantur in Evangeliis. Primo quidem dixit Evangelistas bona fide figmenta illa mythica descripsisse, sicut hodie novellae scribuntur, applicando homini Jesu proprietates, quae juxta libros Veteris Testamenti dicebantur Messiae convenire; sed deinde consilium mutavit, et, scriptis aliis operibus, adseruit Evangelistas id mala fide fecisse, et populum *fraude et fictione voluntaria* decepisse. Hinc sinceritatem denegavit sacris scriptoribus *.

3) Alii id explicant *evolutione* seu *adulteratione* dicentes post mortem Christi ortam fuisse fidem Christianam cum legendis atque fabulis super historiam Christi. Evangelistae autem colligentes vaticinia V. T. de Messia ejusque regno, ponderantes narrationes miraculorum operumque Christi, quae circumferebantur, ac enthusiasmo ducti, vitam Christi deformarunt bona fide, atque divinitatem ipsi tribuerunt. Ita *Jülicher, Harnack, Loisy, Pfleiderer* et alii[1][2][3]

Huic theoriae accedere videtur *Renan,* cum gratis adserit singulos fideles in exemplari Evangeliorum, quod apud se retinebant, in margine adnotare consuevisse, quae in ore omnium circumferebantur de dictis et factis Jesu, et ex his exemplaribus confecta tandem fuisse hodierna Evangelia s.

4) *Alii* denique *ampliatione* volunt Evangelia composita fuisse.—Cum enim impossibile esset discipulis ea ad litteram transcribere, quae audierant a Domino, explanaverunt singuli ac interpretati sunt sermones Christi juxta placitum cujusque. Hinc discrepantiam inter synopticos et quartum Evangelium ex eo oriri dicunt quod synoptici minus quam S. Joannes a littera sermonum Domini recesserint. Ita *Renan*[4].

208. Thesis. Evangelistae scientia ac sinceritate pollebant quam maxima in libris scribendis, atque ideo non fuerunt decepti nec deceptores.

Prob. 1.a pars. Evangelistae pollebant scientia, ne deciperentur.

Arg. Evangelistae 1) fuerunt testes omni exceptione majores, 2) facta narraverunt cognitu facilia, 3) eadem saepe fuerunt ab omnibus repetita, et 4) ita plura retulerunt facta miraculosa, ut completa hallucinatio fuerit impossibilis. Ergo sufficienti pollebant scientia, ut nullatenus deciperentur.

Prob. Ant.

1) *Fuerunt testes omni exceptione majores, oculati* nimirum vel *auriti.* Matthaeus et Joannes, utpote discipuli Domini, in ipsa Jesu Christi schola educati sunt, et facta plerumque narrant, quae praesentes viderunt. Hinc Joannes ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis* 5. Et in fine sui Evangelii 6 testatur plura sibi de

1 ***Das Leben Jesu,*** Introd , § 13.

2 Jülicher, ***Einleit in d. N. Test.,*** 1894; Harnack, ***Wesen des Christentunis,*** Conf. 1-2; Loisy, ***Autour d'un petit livre,*** § 3, p. 61 sqq. (ed. 1903); et ***Le quatrième Évangile,*** Introd., «Clement d'Alexandrie»; Pfleiderer, ***Religions philosophie,*** pp. 278-280.

3 ***Vie de Jésus,*** Introd.

4 ***Vie de Jésus,*** Introd.

5 ***I Joan.,*** i, i sqq.

3 ***Joan.,*** 21, 25.

factis Jesu innotuisse, quae, si litteris mandarentur, totus non caperet orbis. Imo Petrus et Joannes responderunt magistratibus: *Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui*[1].

Lucas item et Marcus tradiderunt, quae ab immediatis testibus acceperunt. Lucas enim a S. Paulo, cui erat familiaris carissimus, imo et a B. V. Maria, vitam et gesta Domini didicit, ut ipse fassus est in initio Evangelii dicens: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri luerunt sermonis, visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Théophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem* [2]. Similiter et Marcus, qui a Principe Apostolorum, cujus erat interpres, omnia procul dubio accepit.

2) *Facta narravere cognitu facilia.* Retulerunt enim plerumque, quae publice patrata fuerunt coram omnibus non modo judaeis, sed graecis, sed romanis. Ipse Christus diserte testatur ea auditoribus innotuisse dicens: *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes judaei conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quae dixerim ego* [3].

3) *Eadem-saepe ab omnibus Euangelistis sunt repetita.* Pleraque miracula et testimonia divinitatis Jesu Christi iisdemet fere verbis narrantur in quatuor Evangeliis. Poterit doctus academicus *Renan* vel alius rationalista hujus rationem reddere? Quomodo omnes evangelistae in eadem re decipi potuerunt?

4) *Tot denique retulerunt jacta miraculosa, ut completa hallucinatio impossibilis fuerit.* Tot sunt in Evangeliis de divinitate Christi testimonia, tot referuntur miracula et narrantur opera supematuralia, ut nisi velis omnes Evangelistas plane rudes ac ingenio destitutos, nequiverint in omnibus decipi. Sed quis hoc audeat dicere de illis, qui a Christo electi ad Evangelium praedicandum, orbem terrae peragraverunt, mores publicos emendaverunt et societatem familiamque instauraverunt?

Prob. 2.a pars. Sinceritate pollebant, ne deciperent.

Arg. Evangelistarum sinceritas patet 1) ex eorum loquendi modo, et 2) ex rerum in quibus versati sunt circumstantiis.

1) *Ex eorum loquendi modo.* Omnia narrant simplici sermone, candida ingenuitate, absque ullo fuco et exaggeratione, ac summa simplicitate. Apostolorum etiam defectus, conditionem vilem, ingenii tarditatem, Matthaei negotium, Petri in Jesum negationem, Judae defectionem, aliorumque discipulorum fugam ingenue fatentur. Haec profecto non sunt signa hominum fraudulentorum sed amatorum potius veritatis.

1 ***Act., 4,*** 20.
2 ***Luc.,*** i,· i sqq.
3 ***Joan.,*** i8, 20-21.

2) *Ex rerum circumstantiis,* a) Evangelistae scientes procuidubio quae Christus praedixerat apostolis in vita, persecutiones nimirum, ludibria, carceres, ipsamque mortem ipsis pro Christi nomine eventura, suos libros, in quibus divinitatem Christi defendebant, scripserunt, et in confirmationem suae doctrinae non solum aerumnas, labores et verbera sustulerunt, sed ipsam quoque mortem cruentam subierunt. In his autem circumstantiis nemo mentitur, quia *nemo mendax in caput suum,* ut commune fert proloquium. Ergo non mendaces sed sinceri omnino ac veraces dicendi sunt. Huc facit illud *Paschalis* dictum: «Libenter credo facta a testibus relata, qui trucidari consentiunt».

b) In his adjunctis versabantur evangelistae, ut etiamsi voluissent, nequivissent populum decipere. Narraverunt siquidem doctrinas et facta plerumque judaeis nota. Antequam Evangelia litteris mandarentur, innotuerunt judaeis non solum virtutes, sed miracula etiam et prodigia Christi. *Jesum Nazarenum,* inquit Petrus judaeis die Pentecostes, *virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quae jecit Deus per illum in medio vestri,* sicut et vos scitis [1]. Et Paulus ad Festum ajebat: *Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor; latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est* [2]. Quis judaeorum ignoraverit aquae in vinum conversionem, visum caeco a nativitate redditum, panum et piscium multiplicationem, morborum curationes, Lazari et aliorum resurrectionem, aliaque id genus plura? In his autem adjunctis inutile fuisset, imo et periculosum, mendacia fingere ac populo praedicare. Ergo Evangelistae non solum non fuerunt deceptores, sed nec esse potuerunt [3].

ARTICULUS III

UTRUM EVANGELIA INTEGRA ADHUC EXSTENT

209. Status quaestionis. 1) Liber dicitur integer, quando est ab omni adulteratione immunis. Porro tripliciter potest liber aliquis adulterari, *additione, subtractione* et *corruptione.* Si quid vel minimum addas, demas, vel corrumpas, libri integritatem tollis.

2) Haec tamen integritas potest esse duplex, *substantialis* et *absoluta. Substantialis* est, quando res gravis momenti, quae substantiam doctrinae vel historiae narratae affectant, integrae manent, quamvis mutationes quasdam accidentales parvi momenti subierint. *Absoluta* dicitur, quando liber, nullam mutationem vel accidentalem passus, quoad omnia etiam levia integer servatur.

1 ***Act.,*** 2, 22.

2 ***Act.,*** 26, 26.

3 Huc venit quod ipse Rousseau, ***Émile,*** liv. 4 scripsit dicens: «Dirons-nous qui l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente, et le faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ. An fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire. Il serais plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul aie fourni le sujet; et l'Evangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, que l'inventeur serait plus grand que le Héros».

Compertum est quatuor Evangelia, de quibus loquimur, non jam *absolute* integra manere; quia libri ab amanuensibus saepe transcripti, ab omni mutatione etiam levi tot saeculorum spatio praeservari nequiverunt.

Heic ergo movetur quaestio de integritate eorum substantiali.

3) Ulterius observandum est sermonem esse, non de diversis Scripturarum versionibus ad plures linguas jam olim factis, sed de *textu originario,* eo modo, quo de Pentateucho superius[1] actum est. Evangelia porro scripta sunt hebraice a Matthaeo, ab aliis graece. Evangelii Matthaei textus originarius interiit, sed exstat versio ejus graeca, ab initio facta, quae pro originario habetur.

Codices item primitivi, tum hujus versionis Matthaei graece factae, tum aliorum Evangeliorum, perierunt, sed remanent exemplaria transcripta, quae ab eruditis *apographa* vocantur[2].

Quaestio itaque praesens est, utrum Evangelia in suo textu originario, id est, in plerisque apographis seu codicibus graecis servata, substantialiter integra permanserint, et ad nos usque pervenerint, ita ut contextus doctrinarum, quas exponunt, et factorum quae narrant, manserit incorruptus; textusque genuinus Evangeliorum substantialiter integer perseveret.

4) Nostra non interest investigare, quae praecise exemplaria fuerint integre servata, quia, cum in omnibus affirmetur divinitas Christi, ad praesens quod attinet satis est ostendere pleraque eorum ab omni corruptione substantiali immunia permanere.

210. Errores. Tot reperimus in hac materia rationalistarum et incredulorum errores, ut longum sit eos singillatim referre.

1) *Nonnulli* putant omnia Evangelia esse generatim corrupta, textumque integrum originarium nullibi jam contineri. Sic *Manichaei* et alii antiqui haeretici cum hodiernis incredulis et modernistis.

2) *Alii* integritatem unius vel alterius Evangelii negant dicentes primum vel secundum vel tertium aut quartum, juxta cujusque placitum, esse corruptum. Ita plures rationalistae.

3) *Alii* denique nonnullas singulorum Evangeliorum partes arbitrantur esse interpolatas, α) *Ex Matthaeo* quidem spuria sunt duo priora capita juxta Ebionitas, *Tatianum* et (saec. XVM) *J. Williams*[3]; juxta *Loisy*[4] versus 27, cap. IX, ubi Christus de cognitione mutua Patris et Filii loquitur; et juxta quosdam rationalistas narratio de uxore Pilati, de custodibus sepulcri et de corporum resurrectione, β) *Ex Marco* apparitiones Domini (16, 9-20) interpolatas dicunt *Tischendorf*[5] et alii, γ) *Ex Luca* spuria sunt duo priora capita juxta *Eichhorn*[6], *Baur*[7], et alios; versus 22, cap. 10, juxta *Loisy*[8]; versus 43-44, cap. 22, juxta *Westcott-Hort*[9]. δ) *Ex Joanne* tanquam

1 Vid. sup., n. 184.

2 Supersunt juxta quosdam 635 codices, quorum 34 ***unciales,*** id est, litteris majusCulis scripti sunt, et 601 ***minusculi,*** litteris nempe minusculis exarati.

3 ***A free inquiry into the authenticity of the 1 and 2 chapter of St. Mathew's Gospel.***

4 ***Autour d'un petit livre,*** p. 130 (ed. 1903).

5 ***Novum Test.,*** ed. 8.®, vol. 1.

6 ***EM.,*** I, p. 620 sqq.

7 ***Das Marcusevang.,*** p. 218 sqq.

8 ***Autour d'un petit livre,*** p. 130 (ed. 1903).

9 ***New-Test.,*** notes.

aliena manu inserta habentur narratio piscinae Bethsaid e (5, 4) a *Westcott-HortJ, Meyer* 1; historia mulieris adulterae (7 53-8, 11), a *Setnlero* 3, *Keil* 45 *Tischendorf* s; caput ultimum a *De Wette* 6 et aliis.

211. Thesis. Quatuor Evangelia substantialiter integra adhuc exstant.

Arg. I. *Ex codicum et versionum examine.* Quotquot exstant Evangeliorum fundatissimi codices, antiquissimi sunt, et singulis aetatibus respondent usque ad saeculum ni. Hi autem tum inter se tum cum aliis, qui sunt recentioris aetatis, comparati, substantialiter conveniunt. Ex 30.000 namque *variantium* quas *Mill* saeculo xvm invenit, et ex 150.000, quae hodie post nova apographa edita numerantur, vix ulla est, quae dogma aliquod afficiat, et nulla profecto, quae substantiam dogmatum aut factorum historicorum alicujus momenti immutet. Versiones praeterea his codicibus antiquiores, ut notissima latina *Itala,* et syriaca *Peschito,* saeculo I vel II exaratae, non solum cum codicibus conveniunt, sed statum quoque exhibent textus graeci illius temporis 7.

Arg. II. Plerique Patres, incipiendo ab antiquioribus, commentaria ediderunt in Evangelia, quibus textus sacros, imo et longa fragmenta, inseruerunt, sicut hodie leguntur in codicibus. Quod certissime ostendit Evangelia nunc eadem ac in aetate apostolica permanere. Conferantur opera S. *Clementis Romani, S. Justini, S. Irenaei, Athenagorae, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis,* etc.

Arg. III. Nullum adsignari potest tempus corruptionis factae. Nequivit enim haec corruptio introduci aetate apostolica, nec tempore sequenti. Ergo 89 *Prob. ant.*

1) *Non aetate apostolica.* Apostoli eorumque discipuli accurate invigilabant, ut doctrina sana populis traderetur, et sacrae litterae integre servarentur. Hinc *Joannes* ait: *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit... auferet Deus partem ejus de libro vitae* 0. Si quis igitur ausus fuisset Evangelia corrumpere, apostoli illico protestati fuissent.

2) *Nec tempore sequenti.* Quia aetate apostolica innumera exemplaria accurate transcripta fuerunt, et per totum orbem diffusa prae omnium manibus ferebantur, ac publice legebantur in coetibus fidelium. Quis potuerit tot exemplaria adulterare? Quis fraudem semel confectam propagare? Praeterea, si facta fuisset aliquando corruptio, diversitatem profecto lectionum novissent fideles, atque inde proculdubio dissensiones et discordiae ortae fuissent, ac Patres, his cognitis, populum chri-

1 *Ibid.*
2 *Exeg. Erit.,* Handb., II, ed. 5.
3 *Lib. inquisit. de Canone.*
4 *Conim. ii. d. Evang. Joan.*
5 *Nov. Test.,* ed. 7.
6 *Einl.,* ed. 6.
7 Cfr. Prado, *Propaed. biblica,* n. 150.
8 Conveniunt adversarii, etiam rationalistae, Evangelia ab ineunte saeculo IV, imo a tempore Origenis, corruptionem subire non potuisse.
9 *Apoc.,* 22, 18-19.

stianum edocuissent, exemplariaque corrupta Bibliorum collegissent, sicut legitur factum esse cum evangeliis Marcionis, Ebionitarum, etc.[1].

Arg. IV. *A nemine potuerunt Evangelia corrumpi.* Sive enim ab *ethnicis,* sive a *judaeis,* sive ab *haereticis,* sive a *christianis,* corrupta comminiscaris, id impossibile fuisse facile probabis. Nequiverunt quidem ab *ethnicis* et *judaeis* corrumpi, quia exemplaria ab eis quomodolibet mutata, nunquam Christiani accepissent; neque ab *haereticis,* quia omnes, qui a fide semel suscepta defecerant, magnae suspicionis et scandali erant apud primitivos Christianos, et quoties scripturas corrumpere tentaverunt, a fidelibus accusati sunt de crimine apud Patres ab iisque repressi, ut *Tatianus, Marcion, Artemon,* etc.; neque demum a *christianis,* qui magna veneratione et cura primos codices transcribere consueverant, quia, ut optime arguit *Mazzella* [2], vel *aliqui* Christiani corruptionem tentarunt, vel *omnes* in facinus conspirarunt. *Aliqui* omnes codices corrumpere non potuerunt, ut patet. *Omnes* vero in unum facinus conspirasse absurdum est evidens, attenta Christianorum in illis temporibus pietate.

Ex his argumentis et aliis, quae brevitatis gratia praetermittuntur, certissime patet Evangelia, prout a suis auctoribus exarata sunt, substantialiter integra adhuc exstare, et ex eis luculenta desumi argumenta in dogmatum religionis catholicae defensionem.

QUAESTIO XI

DE DIVINA CHRISTI LEGATIONE

ARTICULUS I

UTRUM TESTIMONIO CHRISTI PROBETUR LEGATIO EJUS DIVINA

§ 1

Utrum Christus a/firmaverit se esse legatum Dei seu Messiam.

212. Status quaestionis. Legatus Dei dicitur, qui nomine et auctoritate Dei docet homines doctrinas divinas.

Judaei tempore Christi exspectabant legatum Dei, qui simul esset propheta magnus, rex et Messias, sed adulterantes conceptum Messiae, putabant illum venturum esse, ut restitueret regnum temporale Israel.

Munus tamen Messiae non fuit politicum.

Μεσια idem est ac unctus a Deo seu Christus [3]. Unde legatus Dei fuit ipsemet Messias a Deo unctus et missus, ut esset propheta magnus, rex, fundator regni Dei ac Filius Dei.

1 Cfr. Tertullianus, ***Adv. Marcionem,*** lib. 4, cc. 4-5; ML 2, 394 sq.

2 ***De Jlclig. et Eccl.,*** disp. 2, a. 1, n. 265.

3 ***Joan.,*** i, 41; 4, 25. Cfr. Lagrange, ***Le Messianisme chez les juifs,*** 3?me p., ch. 6, § 2.

Quaeritur, an Christus docuerit aliquando se esse legatum Dei seu Messiam.

213. Errores. 1) Aliqui hoc plane negaverunt.
2) *Modernistae* docuerunt Christum non semper habuisse conscientiam suae dignitatis messianicae 1.

214. Thesis I. Christus saepe testatus est se esse legatum divinum seu Messiam.

I. Colloquiis privatis.

1) Discipuli Joannis interrogaverunt Jesum: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Et respondit eis Jesus: *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis, et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* 2. Haec autem sunt munia Messiae praenuntiata ab Isaia propheta 3. Unde his verbis affirmavit Jesus se esse Messiam.

2) Mulieri Samaritanae dicenti: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus;* Respondit: *Ego sum, qui loquor tecum* 4.

II. Coram populo.

1) Palam confessus est se esse Filium Dei5 6 Haec autem expressio juxta modernistas significat solum Messiam 6, sed sensu biblico significat Messiam et Deum.

2) Expresse testatus est se esse missum a Deo. *Mea autem doctrina,* ajebat, *non est mea, sed ejus, qui misit me... ab ipso sum et ipse me misit* 7.

215. Thesis II. Doctrinam de sua messianitate complevit docens se esse Deum.

I. Coram discipulis.

Cum Petrus dixisset ei: *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* adsentiens ipsi dixit Jesus: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est* 8.

II. Coram populo.

Quaerebant eum judaei interjicere, quia... Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo 9.

Adseruit operationem suam esse eamdem ac operationem Patris: *Quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter jacit* 10.

1 Decr. ***Lamentabili,*** prop. 35; Denz-Bannw., 2035. Juxta Harnack Christus acquisivit conscientiam suae messianitatis in baptismo Jordanis vel initio suae praedicationis. ***Essenza dei Cristianesimo*** (italice vers.). Conf. VIII, «Per quali vie».
2 ***Maith.,*** n, 3.
3 ***Is.,*** 35. 5 sqq.
4 ***Joan.,*** 4, 26.
5 ***Luc.,*** 22, 66-70; ***Maith.,*** 26, 64.
6 Decr. ***Lamentabili,*** prop. 30; Denz-Bannw., 2030.
7 ***Joan.,*** 7, 16-29.
8 ***Maith.,*** 16, 16 sqq.
9 ***Joan.,*** 5, 18.
10 ***Joan., 5,*** 19.

Eamdem etiam habuit naturam ac Pater: *Ego et Pater unum sumus* [1].

III. Coram magistratibus et sacerdotibus.

Pilato interroganti: *Tu es rex judaeorum?* Respondit Jesus: *Tu dicis* [2]. Et principi sacerdotum adjuranti eum, ut diceret, si erat *Christus, Filius Dei* Dixit Christus: *Tu dixisti* [3].

Ex his patet Christum saepe testa um esse se esse Deum.

§ 2

Utrum testimonium Christi de sua messianitate sit fide dignum.

216. Status quaestionis. Testimonium alicujus est semper fide dignum, si ipse, qui testatur, non fuerit *deceptor* nec *deceptus.*

Quaeritur itaque, an Christus, cum affirmavit se esse Messiam, fuerit *deceptor* vel *deceptus.*

217. Thesis. Christus, cum affirmavit se esse Messiam, non fuit deceptor nec deceptus, atque ideo ejus testimonium est omnino fide dignum.

I. Christus non fuit deceptor, quia sanctus per excellentiam. Christus enim vitae innocentia et cordis puritate ita celebrabatur, ut merito potuerit dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* [4] Imo, cum plurima judaei contra Jesum ad Pilatum detulissent, judex ejus innocentiam confessus est dicens: *Nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis* [5]. Unde totius antiquitatis scriptores testimonium reddiderunt de ejus immaculata vita, et S. Petrus ait: *Qui peccatum* [6] *wom jecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [7]. Ergo Jesus Christus, innocens cum esset ac justus, *deceptor* non fuit aut *seductor* in re tanti momenti.

II. Christus non fuit deceptus, quia sapiens per excellentiam. Sapientia Christi fuit adeo excellens, ut judaei, audientes eum, exclamaverint: *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo* [8]. Ideo docebat turbas *sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum et Pharisaei* [9]. Imo, proposita quaestione: *Quid vobis videtur de Christo,* ita redarguit pharisaeos, ut omnes tacerent: *Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare* [10].

Haec Christi sapientia nunquam fuit superbia, imaginatione aut mentis deliquio obnubilata, quia Christus mitis et humilis corde superbiam nescivit, omnes facultates ita habuit ordinatas, ut nunquam ima-

1 *Joan.,* 10, 30.
2 *Matth.,* 27, 11.
3 *Matth.,* 26, 64
4 *Joan.,* 8, 46.
5 *Luc.,* 23, 14.
6 *I Petri, 2,* 22.
7 *Joan.,* 7, 46.
8 *Matth.,* 7, 29.
9 *Matth., 22,* 46.

ginationi aut enthusiasmo majores, quam oporteret, dederit partes, et mentis integritatem ita servavit, ut ipsum mente captum vel suspicari fuerit crimen.

ARTICULUS II

UTRUM LEGATIO DIVINA CHRISTI RITE COMPROBETUR EX EJUS MIRACULIS

218. Status quaestionis. Plura narrantur in Evangeliis a Christo Domino, dum in terris ageret, patrata miracula, quae semper fuere in apologetica Christiana argumentum divinae legationis ejusdem. «Miracula Christi, ait S. *Thomas,* talia esse debebant, ut sufficienter eum esse Deum (et legatum divinum) ostenderent» 1.

Haec miracula fecit Christus virtute divina, in quantum erat causa principalis, et per humanitatem, ut erat instrumentum divinae actionis.

Porro, sicut idem S. Doctor ibidem probat, Christus Dominus, ut totam creaturam sibi esse subjectam demonstraret, in omnibus creaturarum generibus voluit miracula patrare. 1) *Circa substantias spirituales,* daemones ab obsessis expellendo 1. 2) *Circa corpora caelestia,* tum in nativitate, stella duce, magos ad se conducendo, tum in morte tenebris solem operiendo 3. 3) *Circa homines,* mortuos suscitando, et aegros ac invalidos curando '. 4) *Circa creaturas irrationales,* aquam in vinum mutando, et panes piscesque multiplicando, etc. 0.

Hinc exsurgit difficultas maximi momenti in tota theologia, an scilicet haec prodigia, a Christo patrata, vere fuerint miracula, et divinam ejus legationem contra incredulos ac rationalistas invicte demonstrent. Miracula enim, si virtute propria a quopiam edantur, divinitatem auctoris satis arguunt, ut ex supra dictis compertum est. Unde quaestioni ut respondeatur, haec duo discutienda sunt: 1.° Utrum Christus vera miracula patraverit. 2.° Num miracula a Christo edita divinam ejus legationem liquido demonstrent.

219. Errores. 1) Judaei imprimis, qui Redemptorem nostrum praesentem viderant, docuerunt, miracula cuncta, quae a Christo patrata dicuntur, vel a daemone producta fuisse vel a causis naturalibus ignotis effecta 6.

2) Deinde cum apostoli, Judaeam relinquentes, ad gentes conversi sunt, et prodigia, quae viderant, et doctrinam, quam a Magistro acceperant, omnibus praedicare coeperunt, miracula Christi magnam in paganismo oppositionem invenerunt. Nonnulli cum *Tacito* 7 facta historica negaverunt; alii, admissa operum exsistentia, veritatem eorum philosophicam inficiati

1 *III p.,* q. 44, a. 2.
2 *III p.,* q. 44, a. 1.
3 *III p.,* q. 44, a. 2.
4 UZ *P* , q. 44. a. 3.
5 *ttt P*·. ‹l- 44. a. 4
° Vid. Talmud, *Schabbal,* 104.
7 *Annal.,* 15. 44.

sunt; ita *Lucianus Samosatenus* [1] *Porphyrins* [2], *Hierocles* [3], apostata *Julianus* [4] et alii quotquot exstiterunt Christianorum persecutores.

3) *Lutherus* [5], *Calvinus* [6] et alii protestantes, qui hodierno rationalismo viam stravere, dixerunt doctrinam Scripturarum intelligendam esse juxta testimonium internum Spiritus Sancti, et argumentum ex miraculis Christi adsumptum inutile prorsus esse ac inefficax ad Christi legationem divinam demonstrandam, nisi interno Spiritus Sancti testimonio firmetur. Magistros suos sequuti sunt *Baier* [7], *Barclay* [8], *Sender* [9] et alii.

4) Hodierni cuncti rationalistae et increduli, miraculorum possibilitatem [10] vel saltem exsistentiam [11] respuere conantur. Hinc, historiae et argumentorum vim repellere non valentes, haerent animo, et in varias abeunt sententias, imo non semel in contradictiones labuntur, nunc unam nunc aliam opinionem amplectentes.

a) Nonnulli miraculorum exsistentiam respuentes, sequuntur systema, quod ajunt *accommodationis*. Quod dupliciter explicant: 1.° In quantum Christus et apostoli sese accommodaverunt exspectationi et dispositioni animi judaeorum, et sub specie seu involucro miraculorum, quae falsa esse sciebant, corpus doctrinae moralis tradiderunt. Ita *Kant* [12], *Sender* [13] et alii. 2.0 Quatenus Christus et apostoli miracula *fraude* proposuerunt, ut alios deciperent, et suam religionem, quam noverant esse naturalem, eventuum singularitate in orbem terrarum extenderent. Ita deistae angli cum *Woolston* [14], encyclopedistae galli cum *Voltaire* [15] et nonnulli in Germania, ut *Reiniarus* [16].

b) Alii, factis historicis, quae narrantur, admissis, *interpretatione status psychologici naturalis* volunt esse explicanda miracula evangelica. Hinc in eventibus extraordinariis probe distinguendum esse ajunt factum objectivum a conceptione subjectiva. Factum, si objective inspiciatur, erat pure naturale, nequaquam miraculosum, sed quia testes et scriptores evangelici nimis ferebantur credulitate illius temporis, quae omnia divino interventui tribuebat, inde est, quod facta susceperint uti supernaturalia, et narrationes exhibuerint sub specie et characteribus miraculorum. Unde testes, qui prodigia Jesu viderant, et evangelistae qui illa narraverant, aequivocationem passi, unum pro alio acceperunt. Ita angeli, qui referuntur in nativitate Jesu apparuisse et cecinisse, nuntii erant per viam canentes; Magi, qui ab Oriente venerunt, mercatores Hierosolymam petentes; caecum a nativitate collyrii ope Jesus curavit; Jesus non supra aquas sed ad ripam maris ambulavit; mortui non erant qui dicuntur a Jesu suscitati, nec ipse Jesus

1 ***De morte peregrini,*** n. 11 sqq. (ed. Didot, p. 691 sqq.). Cfr. Vigoureux, ***Les livres saints et la critique rationaliste,*** t. 1, p. 160.

2 ***Discursus contra Christianos.*** Cfr. Eusebius, ***H. E.,*** lib. 6, c. 19; MG 20, 561; et Vigoureux, ***Les livres saints et la critique rationaliste,*** t. 1, p. 170 sqq.

3 Apud Eusebium, ***Contr. Hierocl.,*** c. 2; MG 22, 797 sq.

4 Apud S. Cyrillum Alex., ***Contr. Julianum,*** lib. 6; MG 76, 791.

5 ***De abroganda missa privata,*** § «Sed addemus».

6 ***Institut., i,*** 7, η. 5·

7 ***Comp. Theol. posit.,*** 106.

8 ***Apolog. Theol. vere christ.,*** p. 2.

9 ***Liber inquisitionis de Canone,*** 2.

10 Strauss, ***Leben Jesu.*** §§ 14 et 88, et Mr. Havet, ***Revue des Deux Mondes,*** Août 1863, p. 583. inficiantur possibilitatem miraculorum.

11 Renan, ***Vie de Jésus,*** Introd, et alii, admissa miraculi possibilitate, negant aliquando illud patratum fuisse.

12 ***La religion dans les limites de la simple raison,*** 3.ême part., η. VI.

13 ***Liber inquisitionis de Canone,*** 2.

14 ***The old Apologie for the truth of the Christian religion,*** etc. Cfr. Vigouroux, ***Les livres saints el la critique rationaliste,*** t. 2, p. 80 sqq.

15 ***Dictionnaire philosophique,*** art. «Miracles».

16 ***Wolfenbütleler Fragmente,*** η. 5.

vere mortuus est sed syncope detentus, et sic de caeteris. Its *Paulus Heidelbergensis* [1] cui accensendi sunt judaeus scriptor *Salvador* [2] et alii.

c) Sed haec theoria, vix in lucem edita, nimis ridicula visa est ipsis rationalistis, et *Strauss*[3], alius rationalista, novum excogitavit systema, quod *mythicismus* nuncupatur. *Mythum* esse ait narrationem aliquam non secundum rei veritatem factam, sed juxta ideam, quam quis mente concipit de objecto. Cum autem Vetus Testamentum mythis fuerit refertum de Christo, qui in Bethlehem dicebatur nasciturus, prodigia multa effecturus, passionem ac mortem subiturus, a mortuis surrecturus, etc., Evangelistae, qui saeculo n scripserunt [4]5imaginatione et enthusiasmo finxerunt Christum, non purum hominem, sicut de facto fuit, sed idealem ac mythicum, juxta narrationes quas a Veteri Testamento et exspectatione judaeorum acceperant. Sub hac idea et dispositione eventus extraordinarios et prodigia multa mythice de eo narraverunt. Sic ex stella Balaam finxerunt stellam Magorum, ex manna deserti multiplicationem panum, ex Eliseo Jordanem transeunte Jesum super aquas maris incedentem, etc. Ex hac explicatione *Strauss* omnes fere deinde critici rationalistae suas theorias hauserunt.

d) Doctrina *Strauss,* esto fuerit fons et origo aliarum theoriarum, nondum tamen omnino placuit quibusdam rationalistis. Hinc *Baur,* rejectis ordine supernatural! et veritate historica Evangeliorum, non tantum attendendum esse ait in critica exegetica ad mythos antiquae aetatis, quantum ad conditiones et ideas societatis, in qua scripserunt hagiographi. Quia scriptor semper participat de ideis et criteriis hominum quibuscum versatur. Evangelia autem scripta sunt, non tempore Christi, sed saeculo n, ea nimirum aetate, qua, inter christianismum aliasque religiones inita pugna, magnam catholici conceperant de Christo ejusque religione aestimationem, et sic faciliter finxerunt prodigia, quae a Christo patrata crediderunt. Unde Christianismus, prout hodie invenitur, progressu temporis constitutus est. Ita *Baur* [6]7cum tota *schola Tubingensi,* quem sequuntur *Beyschlag* [8]·, *Holtzmann* [9]', *Harnack* [10] et alii.

e) Ex theoriis *Pauli, Strauss* et *Baur* nata est *schola critica* hodierna, quam turba multa incredulorum professa est. Nuperi hostes Christianismi, acceptis partim doctrinis expositis et novis partim inventis, tot ridicula in hac parte finxerunt systemata, ut quid tandem dicere velint, vix unquam adsequi valeas, *Pfleiderer* [9] narrationes miraculosas excitationi apostolorum tribuit; veritatem historicam negat *Renan* [10]plerisque miraculis Christi, exceptis scilicet curationibus morborum et expulsionibus daemonum, quae, cum fuerint nervorum et imaginationis aegritudines, ad praesentiam et locutionem superioris personae naturaliter evanuerunt[11]. Oblitus est fortasse *Re-*

1 ***Exegetisches Handbuch fiber die drei ersten Evangetien;*** et ***Leben Jesu,*** t. II, p. i, § 136·

2 ***Histoire des instil, de Moise,*** t. 1.

3 ***Leben Jesu,*** 1, §8 sqq. et §§ 13, 14 et 15.

4 «Cet argument serait en effect décisif, si il était 'prouvé que Thistoire biblique a été écrite par de témoins oculaires, on du moins par des hommes voisins des événements». Strauss, ***Vie de Jésus,*** Introd., § 13 (gallice vers.).

5 ***Kritische Untersuch. fiber die kanon Evang.***

8 ***Leben Jesu,*** 1, 322.

7 ***Leben Jesu,*** 255.

8 ***Chronologie der altchrist. Litteratur bis Eusebius.*** In opere ***Das Wesen des Christentums,*** coll. 2, docet miraculum, si pro infractione ordinis naturalis accipiatur, esse impossibile.

9 ***Religions philos.***

10 ***Vie de Jésus,*** c. 16 et alibi.

11 «'Presque tous les miracles que Jésus crut exécuter paraissent avoir été des miracles de guérison. La médicine était à cette époque en Judée, ce qu'elle est encore aujourd'hui en Orient, c'est à dire, nullement scientifique, absolument livrée à l'inspiration individuelle... Dans un tel état de connaissances, la présence d'un homme supérieur, traitant le malade avec douceur, et lui donnant par quel-

nan hujusmodi curationes ad distantiam interdum productas fuisse. Theorias *Renan,* quae non sunt nisi modificationes doctrinae *Strauss,* hodie plures sequuntur ex rationalistis.— *Weiss,* et cum eo *liieser, Dupotet* et alii volunt *magnetismi animalis* vel *mesmerismi* ope Christum patrasse miracula. Ac tandem, ut plura deliramenta omittamus, *Albertus Bonjeon, Liegeois, Bernheim, Skepto, Carpenter* et alii miracula Christi et Sanctorum nihil aliud esse dixerunt nisi effectus *suggestionis* et *hypnotismi.* Modernistae, rationalistarum theorias ut de more sequuti, docent leges naturae ita latuisse homines in antiquitate Christiana, ut omnis manifestatio divinae voluntatis per aliquem effectum inconsuetum vocaretur miraculum. Quaelibet activitas Dei magis *sensibilis,* extraordinariae scilicet cursus hujus vitae mundique manifestationes, quae juxta principia scientiarum sunt parum *communes,* ad ordinem tamen pure naturalem pertinentes, sub fide consideratae dicuntur miracula, consideratae sub ratione pertinent ad provinciam scientiae ac philosophiae. Ita *Loisy* sub pseudonimo *Firmin* [1] et alii.

Haec et alia deliramenta ut respueret, Ecclesia catholica semper tenuit Christum Dominum vera miracula virtute propria edidisse, et ex illis luculentum argumentum in favorem legationis Jesu Christi adsumi posse.

220. Thesis I. Christus, dum in terris ageret, vera patravit miracula.

Arg. Plura effecit Christus prodigia, quae *historice* certa sunt, et *philosophice* considerata ordinem totius naturae superant. Ergo.

Historice. Sequentia praesertim referuntur in Evangeliis a Christo patrata miracula:

221. A) Circa substantias spirituales.

1. In synagoga Capharnaum hominem liberavit a daemone. *Marci,* 1, 23-27; *Lue.,* 4, 33-37.

2. A caeco nato daemonium ejecit. *Matth.,* 12, 22-45.

3. In regione Gerasenorum duo daemonium habentes, *saevi* nimis, liberantur. *Matth.,* 8, 28-35.

4. Mutus quidam, qui a daemonio tenebatur, sanatus est. *Matth., 9,* 32-33.

5. Filia mulieris Chananaeae, quae a daemone vexabatur, liberata est. *Matth.,* 15, 21-28.

6. Puerum lunaticum a daemone liberavit et sanavit. *Matth.,* 17, 14-20.

7. Mulier a spiritu infirmitatis liberata est. *Lue.,* 13, 11-13.

Praeterea dicitur *Matth.,* 8, 16: *Obtulerunt ei multos daemonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo a.*

Angeli denique apparuerunt canentes in Christi nativitate, *Luc., 2,* 13, ministraverunt ei in deserto, *Matth.,* 4, 11, et unus confortavit ipsum in horto Gethsemani, *Luc.,* 22, 43.[2]

ques signes sensibles l'assurance de son rétablissement, est souvent un remède décisif». Renan, ***Vie de Jésus,*** c. i6, § «Il est impossible».

[1] Vide Alberto M. Weiss, ***Rijorma delta religione,*** c. 4, n. 4 (ital. versa).

[2] Hos omnes daemoniacos Paulus Heidelbergensis, ***Exeget. Handbuch liber die drei ersten Evangelien,*** fatuos esse judicavit, non a daëmonio vexatos. Strauss, ***Leben Jesu,*** § 90-91 obsessionem diabolicam impossibilem esse consult, et casus in textu relatos, si historice admittantur, affectiones esse morbosas, tunc temporis nondum cognitas, quae tamen statum psychologicum et mentalem patientis non leviter turbare natae sunt. Angeli, qui apparuerunt, nuntii sunt juxta Paulum faces ferentes, vel alio munere fungentes, et juxta Strauss ex rubo ardenti Moysis mythice confecti sunt.

222. B) Circa corpora caelestia.

Stella apparuit in Christi nativitate et Magos perduxit ad praesepe, *Matth.,* 2, 2 sqq. x; in baptismo Jesu aperti sunt caeli, et Spiritus Dei descendit in columbae specie, *Matth.,* 3, 16-17 2. Tenebrae factae sunt in morte Christi, *Luc.,* 23, 44 2.

223. C) Circa creaturas rationales.

1. *Tres mortuos suscitavit,* fidam scilicet archisynagogae Jairi, *Matth.,* 9, 18-25; fihum viduae Nairn, *Luc., 'I,* 11-17: et Lazarum a quatuor diebus sepultum et jam foetentem, *Joan.,* 11, 1 sqq. 4.

2. *Aegros curavit.* Quùidecim referuntur curationes a Christo mirabiliter peractae; scilicet, sanati sunt: leprosus quidam. *Matth.,* 8, 1-4; decem leprosi, *Luc.,* 17, 12-19 5; socrus Petri febricitans, *Matth.,* 8, 14-15; paralyticus ad probaticam piscinam, *Joan.,* 5, 1-15 6; alius paralyticus, *Matth.,* 9, 1-7 7; filius reguli Caphamaum in distantiam, *Joannis,* 4, 46-54 8; servus centurionis etiam distans, *Matth.,* 8, 5-13 °; homo habens manum aridam, *Matth.,* 12, 9-13 10; mulier quae fluxum sanguinis patiebatur, *Matth.,* 9, 20-22 11; duo caeci, *Matth.,* 9, 27-31; alii duo caeci in Jericho, *Matth.,* 20, 29-34; alius caecus in Bethsaida, *Mare.,* 8, 22-26; caecus a nativitate, *Joan.,* 9, 1 sqq. 12; surdus-mutus, *Mare.,* 7, 32-37; et hydropicus, *Luc.,* 14, 2-6.

1 Paulus hanc stellam cometem vocat naturalem, visum a mercatoribus (Magis), et Strauss mythum ex stella Balaami.

2 Juxta Paulum nubes fuit et fulgur ac columba naturalis forte ei supervolitans.

3 Renan, ***Vie de Jésus,*** ch. 25, vult caelum fuisse nubibus obductum.

4 Paulus, Renan et alii putant Lazarum et alios non fuisse vere mortuos, sed ad summum syncope detentos. Hase, ***Geschichtc Jesu,*** ait historice decidi non posse, num Lazarus vere mortuus fuerit. Strauss negat omnino narrationes historicas, et ad mythos eas ablegat.

6 Paulus adserit leprosos illos jamjam convaluisse, cum Christum allocuti sunt. Strauss negat veritatem narrationis.

6 Paulus censet fuisse hominem melancholicum, non paralyticum.

Protestantes communiter (cfr.. Fabrairn, ***The life and times of Jesus the Messiah,*** vol. I, c. 12) et pauci catholici cum Sepp, ***Leben Jesu,*** quibus libenter subscribunt plures rationalistae, dixerunt in probatica piscina fuisse aquas minerales, quae virtutem curativam continebant. Paulus, ***Exeg. Handb.,*** 2, p. 241 ait Christum Dominum nullam in casu perfecisse curationem sed detegisse tantummodo fraudem unius hominis, qui per triginta et octo annos se finxit infirmum.

7 Strauss censet narrationem fide destitutam.

8 Paulus, ***Comment. Joan.,*** 4, et Hase, ***Leben Jesu,*** § 68, volunt Jesum arte medicinae cognovisse statum infirmitatis et curationem annuntiasse.

° Paulus, ***Exeget. Handbuch,*** 1, 710 sqq. contendit Jesum non per se et ad distantiam, sed mediantibus apostolis, quos illuc misit, hanc curationem effecisse. Strauss, servum Centurionis cum filio reguli confundens, contradictionem Matthaeum inter et Joannem invenire conatus est, et narrationes utpote contradictorias rejecit.

10 Keim, ***Jesu von Nazara,*** 2, p. 465, ait hominem illum non manum aridam habuisse, sed rheuma detentam, quod interdum subito curari potest.

11 Paulus. ***Leben Jesu,*** 1, p. 244, id naturaliter explicat dicetjs mulierem illam, accessum nervorum ob imaginationis vim pati solitam, ad tactum vestimenti Jesu pacatam fuisse. Strauss hanc curationem tribuit ***virtuti magneticae,*** quam novit Jesus a se exiisse, cum Luo., 8, 46 ait: ***novi virtutem de me exiisse.***

12 Paulus, ***Leben Jesu,*** t. 1. § 129 hanc caeci curationem effectam esse vult ope collyrii cujusdam, saepius forte repetiti, et postea aegrotum ad balnea missum

224. D) Circa creaturas irrationales.

1. Aquam in vinum convertit in nuptiis Canae Galilaeae. *Joannis,* 2, 1-11.

2. Multitudo piscium miraculose capta est. *Lue.,* 5, 1-11.

3. Iterata piscatio ad nutum Domini. *Joan.,* 21, 1-13.

4. Tempestas maris subito sedata est. *Matth.,* 8, 23-271.

5. Christus super mare Galilaeum ambulavit. *Matth.,* 14, 26 sqq. 2.

6. Petrus ad solum Jesu imperium super mare ambulavit. *Matthaei.* 14, 29-34.

7. Paucos panes et pisces bis ita multiplicavit, ut ingentem hominum multitudinem satiaret. *Matth.,* 14, 15-21; et 15, 32-38 3.

8. Ficulnea ad verbum Christi subito aruit. *Matth.,* 21, 17-22.

9. Christus in monte transfiguratus est. *Matth.,* 17, 1-9 4.

225. *Haec porro prodigia, quae Evangelistae narrant, historice vera sunt.* Quia

1) Testes, qui illa referunt, sunt omnino fide digni. *Matthaeus* et *Joannes* praesentes illa viderunt, et *Marcus* et *Lucas* a testibus oculatis acceperunt. Qua ergo ratione testimonium evangelistarum rejiciatur? lidemet, qui aha Christi gesta, a rationalistis accepta et laudibus celebrata, exposuerunt, miracula retulerunt. Cur rationalistae illos in quibusdam fide dignos in aliis deceptores exsistiment?

2) Christus publice saepe et coram multitudine miracula patrare consuevit, ita ut regio tota interdum commoveretur, et Pontifices ac Pharisaei concilium ineuntes dicerent: *Quid jacimus, quia hic homo multa signa facit?* 5.* Ipsi inimici non semel, haec prodigia videntes, juridice de quibusdam inquisierunt, ut factum esse legimus de curatione paralytici ad piscinam 0, de caeco nato 7, de Lazaro resuscitato 8, etc.

3) Argumentum contra veritatem historicam miraculorum Christi, nuper inventum a rationalistis, ignotum fuit omnino antiquitus. Omnes etenim SS. Patres et scriptores ecclesiastici, imo judaei et gentiles, qui magis accesserunt ad Christum, testimonium reddiderunt de veri-

esse (ad natatoria Siloe). Strauss, quia narrationem non invenit in aliis Evangeliis, mythicam judicavit.

1 Paulus cum aliis putat tempestatem naturaliter sedatam fuisse, et Christum in causis naturalibus hanc tranquillitatem praevidisse, Strauss addit de more narrationem esse mythicam, et mythum formatum fuisse a scriptoribus ex idea, quam habebant de transitu maris rubri.

2 Paulus, cum schola naturalists vult Jesum non super aquas sed ad littus maris incessisse. Strauss ad mythum recurrit, quem ait esse conceptum ex eadem narratione de transitu maris rubri.

3 Naturalistae cum Paulo docent Christum non multiplicasse panes et pisces, sed, cum aliquos esurientes conspiceret, panes et pisces, quos habebat, inter eos distribuisse, quo exemplo moti divites, qui sequebantur, cibos deinceps pro omnibus appulerunt. Strauss, ***Vie de Jésus,*** t. 2, § 99, mythicam interpretationem adhibet, quam ait esse ex manna deserti acceptam. Beischlag, ***Leben Jesu,*** I, 330, et Weinel, in ***Christi. IVelt,*** dicunt Christum inter praesentes provisiones collegisse.

1 Juxta Paulum transfiguratio somnus fuit.

s ***Joan.,*** Ii, 47.

" ***Joan.,*** 5, 2 sqq.

7 ***Joan.,*** 9, i sqq

* ***Joan*** , ii, 38 sqq.

tate narrationis evangelicae. S. Petrus imprimis judaeos ita affatus est: *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis el signis, quae jecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis* I. Principem Apostolorum sequuti sunt omnes SS. Patres.—Pseudo *Barnabas* 1 refert Christum Dominum docuisse populum Israel in multis *miraculis* et *signis. S. Justinus* 3 diserte ait Salvatorem nostrum caecos, mutos et claudos curasse. *Quadratus,* primus apologista saeculi n et Episcopus Atheniensis (117-127), in sua apologia ad Hadrianum Imperatorem haec habet: «Servatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent: ii scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum, dum sanabantur, aut ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, secuto deinceps tempore. Nec solum quandiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint» 4. Gentiles ipsi, ut *Celsus* 5,* etsi veritatem philosophicam miraculis Christi denegaverint, historice tamen ea ut vera retulerunt magicis artibus putantes esse effecta B. Ipsi denique judaei, qui Christo proximiores fuerunt, et cum eo versati sunt, admiserunt opera Christi. Unde *Talmud,* recensitis vitae ac mortis Jesu circumstantiis, addit miracula eum per artem magicam operasse.—Denique, celebre est testimonium *Flavii Josephi,* qui statim post mortem Christi vitam duxit (27-94), et *Antiquitatum Judaicarum* opus scribens haec habet": «Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est: fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt; multosque judaeos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus 89 Quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem» e. Veritas igitur historica miraculorum Christi tot antiquorum

1 ***Ad., 2,*** 22. Hunc librum concedit Renan, ***Vie de Jésus,*** Introd., fuisse a Luca Evangelista conscriptum.

2 ***Epist.,*** c. 5; MG 2, 736.

3 ***Dial, cum Triph.,*** 69; MG 6, 640.

4 Cfr. Euseb., ***Hist, eccl.,*** lib. 4, c. 3; MG 20, 308. Tertullianus, ***Apolog.,*** c. 21; ML 1, 452 sqq.; Arnobius, ***Adv. Gent.,*** lib. 1, c. 42; ML 5, 772; S. Gregorius Nazianzenus. ***Orat.*** 40, ***in S. Baptistam,*** c. 29; MG 36, 400.

5 Apud Origenem, ***Adv. Celsum,*** I, 38; MG 11, 733.

° Vid. Plinius, ***Ep.,*** lib. 10, ep. 97.

' ***Ant. Jud.***. Iib.zi8, c. 3, n. 3. (Ed. Didot, p. 699.)

8 In alia lectione habetur: «Hic dicebatur Christus».

9 Textus sic integer, vel paucis adjectis modificationibus legitur in opere Josephi, et in tota antiquitate acceptus fuit absque ulla controversia. Sed nuperi rationalistae et non pauci catholici (cfr. R. Draquet, ***Revue d'Hist. ecclesiastique,*** Oct. 1930, p. 333 sqq.), eum supposititium vel saltem interpolatum censent, eo quod primi apologetae ante Eusebium, ut Justinus, qui contra Judaeos disputavit, altum de verbis Josephi servaverint silentium. Nihilominus «genuinitas, ut apposite ait Lahousso (n. 193 nota), comprobatur; extrinsece quidem, tum quia hic locus non deest nisi hebraicae alicui versioni a Judaeis confectae, eum vero habent omnes

testimoniis comprobata, quamvis propositis et votis rationalistarum minime respondeat, negari non debet.

Philosophice. Opera mirabilia, quae narravimus, superant omnino vires totius naturae. Quis unquam audierit cadaveri a natura vitam esse restitutam [1], caeco nato visum datum aut hominem solo vocis imperio a lepra mundatum? Quando natura paralyticos subito curavit [2], panes et pisces multiplicavit, aquam in vinum convertit? Quis unquam propria virtute super aquas incessit? Quae si naturaliter fieri nequeunt, minime dubitandum, quin veritas philosophica miraculorum Christi certissime pateat.

Hoc magis perspicuum fiet, si *personae* operantis et ipsius *operis* circumstantiae diligenter inspiciantur. *Persona* quippe operans sanctitatem undique redoluit. *Opera* fuerunt in se honesta, et ad honorem Deo tribuendum apta, subito et absque ullo adhibito remedio, imo non semel ad distantiam, patrata sunt, omnia ad misericordiam charitatemque erga proximum exercendam ordinata [3].

Imo miracula plerumque edidit Christus mediis non proportionatis ad effectum, ut certe fuit applicatio luti ad visum restituendum.

Ex quibus sic arguere licet cum cl. *Ottiger* [4]. Certum est eventus extraordinarios vere contigisse. Alia virtus eos efficiens admitti nequit quam divina (immediate aut mediate) vel diabolica. Diabolica illis efficiendis fuit impar. Ergo virtute divina patrata sunt, ac proinde vera miracula fuerunt.

226. Thesis II. Miracula Christi ejus divinam legationem liquido demonstrant.

Arg. I. Christus Dominus diserte adseruit se esse a Deo missum et virtute divina ornatum, idque miraculis confirmavit, ut manifestum est ex Evangelio *Matthaei,* 9, 6-7, ubi virtutem dimittendi peccata, quae certe divina est et divinitati propria, confirmavit miraculo dicens: *Ut*

codices graeci et latini, tum quia affertur ab Eusebio Caes., quidicit eum ex codice Hierosolymitano descriptum *(H. E.,* lib. I, c. 11; MG 20, 117): ab Hieronymo, qui eum latius transtulit *(De viris illustribus,* c. 13; ML 23, 662), et innumeris graecis et latinis. (Cfr. Hurter, *Theol.,* t. 1, n. 57, et Hergenrother, *Kirchengesch. supp.,* p. 19). Ad eum provocatur ab Isidoro Pelusiota (4, *epist.* 225; MG 78, 1320): Sozomeno *(Hist, eccl.,* i, 1; MG 87, 856). Intrinsecus vero, tum quia parum probabile est Josephum, qui scripsit versus finem primi saeculi, tacuisse de Jesu, cujus memoria tunc magna erat apud Christianorum multitudinem, tum quia facit disertam mentionem de Joanne Baptista et de Jacobo, tum quia lingua et stylus Josepho prorsus conveniunt». Cfr. Hettinger, *Theol. fund.,* § 30.

1 Tindall apud Pesch, *Grandes arcanos dei universo,* t. 2, p. 436, serio adseruit tempus aliquando fore, in quo mortui naturaliter resurgant.

2 Renan, *Vie de Jésus,* c. 16, ait aegrotos qui nullam patiuntur laesionem organicam, exquisitae personae gracili visu, aut etiam risu, saepe curari. Ad quod facete respondet Tanquerey: «Cur rationalistae, qui certe exquisitis dotibus praefulgent, aegrotos in nosocomiis jacentes saepius non invisunt, gracilique risu et verbis amoenis leprosos, caecos a nativitate, surdos et mutos curare non attentant?» *De vera religione,* n. 406 (ed. 1914).

3 Cfr. omnino, quae Lactantius, *Inst. div.,* 4, 26; ML 6, 525, ad rem apposite dixit.

4 *Theol. fund.,* § 45.

autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et surrexil et abiit in domum suam. Miracula autem fieri non possunt, nec a Deo permittuntur, in confirmationem erroris. Ergo miracula Christi demonstrant ejus legationem divinam x.

Arg. II. Christus non semel ad sua miracula provocavit, ut ostenderet se esse Deum. Nam a) cum audisset Joannes Baptista opera Christi, sciscitari voluit, quis ille esset; misitque ad eum duos discipulos qui dixerunt: *Joannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es. qui venturus es, an alium exspectamus?* 1. Tunc autem Jesus multos publice curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis, visumque donavit caecis multis, et respondit eis (v. 22): *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis: quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Ex quo patet Christum miraculis legationen suam comprobare voluisse. Item, quando judaei Christum lapidare voluerunt, quia dixit se esse consubstantialem Patri, ad opera appellavit dicens: *Si non jacio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem jacio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre* 3. Quasi diceret: si adsertionem meam *ego et Pater unum sumus* non vultis admittere, saltem operibus meis, id est, miraculis., quae testimonium perhibent de me, credite. Et alibi: *Loquor vobis et non creditis mihi: opera, quae ego jacio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me* 4.* Consulto ergo Jesus et miracula patravit, et ad ea jugiter appellavit, ut legationem suam demonstraret.

Arg. III. Ex his miraculis saepe persuasi sunt turbae et apostoli de Christi messianitate. Nam a) turbae, cum haec miracula conspicerent, stupuerunt et dixerunt: *Numquid hic est filius David?* s. Quare: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur*6. Unde non pauci dicuntur conversi propter miracula, ut Nicodemus 7, caecus natus 8 et alii, b) Apostoli quoque ita ex miraculis intellexerunt legationem Christi, ut Petrus, post panum multiplicationem, hanc nomine omnium emiserit confessionem: *Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei*9. Item *Joannes* dicit: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut*

1 Paucis S. Thomas liane rationem exponit ***III p.,*** q. 43, a. 4, dicens: «Tertio (miracula, quae fecit Christus erant sufficientia ad manifestandam divinitatem ipsius) ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat, quae, nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis; et ideo dicitur Marci, 1, 27: ***Quaenam doctrina haec nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei?***

2 ***Lue., y,*** 20 sqq.

3 ***Joan.,*** 10, 37-38.

1 ***Joan.,*** 10, 25. Cfr. ***Joan.,*** 5, 36-37; et 14, 10 sqq.

6 ***Matth.,*** 12, 23.

° ***Joan.,*** 6, 2.

7 ***Joan.,*** 3, 2.

8 ***Joan.,*** 9, 35-38.

° ***Joan., 6,*** 70.

credatis, quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus[1].

227. Scholion I. His ita propositis, potest ulterius quaestio proponi, utrum Christus propria virtute miracula patraverit vel solum moraliter aut etiam instrumentaliter ad modum Sanctorum, qui oratione ac precibus obtinuerunt, ut ea Deus operaretur.

Fuit quorumdam error, qui miracula Christi negare non valentes, dixerunt Christum non fuisse causam principalem, sed moralem vel ad summum instrumentalem, miraculorum, sicut sancti homines ea precibus operari consueverunt.

Ad praesentem quaestionem de divina legatione Christi quod attinet, nihil refert, an Christus fuerit causa principalis, moralis vel instrumentalis miraculorum; quia, cum miracula patrata fuerint in confirmationem legationis Christi et nunquam operentur in confirmationem erroris, sequitur ex praefatis miraculis certissime divinam Christi legationem demonstrari.

Caeterum, ut res clarior relinquatur, et materiae tractatio fiat locupletior, breviter discutienda est quaestio de influxu Christi in miracula.

Ad cujus intelligentiam diligenter notandum est miraculorum, sicut et cujuslibet alius operationis, causam et principium esse duplex; principium *quod* et principium *quo.* Principium *quod* operationum Christi fuit secunda persona SSmae. Trinitatis, non ut relativa et ab aliis personis distincta, sed quatenus erat Deus, et identificabatur cum natura divina. Ex operationibus Christi *quaedam* erant divinitati propriae, ut creare, in quibus humanitas nullam habebat partem[2]; *aliae* fiebant mediante humanitate, ut super aquas incedere. Quia tamen persona operans in Christo erat divina, ideo Christus, ut principium *quod,* fuit causa principalis, non moralis aut instrumentalis, miraculorum. Unde actiones hujusmodi merito vocantur *theandricae,* id est, *dei-viriles,* a pseudo Dionysio[3] et aliis.

Principium *quo* miraculorum Christi fuit duplex, *natura divina,* prout virtualiter distinguitur a supposito, et *natura humana,* a) Natura divina fuit etiam in suo genere causa principalis et primaria miraculorum, quia nullatenus fuit alteri subordinata. b) Natura humana, si consideretur ut principium *quo* actionum, cum non fuerit ex se omnipotens, nequit dici causa principalis miraculorum, sed *moralis* et *instrumentalis. Moralis* quidem, quia, ut ait S. *Paulus, in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*[4]. *Instrumentalis* vero, in quantum divinitas, mediante natura humana, effecit illa prodigia.

228. Scholion II. Disputatur quoque inter theologos, an humanitas Christi fuerit instrumentum physicum vel morale miraculorum. Qua in re tenendum arbitramur cum S. *Thoma*[5] et aliis contra nonnullos humanitatem Christi fuisse causam instrumentalem physicam miraculorum. Hoc enim probare videntur textus Evangeliorum dicentium: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes*[6]; et rursum: *Ego novi,* ait Christus, *virtutem de me exiisse*[7].

[1] ***Joan.,*** 20, 30-31. Alias duas rationes affert S. Thomas, ***III p.,*** q. 43, a. 4, ut probet miracula Christi esse sufficientia ad manifestandam legationem ipsius. «Primo quidem, ait, secundum ipsam speciem operum, quae transcendebant omnem potestatem creatae virtutis: et ideo non poterant fieri nisi virtute divina... Secundo, propter modum miracula faciendi, quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alii».

[2] Cfr. S. Cyrillus, ***Ep.*** 40 ***ad Aeacium Mel. episc.;*** MG 77, 196.

[3] ***Ep.*** 4, ***ad Cajum;*** MG 3, 1072.

[4] ***Hebr.,*** 5, 7.

[5] ***III p.,*** q. 13, a. 4. Vide Urraburu, ***Cosmol.,*** lib. 1, disp. 4, c. 2, a. 2, n. 115 sq., circa mentem S. Doctoris.

[6] ***Luc., 6,*** 19.

[7] ***Luc., 8,*** 46.

Quae verba influxum physicum innuunt proculdubio. Cfr. dicenda in *Tr. de Verbo incarnato* *.

ARTICULUS III

UTRUM EX VATICINIIS A CHRISTO EDITIS ET EVENTU COMPROBATIS DIVINA EJUS LEGATIO DEMONSTRETUR

229. Status quaestionis. Prophetia seu vaticinium definitur a theologis: *Certa cognitio et -praedictio eventus luturi, qui naturaliter sciri non potest.* Quaedam futura contingentia a Christo fuisse praevisa et annuntiata vix probatione indiget; sed, ut legatio divina Servatoris nostri undique probata maneat, tria hic breviter enucleanda suscipimus, videlicet:

Ꝑ. Utrum Christus vera vaticinia ediderit; 2.° num haec fuerint eventu completa; et 3.° an divinam ejus legationem certo demonstrent.

230. Errores. Plures hodierni rationalistae dicunt Christum nunquam edidisse vaticinia, praedictionesque eventuum futurorum, quae in Evangeliis narrantur, valore historico carere. Ita *Strauss* [2], *Havet* [3] et alii.

Alii, narrationis authentiam admittere coacti, eventuum praevisionem naturaliter explicare conati sunt. Sic *Holtzmann* [4] et partim *Renan* [5].

231. Thesis I. Christus vera edidit vaticinia, quae eventu completa sunt.

Prob. utraque pars.

Plura praedixit Christus quae spectabant ad *se ipsum, ad discipulos, ad luturam Ecclesiae sortem, et ad judaeos, eorumque civitatis ac templi eversionem.* Haec autem futura, contingentia cum fuerint, nequiverunt, ut compertum est, humana mente naturaliter praevideri. Ergo Christus prophetavit ac vaticinia edidit. Atqui haec eventu completa sunt, ut videbimus. Ergo Christus vaticinia edidit, quae eventu completa sunt [6].

1 Utriusque naturae, divinae et humanae, munia praeclare expressit Hormisdas, ***Epist.*** 79 (ML 63, 514), dicens: «Servans quod ex Patre erat, et repraesentans quod ex matre suscepit. Nam jacens in praesepio videbatur in caelo, involutus pannis adorabatur a magis, inter animalia editus ab angelis nuntiabatur, vix egressus infantiam et annuntians mysticam sine instituente doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens caelestia signa virtutum. Idem enim Deus et homo...: id est, virtus et infirmitas, humilitas et majestas, redimens et venditus, in cruce positus et caeli regna largitus; ita nostrae infirmitatis particeps, ut posset interimi, ita ingenitae potentiae dominus, ne posset morte consumi; sepultus est juxta id, quod homo voluit nasci, et juxta id, quod Patri erat similis, resurrexit, patiens vulnerum et salvator aegrorum, unus defunctorum et vivificator obeuntium».

2 ***Leben Jesu,*** 2, § 112.

3 ***Revue des Deux Mondes,*** Avril, 1881.

4 ***Hand komnientar,*** I.

5 ***Vie de Jésus,*** ch. 13 et 21.

6 Lubet hic quaedam vaticinia a Christo edita eventuque completa breviter referre in confirmationem argumenti:

232. Thesis II. Vaticinia a Christo edita et eventu completa divinam ejus legationem invicte probant.

Arg. Vaticinia nunquam eduntur nec edi possunt in confirmationem erroris, sed semper in favorem veritatis quam probant atque confirmant. Sed Christus non semel edidit vaticinia in confirmationem suae

CIRCA SE IPSUM

Prophetia.	Complementum.
Ecce ascendimus Hierosolymam et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget. Matth., 20, 18 sqq.; ***Mare.,*** 10, 33.	***Tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, ubi Scribae et seniores convenerant... dixerunt: reus est mortis... vinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato praesidi. Matth.,*** 26, 57 sqq. ***Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur... et expuentes in eum acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus. Matth.,*** 27, 26 sqq.; ***Mare.,*** 14, 64.

CIRCA DISCIPULOS

Proditio Judae. ***Qui intingit mecum manum in paropside hic me tradet... Judas... dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Matth.,*** 26, 23 sqq.	***Judas ergo cum accepisset cohortem et a Pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. Joan.,*** 18, 3; ***Matth.,*** 26, 47; ***Mare.,*** 14, 43; ***Luc.,*** 22, 47.
Discipulorum fuga. ***Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergenter oves. Matth.,*** 26, 31.	***Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Matth.,*** 26, 56.
Trinam Petri negationem praenuntiavit. ***Matth.,*** 26, 34; ***Luc.,*** 22, 34; ***Joan.,*** 13. 38.	Petrus autem Jesum ter negavit, ut singuli Evangelistae diserte testantur. ***Matth.,*** 26, 69-74; ***Luc.,*** 22, 55-61; ***Joan.,*** 18, 17-27.
Apostolorum persecutiones praedixit. ***Matth.,*** 10, 17 sqq.	Notum est ex ***Actibus Apostolorum*** 4, 1-18, et ex omnibus historiis, quot molestias Apostoli sustulerint.

CIRCA FUTURAM ECCLESIAE SORTEM

Prophetia.	Complementum.
Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Matth., 17, 18.	Ecclesia catholica non obstantibus persecutionibus, quas undique patitur, semper progreditur, et immobilis stat.

CIRCA JUDAEOS EORUMQUE CIVITATIS AC TEMPLI EVERSIONEM

Rebelliones. ***Audituri enim estis proelia et opiniones proeliorum... Consurget enim gens in gentem et regnum in regnum et erunt pestilentiae ei fames, et terracmotus per loca. Matth.,*** 24. 6-7.	Circa annum 66 post Christum seditiones, tumultus ac rebelliones undique in Judaea exarserunt. Hinc Tacitus, ***Hist.,*** lib. i, c. 2, a Nerone usque ad Vespasianum gesta relaturus ait: «Opus

legationis, eaque eventu completa sunt. Ergo vaticinia a Christo edita et eventu completa divinam ejus legationem invicte probant. *Maior* ex hoc patet quod vaticinia semper eduntur spiritu quodam prophetico divinitus accepto, qui prophetam instruit de eventibus futuris naturaliter ignotis. Hic autem spiritus non potest concedi in confirmationem erroris, quin ipse Deus fiat fraudis ac mendacii patronus.

***Surget gens conlra gentem et regnum adversus regnum, et terraemotus magni erunt per loca, et pestilentiae et fames, terroresque de caelo, ct signa magna erunt. Luc.,* 21, 10-11.**

adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Quatuor principes ferro interempti. Trina bella civilia, plura externa, ac plerumque permixta». Cfr. Flavius Josephus, qui ***De Bello Judaico,*** lib. 2, c. 12 sqq., seditiones Judaeorum illius temporis minutim describit.

Terrores autem et signa de caelo refert Tacitus, ***Hist.,*** lib. 5, c. 13, dicens: «Visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum. Expassae repente delubri fores et audita major humana vox ***Excedere deos,*** simul ingens motus excedentium».

Pseudo-Prophetae. ***Multi pseudoprophetae surgent et seducent multos. Matth.,*** 24, 11.

Teudas, Simon Magus, Judas Gaulonitides, Sadoc et alii pseudo-prophetae a Josepho, ***Antiq.,*** 18, 1, descripti, noti fuerunt in Judaea, de quibus idem Josephus, ***De Bello Jud.,*** lib. 6, c. 5, n. 3, ait: «Miserandam plebem seductores seque a Deo missos mentientes tum suadendo decipiebant».

Excidium Jerusalem templique eversio.

Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus. Luc., 21, 20.

Et ut appropinquavit (Jesus), videns civitatem, flevit super illam dicens... quia venient dies in te, et circumdabunt te, ct coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem ***eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Luc.,*** 19, 43-44.

Amen, dico vobis: non derelinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Matth., 24, 2.

Vespasianus, an. 67, bellum contra Judaeos, qui insurrexerant, duxit, totamque regionem devastavit. Vespasiano autem in Imperatorem electo, Titus, ejus filius, cum ingenti exercitu moenibus civitatis circa annum 70 castra movit. Tunc christiani, memores vaticiniorum Christi, Pellam, civitatem Pereae in Galilaea, petierunt.—Euseb., ***Hist.,*** lib. 3, c. 5: MG 20, 221.—Civitas vero post longam obsidionem, in qua juxta Josephum, ***De Bello Jud.,*** lib. 6, c. 9, n. 3, undecim centena millia Judaeorum fame, peste et clade periere, capta est, atque diruta. Ipsum quoque templum, quod Titus praeceperat illaesum servari, face a quodam milite non sine mysterio adhibita, flammis subversum novimus. Cfr. Josephus, ***De Bello Jud.,*** lib. 6, c. 4, n. 7; et Hergenrôther, ***Hist, de la Igl.,*** t. I, p. 204.

Hanc de Jerusalem et templi eversione prophetiam ita esse claram fassus est Strauss, ***Leben Jesu,*** 2, ut Evangelia, quae eam narrant, censucrit excidio civitatis et templi destructioni posteriora.

ARTICULUS IV

UTRUM DIVINA LEGATIO CHRISTI DEMONSTRARI QUEAT EX SUA A MORTUIS RESURRECTIONE

233. Status quaestionis. Christus Dominus expresse docuit [1] gravissimum suae divinitatis argumentum esse suam e mortuis resurrectionem; et S. *Paulus* ait: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo 'praedicatio nostra, inanis est et fides nostra* [2]. Apostoli semper id praedicaverunt et miraculis confirmarunt; Ecclesia jugiter id docuit, et fideles unanimi consensu idem tenuere. Momentum hujus rei non praeteriit rationalistas, qui nihil intentatum reliquerunt, ut veritatem resurrectionis inficiarentur, et argumentum pro divina Christi legatione inde adsumptum infirmarent.

Porro resurrectio Christi potest dupliciter considerari: ut est *prophetia,* et ut est *miraculum,* a) Ut *prophetia* quidem, quia Salvator noster saepius eam praedixit: *Ecce,* inquit, *ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget* [3]. Et iterum: *Occident eum et tertia die resurget* [4]. Apostolis denique in ultima coena dixit: *Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam* [5]. b) Ut *miraculum,* quia excedit omnes naturae creatae vires.

Sive consideretur ut *prophetia* sive ut *miraculum,* praecipuum in hac materia est vaticinium de resurrectione eventu confirmatum esse, seu,

DISPERSIO JUDAEORUM

Cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum. Luc., 21, 24.

Juxta Josephum, ***De Bello Judaico,*** lib. 6, c. 9, n. 3, 97.000 Judaeorum capti sunt in Jerusalem, qui in captivitatem ducti ac per totum orbem dispersi disparuerunt. (Ed. Didot, p. 301.)

S. Augustinus, ait de Judaeis: «Occisi non sunt sed dispersi... in libris suffragatores, in cordibus nostri hostes, in codicibus testes». ***De fide,*** c. 6, n. 9; ML 40, 179. Cfr. idem S. Augustinus, ***De consensu evangelistarum,*** lib. 1, c. 26; ML 34, 1060.

Tempus quo haec fiant. ***Arnen, dico vobis, quia non praeteribit generatio haec donec omnia haec fiant. Matth.,*** 24, 34.

Haec autem omnia, utpote ante 40 annos post Christum mortuum facta, apostoli et alii qui cum Christo versati sunt, conspicere potuerunt.

1 ***Matth.,*** 12, 39 sqq.
2 ***I Cor.,*** 15, 14.
3 ***Matth.,*** 20, 18.
[a] ***Luc.,*** 18, 33.
° ***Matth.,*** 26, 32. Ronan haec dicere ausus est: «Jésus, quoique parlant sans cesse de résurrection, de nouvelle vi, n'avait jamais dit bien clairement qu'il ressusciterait en sa chair». ***Les Apôtres,*** ch. 1, p. 1.

quod idem est, factum ipsum miraculosum, prius vaticinatum, reapse contigisse.

Nihilominus, ut quaestio tanti momenti plenius dilucidetur, tria sunt diligenter discutienda. 1.° Utrum Christus vere, mortuus fuerit. 2. Num reapse a mortuis resurrexerit. 3.° An peracta Christi resurrectio invictum divinae ejus legationis praestet argumentum.

234. Errores. Plures Christiani nominis hostes veritatem resurrectionis Christi diversimode inficiati sunt.

a) Vetus est judaeorum error, apud quos divulgatum est a militibus, qui custodierunt sepulcrum, discipulos noctu venisse et furatos esse corpus Christi [1]. Hanc theoriam, admissam a *Toledoth* (apud *Wagenseil,* p. ig), *Samuel Reimarue,* professor Hamburgensis [2], *Lessing* aliique deistae saeculi xvin renovarunt.

b) *Paulus Heidelbergensis* [3], judaeus *Salvador* [4], *Bahrdt* [5] et alii cum schola naturalistica contendunt Jesum non fuisse vere mortuum, sed in deliquium incidisse, et vivum e sepulcro eductum fuisse.

c) *Rationalistae,* quos praeiverat *Celsus* [6], communiter docent Jesum reapse mortuum fuisse, sed factum resurrectionis *phantasiae, enthusiasmo* et *hallucinationi,* sive apostolorum sive Magdalenae tribuunt. Sic *Strauss* [7], *Renan* [8] [9] et alii.

d) Nonnulli *rationalistae,* hac theoria nondum contenti, addiderunt Christum Dominum, non *corporaliter* resurrexisse, sed *spiritualiter* apparuisse discipulis. Ita tenent *Reim* [10], *Martineau* [11] *Schenkel* [12] et alii, quorum nonnulli serio adseruerunt hanc Christi resurrectionem negatam fuisse a S. Paulo, *I Cor.,* 9, i, et *II Cor.,* 5, 16 sqq.

e) *Modernistae* duos fingunt Christos, unum historicum et realem, alterum fictitium et fidei. Primus, qui revera mortuus est, nunquam revixit; secundus, qui nunquam exstitit, sed solummodo in piis ac mysticis commentationibus reperitur et in Evangelio Joannis describitur, fictus est a conscientia Christiana a mortuis suscitatus. Cfr. Encyclica *Pascendi, § Ut autem.*

235. Thesis I. Christus vere mortuus est in cruce.

Arg. Ex multiplici capite veritas hujus theseos demonstratur.

1) *Ex testimonio Evangelistarum. Matthaeus* ait: *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum* [12]. *Marcus: Jesus autem emissa*

1 ***Malth.,*** 28, n sqq.

2 ***Wolfenbutleler fragmente, fragm.,*** 5.

3 ***Exeget. Handb.,*** 3.

4 ***Jésus Christ et sa doctrine,*** t. 2, p. 191.

5 ***Ausfiihrung des Plans und Zwecks Jesu.***

6 Apud Origenem, ***Contra Celsum,*** lib. 2, n. 59; MG 11, 889.

7 ***Vie de Jésus,*** § 137, et ***Essais d'histoire religieuse*** (hisp. vers.) ait: «Segùn nuestra opinién, la sola fantasia de los discipulos, enardecida por el scntimiento de sus corazones, les présenté como vuelto a la vida al Maestro que no podian acabar de creer que fuese muerto».

8 ***Vie de Jésus,*** c. 26 haec habet: «Disons cependant que la forte imagination de Marie de Magdala joua dans cette circonstance un rôle capital. Pouvoir divin de l'amour! Moments sacrés ou la passion d'une hallucinée donne au monde un Dieu resuscité!»

8 ***Jesu von Nazara,*** vol. 3, p. 600 sqq.

10 ***The Seat of authority,*** p. 363.

11 ***Charakterbild Jesu,*** p. 231.

12 ***Matth.,*** 27, 50. Ex vigore quem habuit Jesus, ut clamorem ederet validum, educunt aliqui Christum, non vi passionis aut tormentorum et amissione sanguinis

voce magna exspiravit[1]. *Lucas: Et haec dicens exspiravit*[2]. Tandem *Joannes: Et inclinato capite tradidit spiritum*[3]. Quibus consentiunt S. *Pauli* epistolae.

2) *Ex testimonio adstantium,* Legitur enim: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit* [4]. Et rursum: *Venit Joseph ab Arimathaea, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Et accersito Centurione interrogavit eum, si jam mortuus esset, Et cum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph* [5].

3) *Ex aromatum unctione.* Constat ex evangelica narratione [6] corpus Jesu e cruce depositum aromatibus unctum fuisse et linteis involutum. Quomodo in hac unctione discipulos et Matrem SSmam. latuit Christum vivere?

4) *Ex tormentis ei illatis.* Passio ac tormenta, tam interiora quam exteriora, Christi, et vulnus a milite lateri ejus inflictum, sufficiebant opinione medicorum ad mortem producendum [7].

5) *Ex unanimi traditione judaeorum,* Talmud in *Schabbath Hierosolymitano* et in *Sanhedrin Babilonico* refert mortem Salvatoris, et exinde omnes judaei credunt eum reapse mortuum fuisse. Ipsi quoque Principes Sacerdotum et pharisaei crediderunt Jesum fuisse mortuum.

Haec clariora sunt, quam ut longiore demonstratione indigeant. Unde *Strauss* [8], *Renan* [9] aliique rationalistae disertis verbis rejiciunt theoriam *Pauli*[10][11]

236. Objicies, a) Pilatus merito suspicatus est Christum in cruce, viventibus adhuc latronibus, vivere; ideo *mirabatur, si jam obiisset; Marci,* 15, 44. b) Christus dicitur validum clamorem edidisse, et illico exspirasse; *Matth.,* 27, 50. Hoc autem non est proprium homini jam jam morienti. c) Sanguis et aqua referuntur manasse ex latere Christi jam mortui [n], quod legibus naturae adversatur; in corpore enim mortuo sanguis illico coalescit.

Resp. ad 1.“[m] Pilatum equidem miratum fuisse, si jam Christus obiisset, sed, instituto rei examine, accersito nempe centurione, sibi persuasit jam obiisse. Idque omnes praesentes, hostes et amici Christi, sacerdotes et seniores populi, judaei et ethnici, sibi persuaserunt et disertis verbis confirmarunt.

Ad 2.“"' Leges naturae nihil obstant, quominus Christus moriens clamorem ediderit validum, ut aliorum, qui morti proximi clamores ediderunt, exempla quamplurima probant. Adde speciales in Christo fuisse rationes,

sed actione supernatural! mortuum fuisse. Renan vero ait: «Tout porte à croire que la rupture instantanée d'un vasseau au cœur amena pour lui, au bout de trois heures, une mort subite». ***Vie de Jésus,*** ch. 25, «L'atrocité».

1 ***Marc.,*** 15, 37.
2 ***Luc.,*** 23, 46.
3 ***Joan.,*** 19, 30.
Joan., 19, 33 sqq.
4 ***Marc.,*** 15, 43 sqq.
5 ***Joan.,*** 19, 39-40.
6 Cfr. Jaugey, ***Diction. Apolog.,*** v. «Resurrecciôn de Cristo».
7 ***Leben Jesu,*** t. 2, § 137.
8 ***Vie de Jésus,*** ch. 25.
9 Cfr. Grnnerus, ***De morte Christi vera non simulata.***
10 ***Joan.,*** 19, 34

ut cursum ordinarium rerum transgrederetur. Christus enim, voluntarie mortem subiturus et pro redemptione generis humani se ipsum Patri oblaturus, non incongrue voluit hunc actum immediate ante mortem clamore valido coram omnibus testificari.

Ad 3.ᵀᴹ dicendum est sanguinem in morte naturali illico coagulari, sed nihil impedire, quominus in morte violenta quandoque per aliquod tempus et in aliqua corporis parte liquidus remaneat.

237. Quaeres, quomodo apostoli, quibus Christus dicitur suam e mortuis resurrectionem praenuntiasse, non vivide illam exspectaverint, imo et noluerint fidem adhibere mulieribus et discipulis Emmaus, factum resurrectionis renuntiantibus.

Resp. Td contingere potuisse i) quia discipuli, quousque essent a Spiritu Sancto edocti ac confirmati, tardi erant ad credendum, ut saepe Christus testatus est in vita. 2) Quia ipsi tot verberibus, ignominiis, et morte cruenta Salvatoris territi, obliti sunt promissionum Christi, vel amiserunt fidem resurrectionis.

238. Thesis II. Christus reapse a mortuis resurrexit.

Arg. Veritas resurrectionis Jesu Christi copioso argumentorum genere comprobatur.

1) *Ex Evangelistarum testimoniis.* *Matthaeus* refert angelum dixisse mulieribus: *Nolite timere vos, scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic, surrexit enim, sicut dixit; venite et videte locum, ubi positus erat Dominus*[1]. Similiter *Marcus* [2], *Lucas* [3], et *Joannes* [4] narrant historiam resurrectionis dominicae cum omnibus circumstantiis, quae eam consequutae sunt.

2) *Ex apparitionibus Christi et testimonio plurium testium oculatorum.* Etenim Christus apparuit, ut ipsi testes oculati fatentur:

a) *Mariae Mdgdalenae* et aliis mulieribus, quae eam comitatae sunt ad sepulcrum [5].

b) *Duobus discipulis* euntibus in Emmaus [6].

c) Omnibus apostolis, excepto *Thoma,* quibus manus et pedes videndos et palpandos dedit[7]; et iterum post octo dies omnibus apostolis, *Thoma* praesente, cui jussit, ut digitum in ipsius vulnera inferret, et manum mitteret in latus.

d) Discipulis ad mare Tiberiadis [8] et saepius in Galilea.

e) Plusquam quingentis fratribus, prout refert S. *Paulus* [9][10]

3) *Ex testimonio et praedicatione apostolorum,* a) *Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit... Oportet: ex his viris, qui nobiscum sunt congregati... testem resurrectionis ejus* (Jesu) *nobiscum fieri imum ex istis* [1].

1 ***Matth.,*** 28, 5 sqq.
2 ***Mare.,*** 16, 5 sqq.
3 ***Luc.,*** 24, i sqq.
4 ***Joan*** , 20, 1 sqq.
5 ***Matth.,*** 28, 9-ro; ***Joan.,*** 14 sqq.
6 ***Luc.,*** 24, 13 sqq.
7 ***Luc.,*** 24, 36-43. Hoc textu rejicitur error eorum, qui dixerunt animam tantummodo Christi apostolis apparuisse. Hoc stare nequit cum verbis Domini, qui ibid., v. 39 ait: ***Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.***
8 ***Joan., zi,*** 1 sqq.
9 ***1 Cor.,*** 15, 6.
10 ***Act.,*** i, 15-22.

Et rursus: *Hunc Jesum resusoitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus* Quod iterum atque iterum repetens [1] multa prodigia operatus est, et plures ad fidem Christi convertit, b) S. *Paulus* item [3] atheniensibus in Areopago praedicavit Jesum Christum suscitatum a mortuis, et ad Corinthios scribens idipsum confirmavit dicens: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium* [4]. c) Apostoli omnes *virtute magna reddebant., testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri* [5][6]

4) *Ex testimonio militum,* qui custodiebant sepulcrum. *Quidam de custodibus,* ait *Matthaeus, venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quae facta fuerant* [7].

5) *Ipsi quoque Christi inimici* praeclarum dederunt non semel hujus rei testimonium. *Quid faciemus,* ajunt, *hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, et non possumus negare. Sed, ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc* (Jesu) *ulli hominum* [7]. Hac de causa custodes sepulcri pecunia empti sunt et corrupti a senioribus populi, ut Jesum furatum dicerent non resuscitatum [8].

6) Veritatem resurrectionis dominicae testantur denique a) *miracula* a discipulis in ejus confirmationem patrata [9], et b) doctrina a Christo post resurrectionem discipulis tradita [10] [11]

239. Porro hi omnes testes nec 1) deceptores fuerunt nec 2) decepti.

1) Non fuerunt deceptores.

a) *Quia decipere non potuerunt.* Cum enim ageretur de facto publico et omnibus noto, opus erat ipsis pro aliis decipiendis corpus Christi subripere; alioquin, exhibito corpore, facile mendacii argui poterantu. Illud autem subripere nequibant, quia sepulcrum signato lapide munitum custodiebant milites. Nec praevalere potest principum Sacerdotum mendacium, a Reimaro et aliis recentius patrocinatum, discipulos scilicet noctu, militibus dormientibus, corpus furatos esse. Quis enim hoc vidit? Milites? Sed milites dormiebant. Optime ad rem S. *Augustinus* arguit dicens: «Dormientes testes adhibes: vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormierunt, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt?» [12].

b) *Quia decipere noluerunt.* Apostoli homines erant simplices ac ti-

1 *Aci.,* 2, 32.
2 *Aci.,* 3, 12 sqq.; et 4, 8 sqq.
3 *Ad., 17,* 22 sqq.'
4 *1 Cor.,* 15, 20. Nolim hic praetereas Epistolam I B. Pauli apostoli ad Corinthios ut genuinam haberi ab Eichhorn, Baur, Renan et aliis rationalistis.
5 *Ad.,* 4, 33.
6 *Matth.,* 28, ii.
7 *Ad.,* 4, 16.
8 *Matlh.,* 28, 12 sqq.
9 *Ad.,* 3, 16; 4, 16.
10 *Joan.,* 20, 15 sqq.; *Matth.,* 28, 16.
11 *Eddmann,* apud Ottiger, th 35, stulte commentus est corpus Christi terrae motu diffisso sepulcro absorptum esse.
12 *Enarrat, in Ps.* 63, n. 15; ML 36, 768. Ex his liquido patet, quam sit stulta antiqua Judaeorum opinio, saeculo xvm, a Reimaro, Lessing et aliis renovata. Severitas, certe, disciplinae militaris non sinit, ut omnes milites simul somno se dedant.

mentes Deum, et nunquam tantae gravitatis mendacium fingere, aut avitae religionis ruinam absque fundamento meditari potuerunt.

2) Non fuerunt decepti.

Hallucinationis, imaginationis, enthusiasmi, fidei interioris, et nescio quot aliorum verborum vim magni faciunt hic *Strauss, Renan, Baur,* et alii rationalistarum coryphaei non pauci, resurrectionis dominicae hostes, dicentes apostolos et Magdalenam, qui nimio amore et enthusiasmo Magistrum suum prosequebantur, bona fide deceptos esse.

Sed quanta astutia et malitia haec dicta fuerint liquet a) *ex evangelica narratione,* et b) *ex testium conditione.*

a) *Ex evangelica narratione.* Apostoli et Magdalena post mortem Christi, non modo non ferebantur enthusiasmo et imaginatione in Christum, sed *nec exspectabant ejus resurrectionem.* Hinc mulieres, quae prima die sabbati (id est, hebdomadae) adierunt sepulcrum, non de resurrectione sed de corpore iterum ungendo cogitabant. Et Magdalena, cum audivit vocem Magistri, non vi imaginationis aut amoris subito Jesum agnoscere visa est, ut *Renanl* non sine malitia adseruit, sed, hortulanum esse putans, interrogavit eum, ubi positum esset corpus Domini 1. Deinde apostoli credere noluerunt mulieribus annuntiantibus se Christum vidisse, et *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista* 3. Item discipuli, qui perrexerunt Emmaus, dixerunt Christo, qui ipsos in specie peregrini comitabatur: *Sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel* 4. Cognito Jesu in fractione panis, annuntiaverunt aliis apostolis, quae viderant et audierant, et illi credere noluerunt 5.* Ac denique *Thomas,* qui non aderat, cum primo apparuit apostolis, aliorum narrationi adsentire noluit, nisi visis et palpatis vulneribus sui Magistrie. Quid plura? Tantum abfuit, quin apostoli repentino enthusiasmo moverentur ad fidem resurrectionis, ut Petrus et Joannes, audita narratione mulierum, prius voluerint currere ad sepulcrum, et accurate perscrutari linteamina posita et sudarium... separatim involutum in unum locum 7.

Ubi heic vividae imaginationis et enthusiasmi aut fervidi amoris effectus reperiatur? Potuerunt apostoli maturius rem examinare aut cordatius procedere?

b) *Ex testium conditionibus.* Christum personaliter post resurrectionem vidisse testantur non solum mulieres, non solum apostoli omnes, sed et quingenti fratres, quorum plcrique nec cogitabant quidem de Christi resurrectione. Quomodo isti homines, diversis inclinationibus praediti, ac diversimode sentientes, omnes unanimiter hallucinari potuerunt? tenendum ergo est cum Ecclesia catholica Christum vere a mortuis surrexisse 8.

1 ***Vie de Jésus,*** ch. 26.
2 ***Joan.,*** 20, 13-16.
3 ***Luc.,*** 24, ii.
4 ***Luc.,*** 24, 21.
5 ***Marc.,*** 16, 13.
° ***Joan.,*** 20, 24 sqq.
' ***Joan.,*** 20, 6 sqq.
8 Ex his facile concludes theoriam Strauss, Baur, Renan et aliorum omni prorsus fundamento carere.

240. Arg. II. Si Christus non surrexit a mortuis, ut contendunt rationalistae, quid factum est de ejus corpore? Corpus Jesu aromatibus et aloe delibutum potuit per triduum optime conservari. Cur judaei non exhibuerunt illud mortuum, cum primum notitia resurrectionis divulgata est?

Ab hac difficultate se expedire nonnulli putant dicentes corpus Christi subreptum fuisse a discipulis. Sed haec hypothesis rejicitur hodie ut impossibilis a rationalistarum etiam coryphaeis, a quibus iterum quaerimus, quid factum sit de corpore Domini. Nonne absorptum est a petra in commotione terrae, ut finxit *Edelmann?* Sed in hac hypothesi quomodo linteamina, quibus illud obvolutum erat, remanere potuerunt in sepulcro, quin a terra simul absorberentur? *. Si corpus nec a discipulis furari, nec a terra absorberi potuit, quomodo principes sacerdotum et seniores populi et omnes illi synedrii socii, qui milites pecunia corrumpere attentarunt, sepulcrum non inviserunt, et, corpore ibi invento, fidem resurrectionis ab ipso initio non suffocarunt? Certe negligenter se gessisse dicendi sunt, et suae religionis ruinam permisisse.

Difficultates.

241. Obj. 1.° Narratio historica resurrectionis, prout describitur ab evangelistis, scatet contradictionibus. Ergo non est admittenda.

Prob. Ant.—Evangelistae sibi contradicunt.

1) *Quoad numerum mulierum quae sepulcrum visitarunt.* Nam *Joannes*[1] ait Mariam Magdalenam solam perrexisse ad sepulcrum, et, non invento corpore Jesu, Petro et Joanni annuntiasse, qui ambo cucurrerunt ad monumentum. Juxta synopticos plures ascenderunt, nempe juxta *Matthaeum*[3] *duae* (Maria Magdalena et Maria Jacobi), juxta *Marcum*[4] *tres* (Maria Magdalena, Maria Jacobi et Salome), et juxta *Lucam*[5] saltem *quinque* (Maria Magdalena, Joanna, Maria Jacobi et caeterae).

2) *Quoad tempus, quo mulieres petierunt sepulcrum. Matthaeus* illas perrexisse ait *Vespere sabbati*[6]; *Joannes, Cum adhuc tenebrae essent*[7]; *Lucas, Valde diluculo*[8] et *Marcus, Orto jam sole*[9].

3) *Quoad angelorum apparitiones.* Juxta *Matthaeum* et *Marcum unus* tantummodo angelus visus est a mulieribus, juxta *Lucam* et *Joanncm duo.* Hi autem duo juxta *Lucam stantes,* juxta *Joannem sedentes* apparuerunt.

4) *Quoad circumstantias.* Juxta *Marcum* [10] mulieres nemini dixerunt, quae in sepulcro viderant, juxta alios festine discipulis nuntiaverunt.

Haec autem ut valde sibi contradictoria nullatenus conciliari queunt. Ergo.

Resp.—Neg. Ant. Contradictiones, quae circa factum et circumstantias resurrectionis dominicae in Evangeliis inveniri dicuntur, apparentes sunt et fictitiae non reales.

Ad l.um dicendum est varias mulieres ad sepulcrum Christi perrexisse. Scopus autem evangelistarum non erat mulierum, quae sepulcrum visita

[1] *Joan., 20,* 5-7.
[2] *Joan.,* 20, 1-2.
[3] *Matth.,* 28, 1.
[4] *Marc.,* 16, i.
[5] *Liu:.,* 24, 10.
[6] *Matth.,* 28, i.
[7] *Joan.,* 20, I.
[8] *Luc.,* 24, I.
[9] *Marc.,* 16, 2.
[10] *Marc ,* 16, 8.

runt, catalogum texere, sed factum ipsum visitationis enarrare. Joannes quidem Mariae Magdalenae tantum meminit, vel quia ipsa prima ad sepulcrum pervenit, vel quia dux erat aliarum, quae in comitatu fuerunt. Magdalena tamen satis innuit alias mulieres in praefata visitatione socias habuisse, cum Petro et Joanni retulit: *Nescimus, ubi posuerunt eum* Caeteri evangelistae nominant plures vel pauciores juxta significationes et munera earum, quin tamen alias excludant. Potest etiam dici mulieres non omnes simul exiisse e civitate vel ad illam rediisse; evangelistae autem referre potuerunt diversa momenta, in quibus Mariam Magdalenam una vel plures comitatae sunt.

Ad 2,um *de tempore* facilis est solutio. *Matthaeus* ait loco citato: *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati.* Pro cujus intelligentia notandum est cum *Billuart* 1 per *vespere* apud hebraeos totam noctem et per *mane* integrum diem saepe significari juxta illud Geneseos: *Factum est vespere et mane dies unus* 3. Unde textus interpretatur: *Vespere sabbati* (id est, nocte diei sabbati) *quae lucescit in prima sabbati* (sub aurora scilicet primae diei hebdomadae quae est dominica) *venit Maria Magdalena,* etc. Hoc posito, *Matthaeus, Lucas* et *Joannes* egressum e civitate, *Marcus* tempus, quo ad sepulcrum pervenerunt, descripserunt.

Ad 3."m respondetur *Matthaeum* et *Marcum* unius tantum angeli meminisse, quia angelorum verba referre volebant, et cum unus dumtaxat loqueretur, unum nominarunt. Nec ex relatione *Lucae* et *Joannis* sequitur *utrumque* angelum locutum fuisse, quia etsi plurali numero dicantur locuti fuisse, moraliter hoc intelligendum est. Siquidem, cum unus altero comite loquitur, duo dicuntur loqui.

Quoad positionem horum angelorum nullatenus dissentiunt evangelistae. Nam, ut recte ait *Maldonatus.* «*Standi* verbum et latine et graece non semper rectum corporis habitum sed solam aliquando praesentiam, solam aliquando quietem significare (dicimus); *stare* enim dicitur non solum, qui rectus est, sed etiam, qui praesens est, etsi sedeat» 45 Hoc sensu ait Joannes Baptista de Jesu: *medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis* °. S. *Lucas* pariter, dum adserit duos angelos *stantes* a mulieribus conspectos fuisse, solum innuere vult duos angelos praesentes adfuisse.

Ad 4.l»n denique dicendum est mulieres redeuntes e monumento ut nuntiarent, quae viderant, apostolis, nemini quidquam dixisse *in via* ob magnum metum, ut ait *Marcus*6,* sed omnia apostolis communicasse; nulla enim erat secreti servandi ratio erga apostolos '.

Obj. 2.° Christum apparenter resurrexisse inde constare videtur quod i) apostoli *exsistimabant se spiritum videre* 89 et 2) Christus januis clausis ingressus esse dicitur in coenaculum °. Haec autem non sunt habentis corpus propria. Ergo.

Resp. ad l.um nihil contra veram Christi resurrectionem sequi ex eo quod apostoli exsistimaverint se spiritum videre, quia ipse Christus hanc falsam exsistimationem tollere curavit ibidem, manus et pedes eis ostendens et dicens: *palpate et videte, quia spiritus carnem et. ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Ad 2.nn dicendum est corpus *naturale* et *passibile* non potuisse quidem naturaliter ingredi coenaculum januis clausis, bene tamen corpus *gloriosum* et *subtile,* ut erat corpus Christi post resurrectionem 10.

1 *Joan.,* 20, 2.
2 *De Myst. Chr.,* diss. 12, a. 2.
3 *Gen.,* i, 5.
4 *In Matth.,* 28, 3; «Tertia quaestio».
5 *Joan.,* i, 26.
6 *Marc., if>,* 8.
~ Cfr. Murillo, *Jesucristo y la Iglesia Rom.,* p. t, lib. 3, see. 1, c 4. § 2; Ottiger, *Theol. fund.,* § 45: Lahousse, *De Vera Religione,* n. 211.
8 *Luc.,* 24, 37.
9 *Joan., 20,* 19.
10 Cfr. Granerus, *De morte Christi vera, non simulata.*

242. Thesis III. Christi e mortuis resurrectio, sive a) ut prophetia sive b) ut miraculum consideretur, invictum praebet divinae ejus legationis argumentum.

Prob. 1.a pars. Ut prophetia.

Praedixerat Christus, ut superius dictum est, suam e mortuis resurrectionem 1. Ipsi quoque sacerdotes et principes populi agnoverant hoc Christi vaticinium. Dixerunt enim Pilato: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne /orte veniant discipuli ejus et jurentur eum, et dicant plebi: surrexit a mortuis, et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: habetis custodiam; ite, custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum signantes lapidem cum custodibus* 2. Haec autem vaticinia, ab evangelistis narrata et a judaeis admissa, edita sunt in confirmationem divinae legationis Jesu Christi. Christus etenim scribis et pharisaeis, signum aliquod, utique suae missionis, petentibus, nullum aliud putavit dandum, nisi signum Jonae prophetae. *Sicut enim,* ait, *fuit Jonas in ventre ceti Iribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* 3. Item judaeis aliud signum quaerentibus dixit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* 4. Et addit evangelista: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Eventus autem rem comprobavit, ut in thesi superiori satis copiose probatum est. Porro vera vaticinia, in quibus operatio Dei necessario includitur, edi nequeunt in confirmationem erroris. Ergo resurrectio Christi, ut vaticinium in confirmationem divinae ejus legationis editum et eventu comprobatum, invictum suppeditat divinae legationis Christi argumentum.

Prob. 2.a pars. Ut miraculum.

Resurrectio Christi vera ac realis. non virtute diabolica aut humana potestate, sed virtute supernatural! effecta, vere miraculum fuit, in confirmationem divinae legationis Christi patratum. Sed nequit verum miraculum a Deo in confirmationem erroris effici. Ergo resurrectio Christi, ut miraculum, invictum praestat divinae ejus legationis argumentum.

ARTICULUS V

UTRUM DIVINA LEGATIO CHRISTI PROBARI POSSIT EX VATICINIIS LEGIS VETERIS

243. Nota. Haec de divina Christi legatione quaestio tanti est hodie facienda, ut accuratum postulet in theologia studium. Idcirco examinanda veniunt in hoc articulo vaticinia Veteris Testamenti, circa

1 *Matth., ly,* 63.
2 *Matth.,* 27, 63.
3 *Matth* , 12, 40 sqq.
* *Joan* , 2, 19-21.

quae duo inquiruntur. 1) Num Messias praenuntiatus fuerit in Lege Veteri. 2) Utrum vaticinia messianica adimpleta fuerint in Christo.

§ 1

Utrum Messias praenuntiatus fuerit in Lege Veteri.

244. Status quaestionis. Antequam Christus se mundo exhiberet, magnam fuisse in Israel exspectationem de Messia seu legato divino venturo, non est cur probandum suscipiamus. Hujus rei testimonium habetur in canticis *Zachariael* et *Mariae* 1. Item audita *Herodes Magorum* relatione *turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo; et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur* (utique secundum Scripturas).—*At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judae* 3. Unde Simeon, cui facta refertur promissio *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* 4, cum vidisset puerum Jesum, vocavit eum *salutare Dei,* paratum *ante faciem omnium populorum.* Insuper legati missi a Joanne interrogaverunt Christum: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* 5. Ipsi quoque judaei videntes opeia Christi dicebant: *quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum* 6.7 Exspectabatur igitur Messias, quando Christus in hoc mundo apparuit", cujus exspectationis meminit ipse *Virgilius,* cum cecinit 8:

«Ultima Cumaei venit jam carminis aetas
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo» 9.

Unde haec populorum spes oriri potuerit, quaestio est profecto non parvi facienda. Exsistuntne in Lege Veteri vaticinia, quae adventum Messiae praenuntiaverint, ejusque exspectationem genuerint in populis? Vel e contra judaei, absque ullo solido fundamento hallucinati, finxerunt regem quemdam insolitum esse venturum?

En quaestio enucleanda.

245. Errores, a) Ex antiquis judaeis omnes generatim admiserunt Messiam esse promissum in Veteri Testamento, sed non omnes vaticiniorum sensum capere potuerunt. Nonnulli intellexerunt Messiam fore regem temporalem potentissimum, qui, de cunctis hostibus victor, eos a romanorum servitute ac dominatione liberaret.

b) *liationalistae* plerique, nihil esse supernaturale contendentes, omnem prophetiae exsistentiam *a priori* negant; nullumque exsistimant esse in Ve-

1 ***Luc,*** i, 76 sqq.
2 ***Luc.,*** i, 54 sqq.
3 ***Mattii.,*** 2, 3 sqq.
4 ***Luc.,*** 2, 26.
5 ***Maith.,*** n, 3.
6 ***Joan.,*** 6, 16.
7 Hac judaeoruin exspectatione magnopere abusus est Renan, ***Vie de Jésus,*** c. i, quando Christi divinitatem ex ea ait esse confectam.
8 ***Bucolica,*** Egi. 4, v. 4-5.
° Nunc etiam exspectant judaei adventum Messiae. Unus etenim ex 13 articulis fundamentalibus, quos profitentur in suis libris liturgicis, sic se habet: •Credo perfecto corde Messiam esse venturum; etiamsi ejus adventus dilatus fuerit, patienter ejus apparitionem exspectabo».

teri Testamento de Messia vaticinium. Ita *Havel*[1] et alii. Hi prophetiae et vaticiniorum nomine nonnisi prophetae exstasim naturalem ejusque ideas circumstantiis excitatas contendunt in lege significari.

c) *Alii,* etiam ex grege rationalistarum, admittunt quidem exstitisse inter judaeos spem adventus Messiae, sed hanc exspectationem nolunt fuisse nisi effectum ardentissimae imaginationis eorum, qui ita majora in dies fingebant, ut Christo, homini naturali, qualitates et nomen Messiae tribuerint. Sic *Strauss*[2], *Renan*[3], *Laurent*[4] et alii non pauci. His accensendos putamus illos nuperos rationalistas, qui dicunt nullum esse in Veteri Testamento verum de Messia vaticinium, sed de effatis et dictis prophetarum, qui de felicissimo rerum eventu et civitatis ac populi instauratione agunt, ideas messianicas efformatas fuisse et Christo applicatas.

d) *Alii* denique, «quorum agmen *Salvador,* incredulus judaeus 5[6] ducit», ut dicit *Reinerding*[7], contendunt promissiones Messiae in Lege Veteri factas ad quoslibet liberatores referri, et toties adimpletas fuisse, quoties populus judaicus retulit victorias.

246. Thesis. Messias in Veteri Testamento vere praenuntiatus fuit, et ideo exspectatio praefata judaeorum ex vaticiniis messianicis ortum habuit.

Arg. I. *Ex testimoniis Veteris Testamenti.* Sunt in Lege Veteri innumera testimonia, quae nonnisi ad verum Messiam referri possunt.

a) Sic, cum maledixit Deus serpenti, ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa*[7] *conteret caput tuum*[8]. Hoc autem mulieris semen nequibat esse nisi Messias, Christus, qui cum semine seu filiis diaboli praelia iniens victoriam foret relaturus.

b) Deinde Moyses praenuntiavit legatum divinum fore venturum dicens: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitavit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*[9]. Quem locum ad Christum referri constat, tum ex testimonio ipsius Christi, qui disertis verbis ait: *De me ille* (Moyses) *scripsit*[10], tum ex verbis S. Petri, qui in porticu *Salomonis* populo dixit: *Deus autem, quae praenuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic implevit... Moyses quidem dixit* (l. c. Deut.). *Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis... et omnes prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos*[11].

c) Item *Jeremias* ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*[12].

1 ***Le Christianisme et ses origines,*** t. 3, c. 5.
2 ***Vie de Jésus,*** § 61.
3 ***Histoire du peuple d'Israel,*** II-III; et ***Vie de Jésus,*** ch. 1.
4 ***Hist, de la humanidad,*** p. 1, lib. 4, c. 4, sec. 1 sqq.
5 ***Jésus Christ et sa doctrine,*** t. 1, lib. 1.
6 ***Theologia fundamentalis,*** tr. 1, n. 166.
7 In quibusdam versionibus legitur ipse ***conteret caput tuum.***
8 ***Gen.,*** 3, 15.
9 ***Deut.,*** 18, 15.
10 ***Joan., 5,*** 46.
11 ***Act.,*** 3, 18 sqq.
12 ***Jer.,*** 23, 5 sqq.

d) Cum Abraham voci Dei obediens pararetur filium suum unigenitum Isaac sacrificare, dixit ei Dominus: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae*1. Quae verba optime interpretatus est Apostolus scribens: *Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus. Non dicit et* seminibus, *quasi in multis: sed quasi in uno:* et semini tuo, *qui est* Christus 2. Unde merito Isaac, Abrahae unigenitus, figura dicitur Christi, qui, unigenitus cum esset Patris, erat in cruce pro nobis immolandus. Ideo sensum prophetiae diserte complevit *Paulus* dicens: *Ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Jesu* 3.

Haec erat communis intelligentia vaticiniorum Veteris Testamenti, ita ut judaei in *Talmude* servaverint sequentia verba: «Prophetae universi non vaticinati sunt nisi de diebus Messiae» 4. Hinc ex Rabbinis *Maimonides,* tredecim articulos fidei judaeorum commentans, ad 2,um ajebat: «Mendacem facit totam scripturam, qui negat articulum de adventu Messiae». Unde nunquam fuit judaeos inter et Christianos hac de re disceptatio. «Quidam e Christianis, ajebat *Celsus,* et judaei disputant: hi quidem in terram descensurum esse Deum quemdam aut Dei filium, hujus terrae incolas justificaturum, illi vero jam descendisse» 5.

Celebriora adhuc sunt et clariora vaticinia Patriarchae *Jacob* 6 quae superius retulimus, imo et Malachiae 3, 1 et Aggaei 2, 7-10 Prophetarum quae inferius erunt expendenda 7.

Ipsi quoque gentiles Messiae adventum exspectaverunt, ut *Plutarchus* cum aliis testatur 8, quam exspectationem nonnisi ex revelatione primitiva vel judaeorum familiaritate haurire potuerunt, ut docet *Hettinger* 8.

Arg. II. *Ex novo Testamento,* a) Non solum praenuntiatus est Christus seu Messias in revelatione Veteris Testamenti, sed praeterea dicendus est ejus finis. Hoc docemur ab Apostolo qui ait: *Finis enim legis Christus* 10. Quem locum expendens S. *Cyrillus Alex,* ajebat: «Discat a nobis doctrinae mosaicae scopum ad Christi mysterium pertinere, Christumque apud eum multoties describi» 11. Unde interpretes ac theologi unanimiter docent per legem veterem homines ad Christum ordinatos fuisse 12.

b) Sed ad alia pergamus, quae sunt adhuc clariora. Principes sacer-

1 ***Gen.,*** 22, 18.

2 ***Gal.,*** 3, 16.

3 ***Gal.,*** 3, 14.

4 ***Lib. Sanhedrin,*** c. Chelek, fol. 99. Cfr. Raym. Martin, ***Pugio fidei,*** fol. 278, 532.—Nonnulli scriptores 400 et amplius loca collegerunt ex libris Veteris Testamenti, quae ad Messiam referuntur. Cfr. Edersheim, ***The Life and times of Jesus the Messiah,*** London, 1883, vol. 1, p. 707-740.

5 Apud Orig., lib. 4, n. 2; MG 11, 1029.

6 ***Gen.,*** 49, 10, et ***Dan.,*** 9, 24-27.

7 Vid. Hettinger, ***Theol, fund,,*** § 33-37, qui de prophetiis messianicis magna eruditione loquitur.

8 ***De Iside et Osiride,*** c. 47.

9 ***Theol. fundam.,*** § 35, n. IV.

10 ***Rom.,*** 10, 4.

11 ***Adv. Julianum,*** lib. 8, resp. 1."; MG 76, 892.

12 Vid. S. Thom., ***in Commen. ad Rom.,*** 10, lect. 3.

dotum et scribae quaesiti ab Herode, ubi Christus nasceretur, responderunt: *In Bethlehem Jndae: Sic enim scriptum est per* prophetam [1]. Item Philippus inquit Nathanael: *Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth-:* et iterum dixerunt judaei: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum* [2]. Quare passim legitur in Evangeliis, maxime apud Matthaeum, cum Jesu Christi gesta narrantur: *hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam* [4].

Hoc argumentum magis roboratur ex testimonio ipsius Christi qui non semel testatus est Scripturas ad se referri. *Scrutamini,* inquit, *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*[5]? Et post resurrectionem suam in itinere Emmaus, *incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant... et dixit ad eos: haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* [6]. Denique, ut alia praetermittamus, *ecce,* inquit, *ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis* [7].

Haec nullum profecto relinquunt ambigendi locum de exsistentia vaticiniorum in lege veteri, quae Messiam praenuntiabant esse venturum.

§ 2

Utrum vaticinia messianica Legis Veteris adimpleta fuerint in Christo, atque ideo Christus fuerit verus Messias in lege promissus.

247. Status quaestionis. Demonstrata jam exsistentia vaticiniorum Prophetarum, quae ad Messiam referuntur, reliquum est, ut ea in Christo plene adimpleta fuisse ostendamus. Hoc pacto legatio Christi probabitur directe contra judaeos, qui Scripturas Veteris Testamenti admittunt, et indirecte contra incredulos et religionis revelatae vaferrimos hostes, qui nuntia de venturis adamussim in Christo impleta esse conspicere possunt.

Heic nonnulli, Christum esse Messiam ut ostendant, longam tractationem instituunt eorum, quae sensu typico in Scriptura Christo referuntur, ut Isaac, David, populus hebraicus, agnus paschalis, etc., sed haec, licet recte intellecta convenienter Christo applicentur, non tamen sufficere videntur ad scientificam quaestionis dilucidationem. Unde ea dumtaxat adducenda duximus, quae ita Messiam in Lege Veteri signi-

1 *Matth.*, 2, 5.
2 *Joan.*, i, 45.
3 *Joan.*, 12, 34.
4 *Matth.*, i, 22.
5 *Joan.*, 5, 39.
6 *Luc.*, 24, 27-44.
7 *Luc.*, 18, 31.

ficarunt, ut nullatenus alteri convenire potuerint, et juxta Novum Testamentum in solo Christo impleta esse comprobentur.

Quaestio itaque in praesenti dilucidanda est, utrum in Veteri Lege edita fuerint de Messia vaticinia, quae in Christo tantummodo impleta fuerint.

248. Errores. Omnes judaei, et rationalistae plerique, negant ullum vaticinium proprie dictum Veteris Testamenti impletum fuisse in Christo. Ita *Renan* [1] et alii.

249. Thesis. Omnia Veteris Testamenti de Messia vaticinia impleta sunt in Christo; ideoque Christus fuit verus Messias.

Nota. Tot sunt Prophetarum de Messia vaticinia in Christo adimpleta, ut impossibile sit ea omnia ad limites hujus operis redigere. Principaliora dumtaxat expendentur, quae claritatis gratia in quasdam classes, juxta diversas qualitates et circumstantias Messiae, in ipsa argumentatione partiri non piget. Respiciunt praesertim Messiae 1) stirpem, 2) nativitatem seu ortum, 3) dignitatem, 4) qualitates personales, et 5) passionem ac mortem. Hinc.

Arg. Quae de Messiae stirpe, nativitate, dignitate, qualitatibus, et passione ac morte Prophetae praedixerant, adamussim conveniunt Christo juxta Evangelia. Ergo Veteris Testamenti de Messia vaticinia impleta sunt in Christo, ipseque Jesus Christus est verus Messias.

Prob. Ant.

250. A) Stirps. Messiae, qui in lege promittitur, stirps ac genealogia adumbrantur jam in Genesi ubi dicitur: *Inimicitias ponam inter te el mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa* [1] *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* [3].

Haec obscura Messiae stirps, quae in ipso paradiso terrestri ideam Liberatoris praebuerat, magis describitur posterioribus saeculis, cum certe adseritur eum ex semine Sem, Abrahae, Isaac, Jacob et David esse nasciturum.

1) Nam de *Sem* ait *Noe: Benedictus Dominus* (Jahve) *Deus Sem, sit Chanaam servus ejus* [4] [5] Nomine autem *Jahve* designatur Deus in cripturis, quoties speciale foedus init cum aliquo. Hinc, cum dicitur Deus (Jahve) Sem, manifeste huic patriarchae et posteris ejus specialis benedictio impertitur [6].

2) Ex semine Sem eligitur Abraham, ut sit pater populi electi, et benedictionis plenitudinem mereatur pro se et cunctis terrae gentibus. Etenim: *Dixit... Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi,... atque in te*

1 *Vie de Jésus,* Introd.
2 In textu hebraico *hi't, ipsum,* id est, semen legitur.
3 *Gen.,* 3, 15 sqq.
4 *Gen.,* 9, 26-27.
5 Cfr. Posch, *Praelect. dog.,* t. 1, n. 219.

benedicentur universae cognationes terrae x. Hae autem benedictiones, quibus Abraham pronuntiatur futurus a) *-pater* magnae gentis, b) *fons* benedictionis in universas cognationes terrae, et c) nomen magnificum habens, aperte innuunt liberatorem et ducem gentium ex ejus progenie ortum iri.

3) Id ipsum declaratur, et simul promissio ad Isaac, filium Abrahae, extenditur illis verbis: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia jecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam, quae est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et* BENEDICENTUR IN SEMINE TUO OMNES GENTES TERRAE, *quia obedisti voci meae* 2 3 Et iterum: *Benedicentur,* inquit Deus Isaac, in semine tuo omnes gentes terrae, *eo quod obedierit Abraham voci meae* 2.

4) Quam benedictionem Deus iterum impertitur Jacob dicens: *Et benedicentur* IN TE ET IN SEMINE TUO CUNCTAE TRIBUS TERRAE 4. HuiC iterum Patriarchae multiplicavit promissiones his verbis: *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob... Accubans dormivit ut leo et quasi leaena, quam suscitare nullus audebit* 5. Et addit: *Videbo eum, sed non modo, intuebor illum sed non prope.* Orietur stella ex Jacob et consurget virga de Israel 6. Ipse vero Jacob prope jam moriturus 7 aperte significavit sceptrum regium ad tribum Juda translatum iri, in eaque permansurum, donec veniret Messias, qui erat ex progenie Juda nasciturus.

5) Unde David, qui ex tribu Juda oriundus sceptrum regium mira providentia erat adepturus, adsignatur in vaticiniis ut specialis stirps, ex qua foret Messias venturus. Hinc Isaias, qui juxta S. *Augustinum* «a quibusdam evangelista quam propheta potius diceretur» 8, ait: *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* 9. Et Jeremias addit: *Ecce dies veniunt... et suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit; et jaciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster* 10.

David igitur, cum in regia dignitate constitutus templum vellet Domino aedificare, haec audivit a Nathan: *Haec dicit Dominus: Non aedificabis tu mihi domum ad habitandum... Annuntio ergo tibi, quod aedificaturus sit tibi Dominus domum. Cumque impleveris dies tuos, ut vadas*

1 ***Gen.,*** 12, i sqq.
2 ***Gen.,*** 22, 16, 18.
3 ***Gen.,*** 26, 4-5.
4 ***Gen.,*** 28, 14.
5 ***Num.,*** 24, 5 sqq.
6 ***Num.,*** 24, 17.
7 ***Gen.,*** 49, 8-10.
8 ***De civit. Dei,*** lib. 18. 29; ML 41, 585.
9 ***Is.,*** 11, i.
10 ***Jer.,*** 23, 5 sqq. Hanc interpretationem admittunt omnes scriptores antiqui, tum judaei tum Christiani. Unde ***Targum*** sic vertit primum versum ***Ps.*** 71: ***Deus sententiam judiciorum tuorum da regi Messiae, et justitiam tuam filio Davidis regis.*** Et Midrasch Tehillim de hoc primo versu haec habet: «Intclligitur ***rex Messias,*** de quo scriptum est., ***Is.,*** 9, 1: ***Iit egredietur surculus ex stipite Isai».***

ad paires tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis; et stabiliam regnum ejus[1]. His similia habentur ***II Reg.,*** 7, 13 sqq.

Messias igitur ex stirpe Abrahae, tribu Juda et semine David oriri debuit.

Age.porro: Christus ab Abraham, Isaac et Jacob descendit, et ex tribu Juda semineque David ortus est. Hoc constat a) *ex duplici genealogia,* quam texuere Matthaeus et Lucas, quorum primus suum Evangelium sic inscripsit: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii A braham;* et alter diserte ait[1] Josephum esse de domo ac familia David; et uterque praefatos patriarchas inter Jesu Christi progenitores enumerat; b) *ex testimonio S. Pauli Apostoli* dicentis: *Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster* 3; et: *memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David* 4. Quam Christi originem fassi sunt ipsi judaei *Matth.,* 20, 30-31; et *Luc.,* 18, 38.

Beatissimam quoque Virginem, Matrem Christi, e familia David ortam esse ex eo probatur, quod fuerit filia unica et haeres[5][6] Filiae autem haeredes alicui viro agnato ex eadem tribu nubere debebant inter judaeos. Unde Maria nupta est Joseph de familia et semine David [7].

Christus igitur, Dominus noster, ab Abraham, Isaac et Jacob atque ex tribu Juda per Davidem ortus est, quemadmodum oriturus erat Messias secundum prophetas.

251. B) Nativitas. Quoad Messiae nativitatem tria sunt consideranda, nempe 1) tempus adventus, 2) locus nativitatis, et 3) virginitas matris.

1) *Tempus,* a) Patriarcha *Jacob* prope jam moriturus [7] praenuntiavit tempus adventus Messiae. Ait enim sceptrum de Juda et ducem de femore ejus minime ablatum iri donec Messias veniret [8].

Hoc autem tempus in Christo fuisse completum satis nos docet historia judaeorum. Sive enim in verbis Jacob *autonomiam tribus Juda* cum quibusdam, sive *regiam potestatem* cum aliis intelligas, facile perspicies potestatem a tribu Juda non ante Christum sed post ejus adventum fuisse ablatam.

a) *Non ante Christum:* siquidem a David usque ad captivitatem babylonicam tribus Juda semper habuit reges, ut notum est. Tempore autem captivitatis babylonicae magna populi pars cum Jeremia propheta in terra Juda remansit, suis legibus et gubernio minime privata; et, qui fuerunt Babylonem delati, suos principes, Sassabasar (Zorobabel), etc., in ipsa captivitate habuerunt, ut legitur in Esdra [9]. Post ca-

1 ***I Paralipomenon,*** 17, 4 sqq.
2 ***Luc.,*** i, 27.
3 ***Hebr.,*** 7, 14.
2 ***II Tim.,*** 2. 8.
s Nunquam legitur in Scripturis Bmam. Virginem habuisse fratres; hinc ut filia haeres perrexit cum Joseph in Bethlehem, quando census agebatur. ***(Luc., I,*** 1-5). Gratis itaque adserit Renan, ***Vie de Jésus,*** c. 2. Bmae. Virgini fuisse sororem nomine Mariam.
6 Cfr. Patrizi, ***De Evang.,*** lib. 3, diss. 6, n. 5; et diss. 9, c. 20, p. 1.
7 ***Gen.,*** 49. 10.
8 Cfr. superius, q. 9, a. 4, n. 195.
9 ***I Esdr.,*** I, 8, et 3, 12.

ptivitatem denique babylonicam usque ad Christum dupliciter potest continuatio praerogativae potestatis in tribu Juda explicari. 1.° Quatenus judaei e captivitate in Hierosolymam reduces sub Zorobabel principe aliquandiu vixerunt, deinde Esdras, auctoritate et mandato Artaxerxis regis, judices et praesides eis constituit, qui usque ad Machabaeorum tempora principatum tenuere. Macliabaei denique, licet ipsi ex tribu Levi oriundi, consenserunt judaeis, ut suis legibus uterentur, et suos haberent judices ac principes, imo et concesserunt eis independentiam seu autonomiam, quam judaei servavere usque ad adventum Christi, tum sub praeside Hircano e familia Assamonaeorum, tum tempore Herodis Idumaei, tum etiam sub dominatione romana. 2.° Quatenus pro *tribu Juda,* quae prae aliis multum excelluit, tota regio *Judaeae* intelligebatur L

β) *Post Christi vero tempora* judaeos sine rege, sine principe, sine auctoritate per mundum vagari non est cur probandum suscipiamus. Hoc patet ex historia, et in confesso est apud omnes.

b) Item *Malachias* ait: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante jaciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis* 1. Nomine *Dominatoris* et *angeli testamenti* hic intelligitur Messias Deus, ut contextus satis innuit; siquidem venturus dicitur *in templum suum;* templum autem habere soli Deo est proprium. Porro sacer textus diserte adserit hunc Dominatorem statim venturum post angelum suum, id est, post praecursorem, Joannem Baptistam, de quo authentice interpretatur Matthaeus hunc textum dicens: *Hic est enim* (Joannes Baptista) *de quo scriptum est: ecce ego mitto angelum meum ante jaciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te* 3. Hinc praecursor Domini venit in persona Joannis Baptistae, cui dictum est a Zacharia *(Luc.,* 1, 76): *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* 4. Has vias praeparavit Joannes praedicans baptismum poenitentiae in deserto. Unde et dicebat: *Ego sum vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini* 5; et iterum: *medius autem vestrum stetit, quem vos*

1 Hanc interpretationem egregie expendit Cornelius Alapide dicens: «Sola tribus Juda rediit ex hac captivitate cum paucis aliis oriundis ex tribu Benjamin, I.evi, et aliis tribubus. Hinc tota deinceps gens judaeorum nomen a Juda accepit, omnesque, licet ex aliis tribubus descendentes, censebantur esse tribus Juda, quia cum Juda erant commixti, atque in tribum rempublicam Juda erant insiti et cooptati. Hoc ergo modo et hac ratione Machabaei, licet essent Levitâe, censebantur tamen tribus Juda, quia in tribum Juda cooptati et a tribu Juda electi in eadem regnarunt; atque hoc sensu verum est tribum Juda hic includere quoslibet de aliis tribubus tribui Juda insitos et commixtos; solosque excludere alienigenas, puta gentiles... Sic accipitur Judas pro omnibus judaeis in tota Judaea habitantibus *(Mal.,* 3, 4; et *I Mach.,* 2, 6). Pari modo romani dicuntur imperasse, et romani imperatores vocantur, quicumque Romae romanum imperium obtinuerunt etiamsi ex Thracia, Hispania, vel aliunde essent oriundi, quia hi omnes cum romanis in unam Rempublicam unumque imperium coaluerunt». *Comment, in Gen.,* c. 49, v. 10.

2 *Mal.,* 3, i.

3 *Matth.,* n, 10.

4 *Luc.,* i, 76.

4 *Joan.,* i, 23.

nescitis. Ipse est, qui post me venturus est;... cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti [1].

c) *Aggaeus* propheta, alliciens judaeos ad templi secundi aedificationem. ita vaticinatus est: *Haec dicit Dominus exercituum, adhuc unum modicum est et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam; et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dcmiinus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna est gloria domus istius novissimae plusquam primae, dicit Dominus exercituum* [2]. Hic agit propheta de Messia in templum Hierosolymitanum venturo, ut omnes commentatores fere communiter testantur.

Porro Jesum Christum in praefatum templum, quod postea dirutum est, advenisse, in eoque populum docuisse ex evangelica narratione constat. Nam infans in templo a Maria sanctissima fuit praesentatus [3], cum duodecim esset annorum invenerunt eum *in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos et interrogantem eos* [4], et ipse Jesus confessus est se quotidie fuisse in templo [5].

Templum hoc cujus aedificationem permiserat Darius Hystaspes, et quam vaticinatus est Aggaeus, restauratum est ab Herode, et exsistebat tempore Christi [6].

d) *Annuntiavit denique Daniel ab exitu sermonis, ut iterum aedificaretur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duas elapsum iri.* In hoc vaticinio sermonem esse de Messia, ejusque adventum perfecte determinari, et hebdomades, quibus Messiae adventus designatur, esse, non septem dierum aut mensium spatia, sed septem annorum durationes demonstratum est superius [7], ita ut a praefato sermonis exitu usque ad Messiam 483 anni, et usque ad defectionem hostiae templique eversionem altera hebdomada, septuaginta hebdomades in totum elaberentur.

Difficultas tantummodo est in adsignando termino *a quo* horum annorum, seu in intelligentia verborum *ab exitu sermonis.* Videtur per *exitum sermonis* significari aliquod decretum de Hierosolyma reaedificanda datum. Quale illud fuerit, a cujus publicatione usque ad Christi mortem 70 hebdomades annorum percurrerint, investigari oportet.

Porro quatuor referuntur decreta regia, quae possunt ut initium computationis horum annorum considerari. 1.um edidit *Cyrus* [8], qui judaeis in captivitate detentis facultatem tribuit Hierosolymam redeundi templumque denuo aedificandi. 2.um *edictum* latum est a *Dario Hystaspe* [9], qui decretum Cyri confirmavit, et quae ad sacrificia erant necessaria liberaliter judaeis concessit. 3.um *decretum* vulgavit *Artaxerxes Longimanus*

1 ***Joan.,*** i, 26-27.
2 ***Agg.,*** 2, 7-10.
3 ***Luc.,*** 2, 22.
4 ***Luc.,*** 2, 46.
5 ***Joan.,*** 18, 20.
6 Cfr. Reinerding, ***Theol. fund.,*** n. 216.
7 Quaest. 9, a. 4, n. 196.
8 ***I Esdr.,*** I, 2-4.
9 ***I Esdr.,*** 6, i sqq.

anno sui imperii septimo[1], quo Esdrae totique genti judaicae non solum diversas gratias et privilegia contulit, verum etiam facultatem templi instaurandi urbisque Hierosolymae construendae benigne tribuit. 4.um denique *decretum* datum est ab eodem *Artaxerxe Longimano* anno sui imperii vigesimo 2, quo iterum facultatem fecit judaeis civitatis Jerusalem rursus aedificandae.

A quo ex his decretis incipiant hebdomadae Danielis, non facile determinari potest ob defectum chronologiae regum persarum; certum tamen putamus ab uno eorum initium computationis sumendum esse.

Quatuor sunt theologorum et interpretum sententiae.

Prima sententia tenet Danielis hebdomades a Cyri decreto computandas esse. Ita *Holzclau* [3] et alii.

At huic opinioni duo praeter alia obstant gravissima inconvenientia: a) in decreto Cyri ne mentio quidem facta est urbis aedificandae, quidquid in contrarium dixerit *Flavius Josephus* [4] et computum fieri debet *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem;* b) illud decretum editum est a Cyro anno circiter 536, non hebdomade septuagesima ante Christum.

Secunda sententia, a paucis quidem admissa, tuetur hebdomades Danielis a Darii Hystaspis decreto computari.

Verum inconvenientia, quae obstant primae sententiae, militant etiam contra hanc opinionem, a) Darius siquidem non videtur facultatem fecisse pro urbe dentio instauranda, b) Datum est memoratum decretum anno circiter 518 ante Christum.

Tertia sententia, quam tenent *Cornelius A lapide*[6], *Hooke*[6] et alii bene multi, docet praefatas hebdomades enumerandas esse a primo decreto Artaxerxis Longimani, quod supponitur editum anno septimo regni ejus, anno scilicet 457 ante Christum; quia Artaxerxes creditur regnare coepisse prope annum 464 ante Christum.

Quarta denique *sententia* contendit verba Danielis ad 2.um decretum Artaxerxis referri, quod censetur anno sui imperii vigesimo latum. Ita *Petavius* [7], *Hengstenberg* [8], *Sola* [9] et alii plures. Hi autumant Artaxerxem regnare coepisse anno 473 vel 474 a. Christum, et decretum dedisse anno 453 vel 454, finemque hebdomadis undeseptuagesimae in annum Christi 30 incidisse.

Hae duae ultimae sententiae vere probabiles sunt, et, dum lis chronologica sub judice manet, unusquisque potest, quam libuerit, opinionem tueri.

Tempore igitur a Daniele praestituto venit Christus in mundum, id est, sub finem hebdomadae sexagesimae nonae vitam publicam iniit, et *in dimidio hebdomadis* sequentis mortuus est.

1 ***I Esdr.,*** 7, 6 sqq.
2 ***II Esdr.,*** 2, i sqq.
3 Apud Ottiger, ***Theol. fund.,*** § 43, p. 689.
4 ***Antiq.,*** lib. **n**, c. 1.
5 ***Comment, in Dan.,*** 9, 25; «Dico secundo».
6 ***De vera relig.*** (Cursus compl. theol., 3, coi. 186 sqq.)
7 ***De doctrina temp.,*** lib. 12, c. 32.
8 ***Christology,*** 3. 142 sqq.
9 ***l.a profecta ile Daniel,*** lec. 30,

2) *Locus.* Messias nasciturus erat in Bethlehem Judae juxta prophetas. Sic enim Michaeas vaticinatus est dicens: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis* [1]. Hanc opinionem profitebantur principes sacerdotum et scribae, qui Herodi sciscitanti, ubi Christus nasceretur, dixerunt *in Bethlehem Judae.* Populus quoque ajebat: *Nonne scriptura dicit: quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* [2].

Scripturae autem diserte testantur [3] Jesum Christum in Bethlehem Judae natum fuisse.

3) *Virginitas matris.* Messias erat a Matre Virgine nasciturus. *Isaias* enim ait: *Ecce virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [4].

Mariam autem, Matrem Christi, virginem fuisse non est cur probare contendamus; traditio universalis hoc nos docet, et Scripturarum testimonia confirmant. Cum angelus Gabriel annuntiasset Mariae mysterium Incarnationis Domini, et adseruisset eam electam fuisse, ut mater esset Verbi incarnati, obstupuit Virgo et dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* [5].

Item, cum cerneret Joseph Mariam esse gravidam, et vellet occulte dimittere eam, explicuit idem angelus conceptum Christi dicens: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum* [6].

252. C) Dignitas. 1) *Rex spiritualis.* Juxta prophetarum vaticinia Messias futurus erat *Rex spiritualis,* a) *Rex* quidem, quia non solum in prophetiis *Dux, Fortis, Rex, Princeps, Dominator,* etc., passim appellatur, sed etiam a David in quibusdam suis Psalmis, qui *messianici* ab eruditis nuncupantur [7], sub *regia dignitate* describitur. Unde in ore Messiae ponuntur haec verba: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* [8]. Cujus non solum qualitatem messianicam sed etiam regiam dignitatem illico manifestavit Deus dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. Reges eos in virga ferrea.* Quibus confitetur Deus Filio suo, quem *hodie* (ab aeternitate) genuit, daturum se gentes et possessiones usque ad terminos terrae seu ad oras terrarum ultimas. Et in *Ps.* 71. per totum mirifice describuntur tum ipsius regis tum ejus regni conditiones ac qualitates. *Orietur in diebus ejus,* dici-

1 ***Midi.,*** 5, 2.
2 ***Joan., y,*** 42.
3 ***Matth.,*** 2, 1; ***Luc.,*** 2, 4, etc.
4 ***Is., y,*** 14.
5 ***Luc.,*** i, 34-35.
6 ***Matth.,*** i, 20-21.
7 Vid. Sohoettgen, ***Horae hebr.***—Hos psalmos messianicos esse strenue probant hodie apologetae contra rationalistas et modernistas.
8 ***Ps.*** 2. 6.

tur vv. 7-11, *justitia et abundantia -pacis, donec auferatur luna. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum... Et adorabunt eum omnes reges terrae. Omnes gentes servient ei.* Quis hic Messiam regis nomine non agnoscat? Disertius adhuc loquitur *Jeremias* dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David germen justum; et regnavit* Rex, *et sapiens erit; et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus justus noster*[1]. b) *Spiritualis* vero, quia regnum universale et in perpetuum duraturum ipsi promittitur. Reges autem temporales non solent regnum universale et perpetuum obtinere. Unde Messias futurus erat *Rex spiritualis.*

Porro Jesum Christum esse *regem spiritualem* haud obscure probant evangelica testimonia. Angelus enim ait de Christo: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob* in aeternum, *et regni ejus non erit finis* [2]. Ipse quoque Jesus fassus est se esse *regem,* cum interrogatus a Pilato: *Ergo rex es tu?,* respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego* [3], vel *Tu dixisti* [4], vel *Tu dicis* [5], vel *Vos dicitis quia ego sum* [6]. Unde expresse ait: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* [7]. Ipse Pilatus Judaeis *crucifige* clamantibus respondit: *Regem vestrum crucifigam?*

Accurate tamen docuit Christus se non esse *regem temporalem* quoad exercitium in actu secundo instar aliorum regum. *Regnum meum,* inquit, *non est de hoc mundo* [8]. Cujus rationem illico reddit his verbis: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertassent, ut non traderer judaeis: nunc autem regnum meum non est hinc.* Quomodo Christus fuerit Rex quoad temporalia dicemus vol. 3, n. 871 sqq.

2) *Sacerdos.* Messiam vocat David sacerdotem dicens: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* [9]. Se ipsum in sacrificium Deo offerens constituendus erat mediator Dei et hominum, Juxta Isaiae prophetiam: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est -propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum et livore ejus sanati sumus... Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* [10]. Cujus *sacrificii fructus* annuntiantur his verbis: *Edent pauperes et saturabuntur... Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium* [11].

Jam vero, Jesus Christus sacerdotio functus, *hostiam* pro peccatis se ipsum Patri in cruce obtulit; *novum quoque sacrificium* instituit, in quo offertur Domino oblatio munda a solis ortu usque ad occasum,

1 *Jerem.,* 23, 5 sqq.
2 *Luc.,* I, 32 sqq.
3 *Joan.,* 18, 37.
4 *Matth.,* 26, 64.
5 *Marc.,* 15. 2.
6 *Luc.,* 22, 70.
7 *Matth* , 28, 18.
8 *Joan.,* 18, 36.
9 Ps. 109, 4.
10 *Is.,* 53, 4 sqq.
11 Ps, 21, 27-28.

cujus *fructus* fideles percipiunt, cum corpus edunt victimae, carnem scilicet et sanguinem Christi.

3) *Propheta.* Moyses annuntiavit Messiam fore prophetam cum inquit: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus* h

Christus autem tot edidit in vita *prophetias,* futura praedicendo, ut nullatenus valeas singulas enumerare.

253. D) Qualitates et notae personales Messiae adamussim Christo conveniunt.

Constat ex Veteri Testamento Messiam *humilem* fore ac *mitem* simulque *Deum.*

1) *Humilem* quidem ac *mitem.* Nam *servi Dei* nomine describitur, cum dicitur: *Ecce servus meus, suscipiam eum* 1, etc. *Auctor pacis* saepe in Scripturis nominatur, et ut *salvator* pauperum non semel perhibetur. *Salvos faciet,* dicitur, *filios pauperum, et humiliabit calumniatorem... parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas jaciet* 3.

Porro Jesus Christus mansuetudine, humilitate et miti corde celebratur in Evangeliis. Ipse namque occultam atque humilem vitam cum Maria et Joseph gerere non dedignatus, maluit semper, ut parvuli prae aliis ac pauperes ad se accerserentur, discipulos humiles sibi elegit, ac se ipsum humilitatis exemplar exhibuit dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* 4.

2) *Deum* quoque Messiam fore non solum judaeorum, qui adventum Christi praecesserunt, unanimi consensu, verum etiam innumeris Scripturarum testimoniis ostenditur. Etenim terra Zabulon et Nephtali (Galilaea) felix et laeta dicitur futura 5, quia ex ea orietur lux magna, et additur: *Parvulus natus est nobis,... et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis* 6. Hic de Messia sermonem esse eique divinitatem tribui multis probant argumentis interpretes Sacrae Scripturae. *De Messia* quidem agitur, tum quia *factus est principatus super humerum ejus,* tum quia vocabitur nomen ejus *Admirabilis, Pater luturi saeculi,* vel, ut habet textus hebraeus, *Pater aeternitatis ac Princeps pacis. Divinitas* etiam Messiae tribuitur cum *Deus, Pater juturi saeculi,* appellatur 7.

Item expresse dicit Michaeas ex Bethlehem Ephrata egressurum, qui sit dominator in Israel, *cujus egressus* fuerit *ab initio,* a diebus aeternitatis 8. Malachias, denique, ait *Dominatorem* statim venturum (post praecursorem) *ad templum suum.*

His et aliis testimoniis, quae brevitatis gratia praetermittuntur, patet Messiam in lege promissum esse Deum.

1 *Deui., 18,* 15.
2 *Is.,* 42, 1-4.
3 *Ps. 71,* 4-13.
4 *Matth.,* 11, 29.
6 *Is.,* 9, 1-5.
e *Is.,* 9, 6.
7 Cfr. Ottiger, *Theol. fund.,* part. I, § 43.
8 *Mich.,* 5, 2.

Porro Jesus Christus fuit verus Deus.

Nam judaeis, qui eum arguebant dicentes: *quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti?* 1. Respondit: *amen dico vobis, antequam Abraham jieret, ego sum.* Quo loco Jesus Christus divinitatem sibi vindicavit, aeternum se esse manifeste declarans.

Praeterea ait *Philippo: Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* 0. Duo hic Jesus Christus declarat, quae nonnisi Personae divinae convenire queunt, scilicet, 1) qui videt ipsum, etiam Patrem (primam Trinitatis Personam) videre, et 2) se in Patre et Patrem in ipso esse 23 Petiit Philippus a Christo, ut ostenderet eis Patrem, oculis utique corporeis, et Jesus visionem corpoream minime negans, de visione animi locutus est dicens, quicumque ipsum videret Patrem etiam conspicere, quia ipse in Patre et Pater in ipso est. Concedit ergo duplicem visionem, corpoream scilicet, qua humana Christi natura videtur, et spiritualem, qua divina ejus natura a quibusdam, Patrem nimirum videntibus, conspicitur.

254. E) Passio et mors Messiae. Passio et mors Christi, quas novimus ex evangelica narratione, fere ad litteram cum omnibus circumstantiis praenuntiantur nomine Messiae in Veteris Testamenti libris 4.

1 ***Joan.,*** S, 57.

2 ***Joan.,*** '14, 9-10.

3 Minime ausus est Strauss in ***Vita Jesu*** hunc locum expendere, sed maluit, quod solvere non poterat, silentio praeterire.

Alii rationalistae vel Evangelium Joannis prorsus rejiciunt, vel sensum verborum omnino torquent dicentes Christum locutum fuisse de morali sui ipsius cum Patre conjunctione et cohabitatione. Ita Rosenmuller ad vv. 9-10. Renan, ***Vie de Jésus,*** ch. 15, fassus est heic germen contineri doctrinae Christi, qui, impostor ut erat, paulatim declaravit se esse Deum.

4 Sequens textuum comparatio luculenter ostendit veritatem hujus adsertionis:

De Messia in Veteri Testamento.	**De Christo in Novo Testamento.**
Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Zach., 11, 12.	***Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati. Matth.,*** 27, 9.
Cum sceleratis reputatus est. Is., 53, 12.	***Et impleta est Scriptura, quae dicit: et cum iniquis reputatus est. Mare.,*** 15, 28.

Frustra conantur judaei ac rationalistae hodierni hujus capitis authentiam negare, vel certe sensum contorquere. Antiqui interpretes unanimi consensu illud Isaiae tribuerunt, et de vero Messia egisse demonstrarunt. Veterum interpretationem sequuti sunt apologistae catholici. Vide **Henstenberg,** ***Christology,*** vol. 2, p. 259. Praetereundum non est quod Josephus Isaac Levita scripsit circa hoc caput: «Ingenue profiteor, inquit, illud ipsum caput ad fidem Christianam me perduxisse. Nam plusquam millies caput illud perlegi, contuli accurate cum multis translationibus, deprehendi centies plus de Christo mysteria in textu hebraeo contineri, quam in ulla ratione contineantur».

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: /aciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Is., 50, 6.	***Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in /aciem ejus dederunt. Matth.,*** 26, 67.

Haec abunde probant vaticinia V. T. de Messia in Christo fuisse adimpleta. Tot autem facta, non casu nec fortuito nec humani ingenii ope, sed per solum interventum divinum praenuntiari potuerunt et adamussim in Christo adimpleri. Hinc Messiae stirps ac indoles, nativitatis locus ac tempus, necnon vitae mortisque circumstantiae, aliaque quamplurima facta in V. Testamento praenuntiata et adamussim in Christo adimpleta ostendunt Christum fuisse verum Messiam ac legatum divinum toties a prophetis praevisum et nuntiatum.

QUAESTIO XII

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANAE

255. Christus, dum in terris ageret, fundavit suam religionem, quae ab ipso Christiana dicitur. Divinitas hujus religionis ostenditur ex sublimitate ejus doctrinae, quae puritate, pulchritudine et harmonia lucet, et ex admirabili vita Ecclesiae, quae celerrima per mundum propagatione, eximia in omnibus bonis fecunditate, catholica unitate et invicta stabilitate manifestatur.

Expendenda sunt haec argumenta, ut divinitas religionis Christianae demonstretur.

Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ps. 21, 17-18.

Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Ps. 21, 19.

Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Ps. 68, 22.

Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum. Ps. 21, 7 sqq.

Et pro transgressoribus rogavit. Is., 53.

Adspiciebant ad me, quem confixertint. Zach., 12, 10.

Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ps. 15, 10.

Postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum. Luc., 23, 33.

Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: diviserunt sibi VESTIMENTA MEA, ET SUPER VESTEM MEAM MISERUNT SORTEM. ***Matth.,*** 27, 35.

Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Matth., 27, 48.

Praetereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua ei dicentes: Vah! **gui** destruis templum Dei, et IN TRIDUO ILLUD REAEDIFICAS: SALVA temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce, **etc.** ***Matth.,*** 27, 39-43.

Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Luc., 23. 34.

Unus militum lancea latus ejus aperuit. Joan., 19, 34.

Quem Deus suscitabit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Act., 2, 24 sqq.

ARTICULUS I

UTRUM DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANAE DEMONSTRETUR EX SUBLIMITATE DOCTRINAE EJUSDEM

256. Status quaestionis. 1) Doctrina Christiana est duplex, dogmatica et moralis, prout veritates speculativas vel regulas vitae practicae tradit.

2) Doctrina potest considerari *in se* quantum ad excellentiam et rectitudinem, quam habet ex objecto, et *in suis effectibus,* quatenus hominum conditionem mutat. Prima consideratio pertinet ad sublimitatem doctrinae, de qua hic agimus, et secunda ad admirabilem Ecclesiae vitam, quae constituit *miraculum morale,* et exponetur in sequentibus articulis.

257. Thesis. Doctrina tum dogmatica tum moralis religionis Christianae probat divinitatem ejusdem.

Pars 1.a Doctrina dogmatica.

Arg. Doctrina, quam Christus de *Deo, mundo* et *homine* tradidit, longe eminet inter omnia systemata, quotquot exstiterunt, philosophorum et sapientum, et superat omnem investigationem intellectus humani, ita ut nemo sibi relictus potuerit unquam, vel in posterum valeat, doctrinae summam adeo completam ac sublimem excogitare vel hominibus tradere.

De Deo quidem, quem Jesus eoque praecone Novi Testamenti scriptores praedicarunt esse unum spiritum purum [1]; perfectum 3; bonum 4; immensum 5;* immutabilem e; aeternum 7; infinitum 8; sapientem 9. Mysteria quoque Trinitatis 10,l llIncarnationis11, Eucharistiae 12, etc., patefecit. Unde primam personam providentissimum Patrem 13; secundam Filium a Patre genitum et hominum Redemptorem 14, tertiam Spiritum Sanctum auctorem sanctificationis esse docuit15.

De mundo. Veterum philosophorum sive indorum sive persarum, sive aliarum gentium circa mundi formationem theorias minime sequutus, veram de mundi creatione doctrinam proposuitle, angelos exsistere docuit 17, orbis terrarum evolutiones18 et finem 19 non obscure tradidit.

De homine. Hominis tandem originem per creationem explicuit 20, animae spiritualitatem et immortalitatem docuit 21, hominem intellectu

1 ***Marc.,*** 12, 29.
2 ***Joan.,*** 4, 24.
3 ***Matth.,*** 5, 48.
4 ***Luc.,*** 18, 19.
° ***Act.,*** 17, 28.
° ***Jac.,*** i, 17.
7 ***I Tim.,*** 6, 16.
3 ***/ Tim.,*** 6, 16-17.
11 ***Rom.,*** 16, 27.
■" ***Matth.,*** 28, io.
11 ***Joan*** , 8, 42.
12 ***Matth.,*** 26, 26.
13 ***Matth.,*** 6, 24-33.
14 ***Joan.,*** i, I sqq.
15 ***Joan.,*** 14, 26.
16 ***Marc.,*** 13, 19·
17 ***Matth.,*** 18, 10.
18 ***Luc.,*** 21, 33.
19 ***Marc.,*** 13, 14-37·
28 ***Marc., 13.*** 19·
21 ***Matth.,*** 25, 31-46.

et voluntate ac proinde libero arbitrio esse praeditum luculenter ostendit [1], judicium universale futurum praedixit [2], exsistentiam caeli et gehennae adseruit [3], visionem beatificam promisit bene operantibus [4], aeternum vero incendium minatus est male se gerentibus [5], ac demum corporum resurrectionem praenuntiavit [6].

Pars 2.a Doctrina moralis.

Doctrina pariter moralis, quam tradidit Christus, superabat omnem investigationem humanae rationis. Quae enim in homine referebantur ad Deum, ad proximum et ad se ipsum, mira sapientia et sollicitudine ultra vires humani intellectus nos docuit.

1) *Erga Deum* exigit Christus summam dilectionem cum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum*[11]. Haec est prima morum regula, ex qua oritur obligatio 1) colendi Deum actibus internis: *Spiritus est Deus,* ait *Joannes, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* [8]; 2) exhibendi Deo cultum externum; qui enim anima constat et corpore, actibus internis et externis oportet Deum colere; 3) concipiendi salutarem Dei timorem, qui, Propheta teste [9], est initium sapientiae. Praecipimur timere Deum, qui potest *et animam et corpus perdere in gehennam* [10].

2) *Erga proximum.* Praecepit Christus amorem erga proximum dicens: *Secundum autem* (praeceptum) *simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum*[11]. Haec, profecto, est secunda lex fundamentalis codicis Christiani. Hinc voluit Christus, ut proximus in Ecclesia diligeretur, non sicut apud ethnicos, qui ab hostium et servorum amore abhorrebant, sed, ut par est, nulla facta exceptione. *Diligite,* ait, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*[12].

Hanc capitalem doctrinam evolvens, docuit parentes esse honorandos [13], superiores venerandos [14], inferiores cum caritate fovendos[15], pauperes subveniendos[16], peccatores misericorditer vocandos [17], omnes denique indiscriminatim bonis operibus et verbis benevolis Deo lucrandos.

3) *Erga se ipsum.* Philosophorum antiquae aetatis, qui, rebus materialibus nimis dediti, corporis proprii commoditatem quaerebant, theoriam corrigens, accurate tradidit Christus integrum corpus doctrinae, quam oporteret in officiis erga se ipsum adimpleri. Hinc imprimis statuit, ut unusquisque se ipsum prudenter diligeret. *Diliges,* ait, *pro-*

[1] *Matth.*, 25, 31 sqq.
[2] *Matth.*, 25, 31 sqq.; *Marc.*, 13, 14-37.
[3] *Matth.*, 18, 2-10.
[4] *Matth.*, 5, 3-10.
[5] *Matth.*, 25, 41.
[6] *Matth.*, 25, 32.
[7] *Matth.*, 22, 37-38.
[8] *Joan.*, 4, 24.
[9] Ps. 110, 10.
[10] *Matth.*, 10, 28.
[11] *Matth.*, 22, 39.
[12] *Matth.*, 5, 44.
[13] *Matth.*, 15, 4.
[14] *Marc.*, 12, 17.
[15] *Luc.*, 10, 37.
[16] *Matth.*, 10, 42.
[17] *Matth.*, 9, 13.

ximum tuum sicut te ipsum 1. Ita tamen hunc erga propriam personam amorem ab omnibus temperandum voluit, ut nunquam foret obstaculo saluti aeternae adipiscendae. *Quid enim,* inquit, *prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* 2. Exinde malitiam peccati patefaciens 3 hortatus est omnes, ut a peccato abhorrerent 4. et Patrem caelestem, qui ipsa sanctitas est, imitati, virtutes omnes colerent atque perfectionem animae adipiscerentur. *Estote ergo vos,* ait, *perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* ". Consequenter damnavit omne genus impudicitiae e, avaritiae 7, ambitionis 8, superbiae 9, vanitatis 10, simoniae u, scandali12, incredulitatis13, et commendavit diligenter fidem w, spem 1S, caritatem 16, humilitatem 17, obedientiam 18, mortificationem19, patientiam 20, puritatem cordis 21, rectitudinem intentionis 22 etc.

His addidit consilia, quae inde vocantur evangelica, pro illis, qui altiorem vellent adsequi perfectionem. Unde patefecit meritum obedientiae 23 laudavit coelibatum atque statum continentiae 24, et voluntariam persuasit hominibus paupertatem 2S.

Individuorum perfectionem curavit per omnium virtutum exercitium, familiae sanctitatem promovit per unitatem et indissolubilitatem matrimonii23, et solidae societatis ac oeconomiae politicae fundamenta jecit persuadens hominibus congruam bonorum administrationem.

Ostensa dein necessitate gratiae sanctificantis ad salutem, paravit media ad illam producendum efficacia, scilicet sacramenta, et docuit quemlibet orationi indesinenter vacare oportere, ut dona accipiat a Deo pretiosa.

Ipse *Renan,* vaferrimus impugnator divinitatis Christi, fateri coactus est excellentiam hujus doctrinae 27.

Quae cum ita sint, merito laudatur Christus a *Joanne* dicente æ: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et *Paulus* de eo ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* 29.

1 *Matth.,* 22, 39.
2 *Matth.,* x6, 26.
3 *Mare.,* 2, 7.
4 *Joan.,* 8, 7-11.
6 *Matth.,* 5, 48.
6 *Matth.,* 5, 27-28.
7 *Matth.,* 6, 19-24.
8 *Mare.,* 10, 40-44.
0 *Luc.,* 16, 15.
10 *Joan.,* 5, 44.
11 *Matth.,* 10, 8.
12 *Matth.,* 18, 6.
13 *Matth.,* 17, 16.
14 *Matth.,* 9, 22.
1S *Matth.,* 14, 27.
10 *Matth.,* 22, 37,
17 *Matth.,* 11, 29.
18 *Joan·,* 4. 34·
19 *Luc.,* 13, 3.
20 *Matth.,* 5, 10-12.
21 *Matth.,* 5, 8.
22 *Matth.,* 6, 22.
23 *Matth.,* 20, 26-28.
24 *Matth.,* 19, XX-12.
25 *Luc.,* 6, 24-26.
26 *Matth.,* 19, 3-9.
27 *Vie de Jésus,* ch. 1 et 7. Unde pag. 84, haec habet: «La morale évangélique... reste la plus haute création, qui soit sortie de la conscience humaine, le plus beau code de la vie parfaite qu'aucun moraliste ait tracé».
28 *Joan.,* 1, 9.
29 Co/., 2, 3.

258. Scholion. Divinitas doctrinae Christi probatur etiam ex modo, quo tradita fuit. Quod sane argumentum non infimum locum habere putamus hac in re, si rite expendatur.

Primo igitur considerandum est Christum *certitudinaliter* et absque ulla haesitatione doctrinas tradidisse, quae mundum universum natae sunt instaurare. Quis hoc unquam potuerit efficere? Omnes antiqui philosophi, quotquot scholas fundaverunt vel alios docendi munus acceperunt, licet non mediocri ingenio praediti, prius studiis enixe operam dedere. Sic Platonis, sic Aristotelis, sic Socratis nomen effectum celebre. Ipsi quoque doctrinae Christianae infensissimi hostes *Pousseau, Voltaire, Strauss, Draper, Penan, Spencer,* etc., nonnisi post longas noctis vigilias et durissimos labores tristem aliquando celebritatem et famam obtinuere. At Christus nunquam litteras didicit », ad aetatem usque triginta annorum officio humili deditus, philosophorum ac fundatorum antiquarum religionum theorias nunquam investigavit, et nihilominus mysteria Trinitatis, Incarnationis et Eucharistiae, hominis ad statum supernaturalem elevationem et in peccatum lapsum, atque proximam redemptionem, necessitatem gratiae aliaque plura dogmata et praescripta moralia, antiquis ignota, proposuit maxima cum certitudine. Et quamquam a pharisaeis, sadducaeis et aliis suae doctrinae hostibus non semel impeteretur, nunquam tamen consilium mutandum censuit, sed firmius semper in idipsum institit, ita ut, cum judaei de promissione Eucharistiae scandalizati proficiscerentur, dixerit ad duodecim discipulos: *Numquid et vos vultis abire?* [1].

Hic sane modus docendi veritates, captum hominis excedentes, ostendit Christum Dominum fuisse legatum divinum, et locutum fuisse sapientiam, non hominum sed vere divinam, quam acceperat per aeternam a Patre generationem.

Secundo, summa ingenuitate et animi tranquillitate omnes doctrinas ita tradidit, ut ipsi quoque judaei non semel mirarentur de tanta mansuetudine. Quam animi tranquillitatem ut infunderet apostolis, compescuit non semel eorum violentiam ac impetum [3].

Tertio, mira claritate, ut par erat, novam religionem proposuit. Solent sophistae communiter arte rhetorica et studioso verborum apparatu uti, ut sub fuco oratorio possint facilius fraudes obtegere; sed Jesus sermone facili ac omnium ingenio accommodato usus est, et, ubi opus fuit, altissimas veritates ac occultissima dogmata sententiis, parabolis et comparationibus explicuit, ut rudes quoque et illiterati fructum suae praedicationis valerent excipere. Nulla in ejus verbis abstractio difficilis, nulla philosophica disquisitio, sed sublimitas ejus sermonis in eo sita est, ut ex abundantia et persuasione cordis mysteria, quae sunt in Deo abscondita, et veritates, quae totum genus humanum natae sunt illuminare, simplici narratione plerumque exposuerit. Unde judaeorum ministri mirati sunt valde de doctrina et modo loquendi Jesu, et accersiti ad Pontifices et pharisaeos dixerunt eis: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* [4].

Solvitur difficultas.

259. Obj. *Strauss, Schopenhauer, Penan* et alii ex rationalistis multi, huic doctrinae opponunt vitam, gesta et doctrinas *Çakyamuni* (Budhae), quem dicunt plures habuisse analogias cum Christo, imo in quibusdam eum superasse.

Budha, sicut narrant historiae, virtute supernatural! conceptus ac natus est ex matre Maya, virgine; statim ac natus exclamasse dicitur se salvatorem fore mundi, et audivisse concentum *devas* (spirituum supernaturalium), qui eum salutarunt. Cum a patre, Rege Sudhodana, deferretur in

1 ***Matth.,*** 13, 55.
2 ***Joan.,*** 6, 68.
3 ***Matth.,*** 26, 52.
4 ***Joan.,*** 7, 46.

templum, vir quidam sapiens, nomine Asita, accipiens puerum in manibus, vaticinatus est eum subacturum esse mundum verbis ac doctrina. Scientiis et artium studio in domo paterna deditus proprios superavit magistros. Cum ter deambulatum iret, obviam habuit *primo* senem quemdam, *secundo* aegrum, et *tertio* cadaver hominis cum funebri comitatu, ex quibus didicit paupertatem, dolorem et mortem in mundo exsistere; quibus remedium apponere volens secessit in desertum, ubi orationi et poenitentiae se tradidit. Caelestibus illustrationibus perfusus *Budhae* nomen, quod *sapientem* significat, accepit.

Quadraginta fere annos natus praedicationis officium suscepit, innumeros discipulos adeptus est, monasteria aedificavit, doctrinas tum theoreticas tum practicas sapientia refertas tradidit, et multa miracula patravit. Praecepit discipulis, ut a furto, homicidio, adulterio, etc., se abstinerent, et 'orationi, poenitentiae ac bonis operibus vacarent '.

Resp. Negandum omnino est Budham aliquando superasse Christum excellentia ac puritate doctrinae. Si quae autem referuntur ejus cum Christo analogiae, certe legendae sunt Christianismo posteriores.

Budhismus primo fundatus est in Brahmanisme, ut plures certis argumentis probant [1], et deinde paulatim se evolvit.

Doctrina quam discipulis tradidit, non excedit captum rationis naturalis, imo et gesta ejus, quae historice probantur, nullam exhibent legationem divinam.

Minime negaverim plures analogias exsistere Evangelia inter et relationes budhicas; conceptio siquidem Budhae in ventre virginis Maya, concentus spirituum et *devas* in ejus nativitate, praesentatio pueri ad senem Asita, hujus de mundo renovando vaticinium, adventus principum cum donis e terris longinquis, concursus pastorum, tentationes Çakyamuni in deserto, discursus et parabolae ejus praedicationis, conversio mulieris peccatricis, et alia hujusmodi cohaerent cum vita et gestis Domini N. Jesu Christi, sed minime praetereundum est *legendas Lalita-Vistara* et scripta biographica *Budhagosta* et *Asvaghosta,* in quibus primo apparuerunt documenta Budhismi, nostris Evangeliis multo posteriora esse, quippe quae prodierunt saeculo ni aerae Christianae [3]. Plura igitur, quae a Çakyamuni tradita dicuntur, ex nostris Evangeliis hausta sunt. Hinc patet quam immerito dixerit *Aemilius Burnouf* [4]Jesum Christum a Budha suas doctrinas accepisse.—Pariter certum est apud criticos miracula Budhae apocrypha esse et omni veritate historica ac philosophica destituta.

Praeterea, Budhismus scatet plerumque erroribus fatalismi, metempsychosis, atheismi practici et annihilationis; et, si quid continet in suo decalogo laude dignum, id proculdubio accepit ex libris Christianorum [5].

Ex his manifeste patet quam leviter se gesserint qui Budhismum ita laudibus extollunt, ut Christianismum despicere videantur.

Hoc unum sane mirandum est ex hominibus Europae, qui, scientiarum cultores appellati, nullum unquam dederunt pietatis ac religionis signum, fervidos his ultimis temporibus surrexisse Budhismi defensores. Quod triste munus ac nomen meruere *Burnouf, Rosny,* et *Malon* in Gallia; *Max Müller* in Anglia; *Schopenhauer, Hartmann* et *Richardus Wagner* in Germania, etc. [6].

1 Cfr. Jaugey, ***Diccion. Apolog.,*** v. «Budismo». Mir, ***La Religidn,*** c. 7.

2 Bartholomaeus Saint-Hilaire, ***Le Budha et sa Religion,*** i860, p. 164.

3 Cfr. De Broglie, ***Problèmes,*** etc., ch. 6 et 7.

4 ***Revue des deux mondes,*** 15 Juillet, 1888.

5 Vid. ***Revista de las Religiones,*** 1890, p. 184 et 387. Vide quae infra dicemus de Budhismo, n. 283.

0 Vid. Papus, ***L'imitation, Le Matin,*** 9 Mars 1890; et Renan, ***Estudios de Historia religiosa,*** p. 66 sqq. (hisp. vers.).

ARTICULUS II

DE MIRABILI VITA ECCLESIAE

§ 1

Utrum divinitas religionis christianae rite ostendatur ex ejus celerrima in orbem propagatione.

260. Status quaestionis. Missionem religionis propagandae dederat Christus apostolis dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiribus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*x. Hoc praeceptum adamuSsim impletum est ab apostolis, et religio Christi, non obstantibus persecutionibus celerrime propagata est ubique terrarum, et multitudo fidelium in immensum crevit.

Ut divinitas religionis christianae ex ejus rapida propagatione demonstretur, omnes quaestionis circumstantias oportet perspectas haberi. Budhismus, Mahumetismus aliaeque paganorum religiones, vix ortae, mirum in modum propagatae sunt, et nihilominus longe distant a veritate. Qua ergo ratione solius religionis christianae veritatem ac divinitatem pernix in orbem terrarum propagatio demonstret? Differentia hac in parte inter Christianam aliasque religiones quaerenda est in ipsis circumstantiis propagationis.

Idcirco investigandum est in praesenti, utrum haec propagatio cum omnibus circumstantiis, quae comitatae sunt, eos characteres habuerit, ut divinam religionis christianae originem satis ostendat.

261. *a)* Rationalistae omnes, plus minusve directe, vim hujus argumenti inficiari conantur. Hinc *Renan* exspectationi adventus Messiae, quae animis judaeorum inerat, et enthusiasmo consequenti, propagationem religionis christianae tribui posse censuit 1. *b) Gibbon 3, Lecky* 4*et alii non pauci increduli hanc propagationem causis secundis naturalibus adseripserunt. Ipse etiam Abbas *De Broglie* 6 nimis videtur concessisse causis naturalibus, et miraculum morale, quod theologi communiter admittunt in propagatione Christianismi, e medio sustulisse.

262. Thesis. Celerrima ac mira religionis christianae per orbem terrarum propagatio, si omnia inspiciantur adjuncta, divinam ejus originem luculenter demonstrat.

Arg. 1) Religio Christiana rapide per mundum propagata est, 2) superatis innumeris ac gravissimis quae se opponebant obstaculis, et quidem 3) mediis tot difficultatibus superandis et tanto operi exequendo naturaliter ineptis. Ergo religio Christiana est divina.

1 *Matth.,* 28, 19-20.
2 *Vie de Jésus,* ch. 19; *Les apôtres,* ch. 6.
3 *History of the Decline and Fall of the Roman Empire,* c. 15.
4 *History of European Morals,* vol. 1, c. 3.
0 *L'Église et l'empire romain,* au iv siècle, 1.» p., t. 1.

Consequentia patet, quia ad superanda illa propagationis obstacula requirebatur interventus divinus, qui nonnisi pro religione pariter divina concedi poterat. *Ant. prob.*

263. Pars 1.a Religio Christiana celeriter per orbem propagata est.

In *Actibus Apostolorum* describuntur exordia mirae ac celeris propagationis Christianismi. S. *Petrus,* accepto in die Pentecostes Spiritu Sancto, prima concione ad populum habita tria circiter millia animarum [1], et paulo post secunda concione quinque millia animarum ad fidem convertit [2]. Exinde, apostolis praedicantibus, *magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum* [3]; ita ut ante annum a morte Christi elapsum innumeri fuerint fideles in Palaestina. Exorta autem tunc temporis persecutione, ejecti fideles e civitate et dispersi per regiones Judaeae et Samariae evangelizaverunt verbum Dei [4]. Apostoli vero, quasi diviso sibi mundo pro laboribus evangelicis, praedicaverunt Evangelium, *Philippus* Samariae, in Gaza, Azoto, Caesarea [5] et Phrygia[6]; *Thomas* ad Parthos, Medos, Persas, Hyrcanos et Bactros [7]; *Andreas* in Scythia [8], *Bartholomaeus* in India [9], *Thaddaeus* Edessi[10],[11] *Iacobus* in Hispania[11], *Petrus* Antiochiae et Romae, ac denique *Paulus* ubique fere terrarum, ita ut tunc impletum fuerit, sicut diserte adserit S. *Paulus*[12] illud vaticinium Regis Prophetae: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in lines orbis terrae verba eorum* [13],[14]. Unde Apostolus cum ingenti gaudio dixit: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* [15]. Et Petrus primam suam epistolam scripsit *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae* [16]. Novimus deinde per S. *Joannem*[17] septem ad minus circa finem saeculi primi fundatas fuisse in Asia Ecclesias, nempe Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiciae, ac referunt tandem historiae singulos apostolos in singulis, quae ipsis contigerant regionibus pro praedicando Evangelio, plures fundasse ecclesias.

Postquam apostoli vita decesserunt, Patres apostolici aliique viri sanctissimi, praedicationi evangelicae operam dantes, Evangelium Jesu Christi ubique praedicaverunt. Quare, antequam *Constantinus Magnus*

1 ***Aci.,*** 2, 41.
2 ***Ad.,*** 4, 4.
3 ***Ad.,*** 5, 14.
4 ***Ad.,*** 8, i.
5 ***Ad.,*** 8, 5-40.
6 Hergenrother, ***Hist, de la Igl.,*** primer periodo, n. 41.
7 ***Brev. Rom.,*** 21 Dec.
8 Eusebius. ***Hist, ecd.,*** lib. 3, c. i; MG 20, 216.
9 ***Brev. Rom.,*** 24 Aug., et Hergenrdther, ***Hist, de la Igl.,*** primer periodo, n. 40.
10 Eusebius, ***Hist, ecd.,*** lib. I, c. 13; MG 20, 121.
11 ***Brev. Rom.,*** 25 Jul.; et Flôrez, ***Espaila sagrada,*** t. 6.
12 ***Rom.,*** 10, 18.
13 ***Ps.*** 18, 5.
14 ***Rom.,*** 1, 8.
15 ***1 Petr.,*** I, I.
16 ***Apoc.,*** t, 11.

fidem catholicam saeculo iv profiteretur, religio Christiana ad omnes fere gentes propagata est, altas ubique radices egit, innumerasque victimas, quae pro Jesu Christo sanguinem fuderunt, Deo Patri obtulit.

Hoc jam tempore testantur apologetae et historiographi ecclesiastici numerum fidelium in immensum auctum fuisse. Hinc S. *Clemens* ait: «Hisce viris (Petro et Paulo martyribus) aggregata est multitudo ingens electorum, qui multa martyria et tormenta sustinuerunt nobisque exempla facti sunt»1. *Hermas* addit: «Quoniam universae nationes, quae sub caelo sunt, audierunt et crediderunt, et uno nomine filii Dei vocati sunt» 2. Necnon S. *Justinus* haec habet: «Nullum omnino genus est, sive graecorum sive barbarorum, sive quolibet nomine appellentur, vel hamaxobiorum, qui in plaustris degunt, vel nomadum, qui domibus carent, vel scenitarum, qui pecora pascentes habitant in tentoriis; nullum, inquam, ejusmodi genus est, in quo non per nomen crucifixi Jesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant» 3. *Tertullianus* denique, ut alios omittamus, «hesterni sumus, inquit, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum: sola vobis reliquimus templa» 4. Et iterum: «Cui enim et aliae gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitae, et qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam; et incolentes Pontum, et Asiam et Pamphyliam, immoralités Aegyptum et regionem Africae, quae est trans Cyrenem, inhabitantes, romani et incolae, tunc et in Hierusalem Judaei, et caeterae gentes, ut jam Gaetulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum et additarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quae enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat, utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae, et cui nullae sunt clausae, ante quem serae ferreae sunt comminutae, et valvae aereae sunt apertae» 5.

Id ipsum unanimiter testantur scriptores ecclesiastici et profani, ita ut ethnici interdum, cum progressus Christianismi conspicerent, alte commoti fuerint. Hinc *Tacitus* ait ingentem Christianorum multitudinem in sola Neronis persecutione capite damnatam fuisse 6. *Celsus* 7 adserit Christianos mire propagatos fuisse. *Plinius* junior 8 ad Trajanum scribens non civitates tantum, inquit, sed vicos etiam atque pagos religionem Christianam pervagatam esse. *Suetonius* item 9 eadem declara-

1 ***1 Ep. ad Cor.,*** c. 6; MG 1, 220.
2 ***Pastor,*** lib. 3, sim. 9, c. 17; MG 2, 997.
3 ***Dial, contr. Tryph.,*** n. 117; MG e, 748. ***Apol.,*** c. 37; ML 1, 525.
5 ***Adv. Jud.,*** c. 7; ML 2, 649.
8 ***Annal.,*** lib. 15, c. 44.
7 Apud Origenem, ***Contr. Celsum,*** 3, 10; MG 11, 932.
8 Lib. 10, ep. 97.
8 ***In Heron.,*** 16.

vit. His certe adjungendi sunt alii ethnici scriptores omnesque communiter historiographi ecclesiastici et apologetae catholici[1].

Qui autem religionem Christi amplexati sunt, non omnes rudes fuere ac indocti, ut persecutores Ecclesiae illius temporis minus accurate dixerunt, et hodierni clamitant, «sed et quam plurimi, ut egregie ait *Schwetz*[2], nobilitate illustres, doctrina florentes ac moribus exculti Christum sunt secuti, ut suo exemplo docuerunt ex judaeis turba sacerdotum, Crispus, Sosthenes, Apollo[3], (quibus addas Nicodemum, Josephum ab Arimathaea, S. Paulum); ex gentilibus (praeter Cornelium Centurionem) Sergius Paulus proconsul, Dionysius Areopagita[4], Clemens Romanus, Hermas, Polycarpus, Ignatius, Glabrio, qui sub Trajano magistratum gesserat, Justinus, Athenagoras, Tatianus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Ammonius, Origenes, Aristides, Apollinaris, Quadratus, Apollonius, etc., praeter illos, quos Tertullianus recenset ex palatio, senatu, et Plinius quoque omnis ordinis commemorat». Lege Romae catacumbarum inscriptiones[5], lege martyrum primorum saeculorum acta, lege quoslibet antiquos Christianorum codices, et plures in eis profecto invenies ex nobilissimis familiis Christianae religionis professores, illustres scilicet viros, qui sua ingenia et commoditates Domino consecravere, notabilissimas matronas, quae suis facultatibus et opibus progressui Christianismi non parum contulere, virgines candidissimas, quae, claris spretis connubiis, Christum secutae sunt, et fidem catholicam sanguine proprio obsignarunt. Unde *Arnobius* ait: «Magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant»[6].

264. Pars 2.a Innumera eaque gravissima, quae propagationi Christianismi obstabant, superata sunt impedimenta.

[1] Cfr. Eusebius, ***Hist, eccl.,*** lib. 9: MG 20, 798 sqq.; Hergenrother, ***Hist, de la Igl.,*** primer periodo, nn. 18-103.

[2] ***Theol. gen.,*** § 133.

[3] ***Ad., 6,*** 7; 18, 8, 24 sqq.; ***I Cor.,*** I, 1.

[4] ***Ad.,*** 13, 7-12; 17, 34.

[5] Apud Rossi, ***Roma sotterranea,*** et apud Marucchi, ***Itinéraire des Catacombes,*** et ***Le Catacombe Romane; Manuale di Archeologia cristiana,*** p. 3, «Cimiteri cristiani», et p. 4, «L'epigrafia cristiana».

[6] ***Adv. Gent.,*** lib. 2, 5; ML 5, 8i6. Cfr. S. Hieronymus, ***Prol.*** in lib. de viris illustr.; ML 23, 634. Uno conspectu exhibet Werner, ***Orbis terrarum catholicus,*** p. 2, progressus religionis Christianae per singulas aetates. En tabella:

Saec.	I	500.000	Saec.	XI	70.000.000
»	II	2.000.000	«	XII	80.000.000
»	III	5.000.000	9	XIII	85.000.000
»	IV	10.000.000	9	XIV	92.000.000
»	V	15.000.000	»	XV	100.000.000
»	VI	20.000.000	9	XVI	125.000.000
*	VII	25.000.000	9	XVII	150.000.000
I	VIII	30.000.000	9	XVIII	200.000.000
*	IX	40.000.000	9	X|X	300.000.000
9	X	50.000.000			

Ili tamen computus, esto progressum Ecclesiae non interruptum certo demonstrent, nequeunt praecise determinari.

Arg. Obstacula, quibus religio Christiana semper obluctari debuit, quaeque naturaliter superare minime potuit, fuere duplicis generis, alia *interna,* alia *externa.* De singulis breviter disseramus.

1) Interna, a) *Primum* obstaculum internum propagationis fuit *origo ipsa Christianismi ab auctore judaeo eoque crucifixo.* Judaei enim ab omnibus, praesertim a romanis, odio et ludibrio habiti sunt, ut diserte testantur *Tullius* \ *Plinius* 1 et *Tacitus* 3. Quare omnia judaeorum proposita et consilia, ipsa quoque religio, exprobrabantur a gentibus. Religio autem Christiana Christo auctore orta est, qui judaeus fuit, et crucis supplicio, quod erat tunc temporis ignominiosissimum, damnatus. Hinc apostoli et divini verbi praecones Christum crucifixum praedicabant, ;Waeis *quidem scandalum,* ut ait S. *Paulus, gentibus autem stultitiam* 45 Unde gentiles, praesertim romanir, eligionem Christi aspernati sunt et ab incunabulis suffocare contenderunt.

b) *Secundum* impedimentum internum fuit *ratio doctrinae Christi.* Doctrina namque Christi, tum *dogmatica* tum *moralis,* fuit omnino contraria opinionibus, aspirationibus et superbiae gentium, a) *Dogmatica* quidem, quia dogmata ac mysteria religionis Christianae erant humanae rationi impervia, et philosophorum gentilium, qui eo tempore tanti aestimabantur, vires superantia. Hujusmodi erant mysteria Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis Verbi, Eucharistiae, originalis culpae, justificationis, oeconomiae sanctitatis, carnis resurrectionis, etc. Imo ipse Christus origine judaeus, tanquam infamis, maleficus ac impostor cruci ignominiose traditus, proponebatur ut Deus colendus et adorandus. Quod sane abhorrebant ethnici admittere. Quare religionem Christianam vocabat *Tacitus 6 exitialem superstitionem. Plinius 6 amentiam,* et *Min. Felix 7 furiosam opinionem,* β) *Moralis* pariter doctrina Christi gentilium moribus e diametro se opponebat. Nam «Dominus noster, ut apposite ait S. *Gregorius,* contraria opposuit praedicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeciperet humilitatem» 89 Consequenter *superbis* praescripsit humilitatem ®, *luxuriosis* castitatem 10,1 *avaris* voluntariam paupertatem u, *iracundis* mansuetudinem 12, *seditiosis* caritatem 13, *superstitiosis* verae religionis professionem 14. *curiosis* abnegationem et gravitatem 1S, *omnibus*

1 ***Pro Flacco,*** 28.
2 ***Hist, nat.,*** 13, 9.
3 ***Hist.,*** lib. 5, 5, 8, 13.
4 ***I Cor.,*** i, 23.
5 ***Annal.,*** 15, 44.
6 ***Lib.,*** 10, ep. 97 ad Traj. Imp.
' ***Octav., c.*** ii; ML 3, 277.
8 Hom. 32 in Evan.; ML 76, 1232.
9 ***Luc.,*** 14, ii.
19 ***Gal.,*** 6, 8.
11 ***Matth.,*** 6, 19.
12 ***Luc., f>,*** 29.
13 ***Luc.,*** 6, 27.
14 ***Luc.,*** 17, 21.
13 ***II Cor.,*** 4, 18. Cfr. S. Augustinus, ***De vera religione,*** c. 3 sqq.; ML 34, 124 sqq.

denique dixit Christus: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* 1. Synthesis doctrinae moralis Christi fuit, ut unusquisque voluptates ac illecebras carnis fugiens ac desideria cordis cohibens, Deum super omnia quaereret, coleret et amaret. Haec autem omnia populis gentilibus, qui vitiis luxuriae, avaritiae et superbiae magis in dies dediti erant, difficilia prorsus visa sunt.

2) Externa. Obstacula etiam externa quamplurima fuerunt, quae maxime impediebant propagationem religionis Christianae.

a) *Judaei* imprimis religioni mosaicae, quam a Deo revelatam acceperant, ejusque caeremoniis et ritibus, imo traditionibus populi israelitici tenacissime addicti, a religione Christiana quam maxime abhorrebant. Et tametsi Messiam exspectarent venturum, non tamen humilem et pauperem, sed regem potentissimum, qui ipsos a romanorum dominatione miseriisque hujus vitae eriperet, fingebant, et Jesum ejusque discipulos, pauperes et humiles, sequi erubescebant. Hinc nullum non moverunt lapidem, ut non solum Jesus contumeliis affectus oblivioni traderetur, verum etiam ut apostoli ac omnes Christiani falsis criminationibus et horrendis calumniis insectarentur. Jesum Christum primo ut impostorem crucifixerunt, dein, resurrectionem ejus et gesta fabulis et figmentis discipulorum tribuentes 2, omnes Christianos de falsis criminibus accusarunt 3, et imperatorum in ipsos odium ac furorem non semel concitaverunt; imo non paucos judaeos ac gentiles ab amplectenda Christi doctrina abduxerunt.

b) *Gentiles* praesertim, effrenatae licentiae ac vitiis dediti, obstiterunt propagationi Christianismi. Quotquot ex illis exstiterunt civium classes, magistratus et plebeji, sacerdotes et laici, camis illecebris illaqueati cum essent, novae religioni pertinaciter restiterunt. *Specie* quoque *religionis* obstinati sunt plerumque gentiles doctrinam Christi contemnere ac respuere.

Primo namque populi, avitae religionis sectatores, nullatenus patiebantur novam doctrinam ab extraneis proponi. Ad rem optime ajebat .*Minucius Felix:* «Has fabulas et errores et ab imperitis parentibus discimus, et, quod est gravius, ipsis studiis et disciplinis elaboramus, carminibus praecipue poetarum, qui plurium quantum veritati ipsa sua auctoritate nocuere» 4. Crassos errores a patribus haereditate acceptos, utpote carnis voluptatibus magis blandientes, tenaciter retinebant 5.

Secundo, sacerdotes ethnici, qui ex superstitione et idolorum cultu plerumque divitias cumulabant, pertinaciter sese opposuerunt propagationi Christianismi. Unde, sparsis undique calumniis, non semel concitaverunt odia popularia in apostolos et verbi divini praecones.

Tertio, non parvum obstaculum ortum est etiam ex philosophorum adversa agendi ratione. Philosophi namque, Epicurei, Stoici, et Platonici, «omnes, ut apposite ait *Ottiger,* superbi et turpissimis voluptati-

1 *Luc.,* 14, 33.
2 Cfr. S. Justinus, *Dial, contr. Tryphon.,* n. 108; MG 6, 727.
3 Cfr Orljrenos, *Contr. Celsum,* lib. 6, n. 27; MG 11, 1333.
4 *Octav.,* 6, 22; ML 3, 319.
5 Cfr. Menéndez y Pelayo, *Hist de lus helerod. CSp.* (ed. 2.·), t. 2, lib. 1. c. I, § 1.

bus plerumque dediti cum essent, et inania ac falsa sua systemata a Christi doctrina funditus everti atque confundi intelligerent, a religione Christiana quam plurimum abhorrebant, eam et verbis et scriptis pro viribus insectati sunt»[1]. Et revera, philosophi libidinum partim laqueis irretiti, artium partim illecebris allecti et superbiae fumo intumescentes, nolebant vel humilem Christianorum vitam amplecti vel doctrinas rationis captum superantes profiteri. Quare miserrimam Christianorum vitam abjiciebant, et omnes calamitates, quae vel reipublicae vel provinciae vel civitati acciderunt, causa fidelium venisse dictitabant.

Quarto, omnium denique maximum impedimentum venit ex parte imperatorum et magistratuum romanorum, qui simul ac rerum publicarum administratores erant summi pontifices ethnicae superstitionis. Hos sacerdotii honores conservare volentes persuaserunt populis sese a diis originem traxisse, et omnia Imperii negotia actusque civiles diis religione consecranda esse; imo nonnunquam sibi ipsis cultum idololatricum tribuendum esse docuerunt. Quod cum Christiani facere renuissent, falsis criminibus accusati sunt, vel ut ait cl. *Lahousse* [2], «rei facti sunt violatae legis *Julia majestatis* verbis impiis, murmuratione contra felicitatem temporum, coitione clandestina, illicito collegio[3,4] deinde atheismi, sacrilegii, majestatis violatae ob denegatos diis et imperatoribus honores divinos magiae ob miracula ab ipsis passim patrata[5]; accusati etiam sunt quod in coetibus suis committerent copulas oedipodias, thyesticas, aliaque nefanda flagitia»[6,7]. Tunc exortae sunt ubique contra Christianos saevissimae persecutiones. Omnibus magistratibus et pro-consulibus provinciarum commissum est ab Imperatoribus ut cuncti christiani, si fieri posset, a professione suae religionis averterentur, sin autem atrocissimis tormentis subjicerentur, ac tandem occiderentur. Praefecti autem Romae et provinciarum, accepta hac commissione, nunc minis, nunc blanditiis, oblatis quoque divitiis et carnis voluptatibus, Christianos a fide avertere sategerunt, et, ubi plerosque decipere non valuerunt, ad cruciatus et tormenta inaudita ventum est. Hinc lepide *Tertullianus* ait: «Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: *Christianos ad leonem··}* ". At quo plures sacrificabantur a lictoribus fideles, eo magis augebatur sacrificandorum numerus.

c) *Haeretici* quoque, qui vel promissionibus imperatorum adlecti vel tormentorum vi perterriti, vel humilis Christi religionis pertaesi, susceptam fidem reliquerant, haud leve impedimentum obstiterunt religioni Christianae propagandae. Quae ipsi viderant et didicerant in

1 ***Theol. fundament.,*** § 46, p. 857. Cfr. Origenes, ***Contr. Celsum,*** lib. 3, n. 15; MG 11, 937; Arnobius, ***Adv. Geni.,*** lib. 1, n. 1; ML 5, 719 et alii.

2 ***De vera relig.,*** n. 225.

3 Cfr. Arnob., 4, 34; ML 5, 1069.

4 Cfr. Tertull., ***Apolog.,*** 10; ML 1, 380; Justinus, ***Apol.,*** n, 6; MG 6, 336; Lucian. Alex, seu Peseudomant, 25; Athenag., ***Legat, pro Christ.,*** n. 4; MG 6, 897.

5 Cfr. Tertull., ***Ad Scapulam,*** c. 2; ML 1, 777.

6 Cfr. Tertull., ***Ad Nat.,*** 1, 7; ML 1, 639; ***Apologet.,*** 6, 39-40; ML 1, 348, 532 sqq.; Minue. Fel., ***Oclav.,*** 9: ML 3. 271; Orig., ***Contr. Celsum.*** 3, 59; MG 11, 997,

7 ***Apologet.,*** 40; ML 1, 542.

Christianismo, mendaciis saepe et calumniis foedata narrabant gentilibus, qui, occasione inde arrepta, gravissime persequebantur fideles.

Haec tamen omnia, licet gravissima, licet durissima, feliciter superata sunt, et triumphum cecinit Christianismus adversus omnes, qui eum impugnabant, hostes.

265. Pars 3.a Min. Media adhibita tot difficultatibus superandis ac tanto operi exequendo naturaliter inepta fuere.

Arg. Nunquam armis usus est Christianismus, ut invictos sibi subjiceret, nec voluptates obtulit, ut carnales homines adliceret, sed duodecim apostolorum praedicatione contentus, mundum adgressus est expugnare. Porro apostolorum labor, tametsi utilis et assiduus, si humano modo spectetur, religioni Christianae per orbem diffundendae impar omnino fuit. Omnes enim apostoli fuerunt judaei, a gentibus odio habiti, plerique viri indocti ac illiterati. qui nec eloquentiae vi nec argumentandi ratione mundum subjugare potuerunt. Quam enim eloquentiam habuerint vel logicae leges didicerint homines rudes et piscatores, qui nec scholas adierunt nec ulli studiorum generi operam dederunt? Sane *quae stulta sunt mundi,* ut apposite ait Apostolus, *elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret*

Quod ideo factum est, juxta S. *Ambrosium* 2, ut conversio mundi videretur, non opus naturae aut artis et persuasionis, sed, ut revera fuit, effectus gratiae. *Eusebius Caesariensis* hoc egregie declarat dicens: «Quid? si discipuli, ut fit, suo Praeceptori respondissent, ac dixissent: quo tandem modo istud a nobis fieri poterit? Quomodo romanos, ex. gr., publice docebimus? Quomodo autem aegyptios alloquemur? Qua vero lingua homines, unam syriacam vocem audire soliti, apud graecos utemur? Qua apud persas, armenios, chaldaeos, scythas, indos, ac denique omnes quascumque offendemus barbaricas gentes? Quomodo illis persuadebimus, ut deos quidem patrios deserant, unum vero omnium, quaecumque sunt, opificem Deum colant? Qua porro dicendi vi freti tantum facinus adgrediemur? Quae autem perficiendi spes aderit hominibus, qui leges figere audeant contrarias legibus quascumque omnes gentes de patriis diis a condito aevo servaverint? Quibus tandem copiis aut qua vi nobis liceat isti audaciae superesse? Haec ne dicerent, quemadmodum dicturos fuisse credibile est, aut etiam cogitarent Jesu discipuli, una verbi adjectione ipse Praeceptor illos omni difficultate liberavit, cum dixit illos in nomine suo voti compotes futuros. Non enim simpliciter aut indefinite, ut docerent omnes gentes, imperavit, sed cum adjunctione necessaria: *in nomine,* inquit, *meo»* 3.

Ne humanae sapientiae, quae vana est, inniterentur, dixit Jesus discipulis: *Ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari quemadmodum*

1 *I Cor.,* i, 27.
2 *In Luc.,* lib 5, n. 44: ML 15, 1733.
3 *Demonstr evang.* lib. 3, § 7; MG 22, 241.

respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestril. Apostoli, hoc consilium sequuti, praedicaverunt Evangelium *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis,* ut fides catholica esset non *in sapientia hominum, sed in virtute Dei* 1.

Hoc pacto apostoli eorumque successores orbem terrarum sine pera, sine melotis peragrantes, non quidem humana aliqua auctoritate freti, nec artis rhetoricae vel dialecticae vi opitulati, sed spiritu Dei moti docuerant omnes gentes et persuaserunt hominibus, ut avitam religionem desererent, patrios deos legesque veteres contemnerent, ac doctrinas Christi amplecterentur.

Haec media, si naturaliter spectentur, sunt, ut facile quisque videt, inepta tanto operi exequendo. Nec philosophi graeci sua argumentandi ratione, nec oratores athenienses et romani mirae eloquentiae vi, nec milites romani armorum strepitu, potuerunt unquam populos ad meliorem frugem reducere, et quomodo potuissent apostoli absque ullo humano subsidio universum fere mundum ad Jesum Christum convertere? Quidquid in contrarium blaterent rationalistae, agnoscendum est heic opus divinae gratiae, et dicendum religionem Christianam a Deo originem traxisse, et idcirco omnino veram esse.

Difficultatibus satisfit.

266. Obj. 1.° Provocant adversarii ad celerrimam propagationem budhismi, mahumetismi et protestantismi, et dicunt potuisse Christianismum naturaliter propagari, dato quod exstiterit enthusiasmus religiosus et exspectatio generalis adventus Messiae, quemadmodum celeriter propagati sunt budhismus, mahumetismus et protestantismus, quorum primus nactus est sectatores 503.000.000, secundus 121.000.000, et tertius 150.000.000.

Resp. 1.° Praefatas religiones a catholica dissidentes non fuisse propagatas in statu primitivo, sed plures easque substantiales subiisse decursu temporis mutationes et transformationes. *Budhismus* prolapsus est in polytheismum, idololatriam et magiam. *Islamismus* tot passus est transformationes, ut nescias quid hodie de primitivis doctrinis retineat. *Protestantismus,* statim ac natus, ita divisus est, ut tot fuerint oppositae sectae quot capita.

Resp. 2.° Has religiones mediis naturalibus propagatas fuisse. Nam

1) *Budhismus* a) nunquam odia popularia aut auctoritatum civilium persecutiones excitavit, sed populis potius, quorum superstitiones servavit ac fovit, gratus fuit, et principum seu auctoritatum civilium tutelam adeptus est. b) Principum ambitiones ac populorum inclinationes fovit, et nunquam doctrinas morales, quae integritatem vitae, mortificationem passionum et sacrificia postulabant, tradidit, c) Metempsychosim docens, emendationis in altera vita spem omnibus reliquit, d) Ipse Çakya-Muni, utpote ex stirpe regia oriundus et litterarum cultura pollens, fuit profecto populorum veneratione dignus.

2) *Mahumetismus* item naturalibus causis propagatus est. Etenim a) nullum docuit mysterium, quod esset supra vires rationis naturalis. b) Armorum strepitu et violentia maxima ex parte adeptus est sequaces. c) Licentiam morum ubique praedicavit, qua plures allecti huic sectae nomen dedere. Hinc *Averrhoes* dixisse fertur: *Mahumetismus est porcorum religio.*

3) *Protestantismus* denique opera causarum naturalium certissime intro-

1 *Luc.,* 21, 14 sqq.

2 *I Cor., 2,* 4-5; et *II Petri,* 1. 16.

ductus propagatusque est. Siquidem a) animos populorum erroribus *Wicclejj, Joannis Hus* et *Hieronymi de Praga* ad hoc paratos invenit, b) A prima sui in mundo apparitione visus est sub principum saecularium tutela, qui armorum violentia et sanguinis effusione curaverunt, ut quam maxime extenderetur. c) Vitiis et concupiscentiis habenas laxavit[1]. d) Difficiliores Christianismi praxes, ut sunt confessio auricularis, jejunia, abstinentiae, coelibatus, leges ecclesiasticae, etc., sprevit, aliasque faciliores, quae pluribus arriserunt, proposuit. Odium contra Ecclesiam catholicam concitavit, animos auctoritatum saecularium impatientes effecit, et totalem denique ab Ecclesia separationem curavit. Hujus propagationis alias causas vide, si lubet, apud *Balmes* [2], *Hergenrother* [3] et alios.

Haec, inquam, omnia quam maxime contulerunt, ut budhismus, mahumetismus et protestantismus celeriter propagarentur. At religio Christiana, omni humano subsidio destituta rapide propagata est. Unde S. *Thomas* Christianismum inter et alias sectas differentiam adsignans ait: «Non armorum violentia, non voluptatum promissione... inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba non solum simplicium sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem Christianam convolavit; in qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia, quae in mundo sunt, haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium adsentiri... maximum miraculum est... Hi vero, qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, ut patet in Mahumete, qui carnalium voluptatum promissis... populos illexit» [4].

Obj. 2.° Causae *internae* propagationis Christianismi sunt, juxta *Gibbon:* 1.a *Zelus inflexibilis intolerans Christianorum;* 2.a *Doctrina de futura vita;* 3.“ *Potestas miraculorum quam Ecclesia sibi vindicavit;* 4.» *Moralis pura et austera Christianorum;* 5.® *Unio et stricta disciplina reipublicae Christianae in corde imperii romani* [5].* Haec autem naturalia sunt. Causae vero *externae* sunt, juxta ipsum *Gibbon:* 1.a *Immensitas et unitas imperii romani,* qua facilis patefiebat via expansioni religionis; 2.a *Status philosophorum,* qui errorum praecedentium pertaesi quaerebant plurium problematum Deum et religionem spectantium solutionem; 3.® *Exspectatio universalis renovationis futurae,* quam judaei in suo cum romanis contactu diffuderant in gentes [6].

Resp. 1.° Nullatenus diffitebimur has et alias causas, quae apologetas catholicos minime latuerunt[7],* in ordine divinae providentiae plurimum favisse propagationi Christianismi, quia Deus in suis operibus, etiam supernaturalibus et miraculosis, plerumque utitur causis secundis, quas praeparat ac disponit ad fines altissimos suae sapientiae. Hinc tum *causae internae* a *Gibbon* recensitae, in quibus nonnihil supernaturale prima facie facile conspicitur, tum *causae externae* ab ipso cum aliis enumeratae non parum contulere doctrinis Christi divulgandis. Quis enim inficiari audeat firmitatem animi apostolorum, doctrinam de futura beatitudine, potestatem miracula faciendi, puritatem vitae et unionem ac disciplinam reipublicae Christianae, imo et immensitatem imperii romani cum unitate linguae et viis ad communicandum aptis, anxietatem philosophorum circa religionem

1 Fridericus II, ***Mémoires de Branderbourg,*** dicit progressum protestantismi deberi rerum cupiditati in Germania, amori obsceno in Anglia et novitati in Gallia.

2 ***El Protestantisme,*** t. 1. c. 2.

3 ***Hist, de la Igl.,*** t. 5, p. 302 sqq.

4 ***Contra Gent.,*** lib. x, c. 6.

5 1“ «The inflexible and ·· the intolerant Zeal of the Christians... 2,a The doctrine of a future life... 3.“ The miraculous powers ascrived to the primitive church. 4.ll The pure and austere morals of the Christians. 5 “ The union and discipline of the Christian Republic... in the heart of the Roman Empire. ***History of the Decline and Fall of the Roman Empire,*** c. 15.

" ***Ibid.,*** c. 16.

7 Vid. Eusebius, ***Hist, eccl.,*** 4, 2; MG 20, 303; ***Demonstr. evang.,*** 3, 3, 6; MG 22, 188-224.

magnopere haesitantium, et generalem exspectationem animorum, suas habuisse partes in religione Christi divulganda? Caeterum haec omnia putamus sub ordine specialis divinae providentiae, quae praedicationem Evangelii. et extensionem doctrinae Christianae decreverat, optime cecidisse.

Resp. 2.° Hae causae, si naturaliter spectentur, improportionatae profecto fuerunt fini obtinendo, quia simul cum subsidio, quod propagationi contulerant, non parvas secum ferebant difficultates.

Zelus imprimis intolerans, praeterquam quod animos repellit, nunquam satis fuit ad populos a religione, cui firmiter adhaerebant, avertendos, novamque societatem religiosam constituendam. *Promissio de futura felicitate* omnibus fere religionibus fuit communis. Quamquam enim extra religionem catholicam nunquam proposita fuerit vera doctrina de aeterna beatitudine, omnes tamen religionum fundatores delicias promiserunt post hanc vitam futuras [1]. *Potestatem patrandi miracula* non solum vindicavit Ecclesia primitiva, sed et veris operibus monstravit. *Puritas* item *vitae Christianorum* effectus est divinae religionis, cujus divinitatem luculenter demonstrat. Quomodo societas Christiana integritatem morum et austeritatem vitae nacta fuerit, nisi quia veram professa est religionem verumque Deum debite coluit? Nisi enim puritas et austeritas vitae veritatem religionis demonstrarent, parum allicerent homines ad delicias mundi contemnendas vitamque ignominiosam ac aerumnis confectam amplectendam. *Stricta* denique *disciplina* religionis Christianae effectus est divinae ordinationis, sine qua prorsus impossibile est unitatem societati communicare. Hinc experientia docemur ecclesias dissidentes in plures, easque sibi oppositas, sectas semper dividi[2].

Causae quoque externae a Gibbon adsignatae improportionatae fuerunt Christianismo propagando. Nam a) *immensitas imperii romani,* licet partim faciliorem reddiderit divulgationem Evangelii, partim tamen medium fuit, ut persecutiones contra Christianos magis saevirent, b) *Status haesitans philosophorum* sapientes tantummodo afficiebat, quorum superbia et adspirationes minime satisfiebant mysteriorum propositione ac virtutum exercitio, c) *Exspectatio* denique *universalis renovationis futurae* exsistebat quidem apud judaeos et partim apud gentiles, sed, quando revera talis renovatio proposita fuit a Jesu paupere et humili, et praedicata a discipulis illiteratis et rudibus, despecta est, ac in risum versa a gentibus.

§ 2

Utrum divinitas religionis Christianae ex eo ostendatur, quod mores societatis, familiae et individui restauraverit.

267. Status quaestionis. Omnes imaginationis calculos longe superant, quae de vitiis et corruptione paganismi nobis retulere poetae, chronologi et philosophi antiqui. Horrenda sane est morum publicorum, quam exhibent, descriptio.

Omnes imprimis societatis gradus, paucos si excipias philosophos, et omnia imperiorum etiam remotissima loca invaserat lugenda quaedam *idololatria.* Innumeram simul ac ignobilem deorum colluviem venerabantur homines ac colebant, non sicut Deum decet actibus religionis et honestatis, sed effrenata morum licentia et ridiculis supertitionis caeremoniis, imo et sacrificiis humanis [3].

1 Vid. Mir, *La Religion,* c. ii, a. 4. n. 7.

2 Vid. Tanquerey, n. 483 sqq. (ed. 15).

3 Cfr. Tullius, *De Natura deorum,* lib. 3, n. 26-40; *De divinatione,* lib. 1, n. 1-4, etcetera; Seneca, *Nat. quaest.,* lib. 2, 41; Suetonius, *Oclav. Aug.,* 29-31; Plinius Secundus, *Hist. nat.,* lib. 2, c. 7; S. Augustinus, *De civitate Dei,* lib. 6, c. ro; ML 41, 191; Froppol, *Les Apologistes:* et alii.

Ignobilem hanc idololatriam sequebatur undique ingens morum corruptio. Inter praecipua degradationis gentilium signa eminent:

1) *Ludi cruenti,* in quibus servi quandoque cum feris, interdum vero secum ipsis, ad delectationem ebriae multitudinis pugnabant et trucidabantur, adeo ut non semel hi ludi ad quatuor vel quinque dies cum totidem noctibus Romae protracti fuerint absque alia interruptione quam necessaria ad immundas prostitutiones, quibus cuncti in *fornicibus* ejusdem amphitheatri cum matronis romanis adstantibus se tradebant. In festis Trajani imperatoris *gladiatorum,* ut refertur, periere 10.000 *.

2) *Impudicitiae* tum publicae tum privatae vix fuerunt limites. Non solum in collisaeis et aliis spectaculis prostitutioni publice dabatur locus, verum etiam in viis publicis, deambulationibus et balneis quam maxime pudenda committebantur. *Duruy* 1 mulierem refert in ipsa scena publice violatam 3. Unde *Seneca* dicere veritus non est: «Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. Nec furtiva jam scelera sunt; praeter oculos eunt» 4. Privati mores adeo fuerunt corrupti, ut pudeat nos eos describere. Scire tantum sufficiat, *concubinatum, adulterium,* et horribile vitium *paederasliae* et *sodomiae* ita communia fuisse, ut *Seneca* 5 6ratus fuerit impossibile esse ea coercitione sanari. Et *Tacitus* adserebat accitam lasciviam et turpes amores in Urbe exerceri ac foveri, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis dederint, sed vim quoque adhibuerint 0.

3) *Infanticidium* apud graecos romanosque viguit. Apud graecos quidem foetus, si manci vel debiles nati fuissent, nemine reclamante, subito necabantur. Unde *Aristoteles* ajebat: «Abolendis autem alendisque foetibus esto lex, ut nihil alatur mancum et debile. Propter multitudinem autem liberorum (quosdarp) foetus abolere oportet... quod si quibus fuerit aliquid praeterea genitum, abortionem facere conveniet» 7. Apud romanos item lege *decem tabularum* 8 constitutum erat, ut pueri deformes cito necarentur 9. Hinc *Seneca* scripsit: «Portentosos foetus

1 Cfr. Champagny, ***Les Césars,*** lib. 3, ch. 3. Mateos Gago, ***Colecciôn de Opiiisculos,*** t. 2, p. 402-405.

2 ***Hist, des Romains.***

3 Cfr. Suetonius. ***Nero,*** 12.

1 ***De Ira,*** lib. 2, n. 8.

5 ***De Ira.*** lib. 2, n. 8.

6 Cfr. Lucianus, ***Amores,*** 20, et ***Dialogi meretricii,*** 12; Juvenalis, ***Satir.*** 6, 292-311: Wallon, ***Hist, de l'esclavage,*** t. 2, ch. 7; Champagny, ***Les Césars,*** lib. 3, ch. 4, et alii.

7 ***Politic.,*** lib. 7, c. 14.

8 Tâb. 4.

9 Ad rem apposite ait Champagny, ***Les Césars,*** t 2, lib. 3, ch. 4: «Le droit de vie et de mort de père de famille, tombé au désuétude quant à l'adulte, subsistait tout entier quant à l'enfant noveau né. La loi ordonait même de tuer l'enfant mal conformé. (Loi des 12 Tables. Cio., ***De Leg.,*** 3, 8. Denys d'Hallic, 2, 26, 27. Gellius, 5, 19.) Quand un enfant venait de naître, on retendait aux pieds du père de famille. Si celui ci le reconnaissait et l'acceptait comme sien, il le prenait dans ses bras... Si au contraire il le laissait par terre, l'enfant était jeté au Vélabre». Bonnl, ***Inst, theolog.,*** t. 1, n. 228, addit: «Puerorum interfectio et venditio penes rempubileain apud graecos et penes patremfamilias apud romanos erant».

exstinguimus; liberos quoque, si debiles monstrosique editi sint, mergimus; non ira sed ratio est a sanis inutilia secernere» [1].

4) *Servorum* fuit semper miseranda conditio. Erant siquidem pro gentibus, non personae, sed res quaedam animatae, quibus ad arbitrium dominis uti liceret. Unde juris gentilis erant recepta axiomata: *Nulla in servum cadit injuria: Nihil non domino licet in servum.* Hinc poterant domini, juxta consilium Catonis, quando voluissent, emere, vendere, sacrificare, etc., servos [2].

5) *Uxorum dignitas* nulla. Hac de re ait *Bonal:* «Apud judaeos ipsos natura muliebris virili minor reputabatur; apud barbaros—ex Aristotele—femina et servus eodem loco erant, id est, a brutis parum distantes; apud graecos rapiebantur aut emebantur uxores, penitusque ponebantur in manu mariti, qui moriens, eas, quasi rem suam, testamento legare poterat, cui lubebat; apud romanos denique nuptae coemptione, confarreatione aut concubinatu sub manu viri perpetua tutela opprimebantur; et, quando ferreum jus illud mitigatum est, ea eruperunt corruptelae et libidinis monstra, ut ad connubia quasi ad supplicium vi legum compellendi essent cives» [3]. Vere misera uxorum conditio. Sed hoc parum. *Divortia* facta sunt inter omnes communia; ipsi principes, consules, senatores suas saepe dimittebant sine causa uxores, vel pecunia locabant [4].

His suppositis, venit in praesenti discutiendum. 1) an mores publici et privati per religionem Christianam emendati fuerint, et 2) utrum ex hac morum emendatione origo divina religionis Christianae possit comprobari.

268. Errores, *a)* Nemo hactenus, quod sciamus, negavit mores publicos per religionem Christianam tum in societate tum in individuis fuisse reformatos. Id enim cuncti scriptoréS, non modo ecclesiastici verum etiam profani, communiter testantur.

b) Plerique *rationalistae* et *increduli* contendunt hanc morum emendationem naturaliter effici potuisse, et nullum proinde ex ea pro divinitate religionis Christianae unquam peti solidum argumentum.

269. Thesis I. Religio Christiana corruptos gentilium mores in societate, familia et individuo penitus emendavit.

Arg. I. Petitur argumentum 1) ex antiquis scriptoribus Christianis, 2) ex gentilium disertis testimoniis.

1) *Ex scriptoribus Christianis.* Ab exordio jam Christianismi dicebat S. *Lucas* [5] *omnes judaeos,* ad fidem conversos, fuisse *perseverantes in doctrina apostolorum,* id est, timoratos, piissimos erga Deum ac liberalitate conspicuos; atque multitudinis credentium fuisse cor unum et animam unam [6].

1 ***De Ira,*** lib. i, c. 15, n. 2.

2 Cfr. Balmes, ***El Protestantisme comparado con el Catolicismo,*** t. 1, c. 15 sqq.

3 ***Inst. theol.,*** t. 1, n. 228.

4 Eo pervenit morum licentia, ut Senatus ipse, pudore tandem motus, legem condiderit, qua nobiles matronae romanae vetabantur corporis sui quaestum facere aut lenocinio se tradere. Cfr. Tacitus, ***Annal.,*** lib. 2, n. 85.

5 ***Act., 2,*** 42-47.

6 ***Act.,*** 4. 32-35.

Item *Clemens Romanus*[1] adserebat corinthios Christianos fuisse hospitales, benignos, obedientes, humiles, Deum timentes et alterutrum diligentes. Id ipsum de carthaginensibus repetebat S. *Cyprianus* [2]. Hinc S. *Justinus* in sua apologia ajebat: «Qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea, quae possidemus, in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus, et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc, postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus» [3]. Quare *Minucius Felix* exprobrabat gentiles dicens: «De vestro numero career exaestuat: Christianus ibi nullus, nisi aut reus suae religionis aut profugus» [4]. Eadem habet *Tertullianus* [5].* Ac denique *Lactantius* [6] docuit caelesti doctrina Christiana iracundos, maleficos et effrenatos in placidos sicut oves mutari; cupidos, avaros ac tenaces in liberales continuo reddi; libidinosos, adulteros et ganeones jam sobrios, castos et continentes fieri; crudeles et sanguinis appetentes in veram clementiam subito moveri; injustos, insipientes et peccatores, aequos, prudentes et innocentes agnosci[7].

2) *Ex gentilium testimoniis.* Gentiles ipsi Christianorum vitam innocentem ac puram esse non semel agnovere. *Plinius junior* tradit Christianos non propter furta, latrocinia, adulteria aut alia crimina ad tormenta damnari, sed, «quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere» [8]: «Nihil (in eis), addit ibidem, aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam». *Lucianus* item [9] laudat benignitatem et caritatem Christianorum in se invicem. *Julianus* denique *Apostata,* qui magno odio in Christianos ferebatur, haec habet: «Cur non potius convertamus oculos ad ea, quibus Christiana religio crevit, id est, ad benignitatem in peregrinos... et ad sanctimoniam, quam simulant? Horum singula vere a nobis exercenda esse exsistimo... Nam turpe profecto est, cum nemo ex judaeis mendicet, et impii galilaei (christiani) non suos modo, sed nostros quoque alant» [10].

Arg. II. *Singula percurrendo.* 1) *Ludos cruentos* gentilium penitus religio Christiana eliminavit, amphitheatra vel omnino clausit vel Domino consecravit, et neminem nisi ab auctoritate publica in justam delicti punitionem capite damnandum docuit.

2) *Impudicitiae* abusum ita cohibuit, ut vix jam homines cognoscerentur. Velim, ut quilibet per se ipsum SS. Patrum testimonia, quae

1 ***I Ep. ad Cor.,*** cc. 1-2; MG 1, 207 sqq.
2 ***Ep.,*** 30; ML 4, 313.
3 ***Apolog.,*** i, 14; MG 6, 348.
4 ***Octav.,*** c. 35; ML 3, 365.
5 ***Apolog.,*** c. 44; ML 1, 562.
6 ***Inst. div.,*** lib. 3, c. 26: ML 6, 431.
7 Cfr. Eusebius, ***De praep. evang.,*** lib. 1, c. 14; MG 21, 40.
8 Lib. 10, ep. 97 a<l Trajanum.
9 Dc ***morte Peregrini,*** n. 12.
10 ***Ep. ad Ascacium,*** tip, Sozom., ***Uist. eccl.,*** 5, 16; MG 67, 1262 sq

circa hoc supra dedimus, consideraret, narrationes historicas attente perpenderet, gentilium mores cum vita primorum Christianorum compararet; nobiles matronas romanas cum matronis Christianis, et praesertim juvenes gentilitatis, quae virgines dicebantur, ipsas quoque *vestales,* cum virginibus christianis conferret. Illis impudicitia, amores obsceni, corruptique mores plerumque familiares fuerunt; his castitas, virginitas et sanctimonia multa; illae, etiam *vestales,* spectaculis, theatris et aliis corruptionis locis adesse solitae, istae in catacumbis, templis, et solitudine orationi renimque divinarum contemplationi deditae; illae connubiarum interdum, concubinatus saepe, appetentes, istae principum et imperatorum non raro connubia respuentes, innocentiae et virginitatis jacturam ne paterentur, innumera tormenta ipsumque martyrium subiere [1].

3) *Infanticidium,* ipse quoque abortus, ut verum homicidium apud Christianos semper habitum fuit, ac idcirco poenis semper punitum. «Vita nati, ait *Bonal,* ut sacra apud omnes (christianos) reputata fuit» [2]. Ex quo Salvator ait: *Sinite parvulos venire ad me... talium enim est regnum Dei* [3]. speciali infantes et parvulos amore prosecuta est religio Christiana.

4) *Servum* natura domino parem imo.et Filii Dei incarnati fratrem religio Christiana praedicavit [4]; et Ecclesia, interdicto primo, ubi opus fuit, rigore dominorum, ipsam denique servitutem paulatim exstinxit [5].

5) *Uxorum* dignitatem moralitatemque maxime Ecclesia instauravit. Uxores non servas sed vere esse socias virorum et ambos fidelitate in alterutrum stricte teneri docuit [6].

270. Thesis II. Hanc morum mutationem nullatenus religio Christiana in populos potuisset inducere nisi vera fuisset ac divinitus tradita.

Arg. Ratio hujus theseos est, quia mutatio morum in tanta hominum multitudine fuit certe miraculum morale superans omnes vires humanae naturae et influxum religionis naturalis. Miraculum autem morale non fit nisi in confirmationem veritatis. Religio Christiana non solum apud romanos, quorum mores perditissimi erant, verum etiam apud judaeos, graecos, aegyptios, sinenses, germanos, gallos, hispanos, et totius mundi tunc cogniti incolas, imo et postea apud extensissimae regionis americanae gentes, virtutem morumque honestatem enixe promovit. Tot inter gentes diversarum nationum et linguarum, non in unius aut alterius hominis mentem sed ubique terrarum et in totam multitudinem Ecclesia Christi induxit eamdem uni capiti obedientiam, eamdem inter se mutuam caritatem, et praecipue sanctum Dei timorem,

1 Cfr. Aug. Nicolas, ***La V. Marie vivant dans l'Église,*** liv. 4, ch. 1.

2 ***Inst, theol,,*** t. r, n. 228.

3 ***Marc.,*** 10, 14.

4 ***Galat.,*** 3, 28; ***Coloss.,*** 3, 11; ***Ephes.,*** 6, 9.

5 Seriem Pontificum, qui in abolenda servitute adlaborarunt, clausit Leo XIII litteras hac de re scribens Em. Card. Lavigerie, 27 Oct. 1888; ***Acta S. Sedis,*** vol. 2T, p. 195; et 17 Jul. 1890; ***Acta S. Sedis,*** vol. 23, p. 3. Cfr. Acosta, ***De procuranda Indorum salute; A.*** Cochin, ***L'abolition de l'Esclavage:*** Balmcs, ***El Protestantismo comparado con cl Catolicisnto,*** cc. 15-19; Hergenrother, ***Hist, de la Igl., 5,*** 470 sqq.

6 Vid. Balmes, ***El Protestantismo comparado con cl Calolicismo,*** t. 2, c. 24

morum honestatem et totius justitiae exercitium. Hoc autem falsa religione aut virtute naturali fieri non potuisse, experientia plurium saeculorum inutili praxi confirmata, satis nos docet. Jam olim philosophi, traditis saepe bonis doctrinis moralibus, mundum aggressi sunt in bonam frugem adducere, sed paucos dumtaxat discipulos adipisci potuerunt.

Consequenter ex effecta morum emendatione luculenter probatur veritas et divinitas religionis Christianae [1].

§ 3

Utrum ex constantia et testimonio martyrum comprobetur divinitas religionis Christianae.

271. Status quaestionis. 1) *Martyr* μαρτυρ sive *testis* ille dicitur in sensu theologico, qui ob defensionem fidei vel alicujus virtutis Christianae mortem subiit, sic testimonium fidei reddens sanguinis effusione. Tria, ut vides, ad verum martyrium requiruntur, a) Defensio fidei aut virtutis Christianae in martyre, b) Tyrannus in odium fidei aut virtutis Christianae martyrem mortaliter puniens, c) Mors aut vulnus lethale patienter toleratum.

Ex 1.° capite requiritur, ut veritas revelata, quae est objectum fidei, vel in se vel in qualibet virtute, defendatur a martyre [2]. Defectu hujus conditionis Thomas Cranmer et Michael Servet, licet mortem inter supplicia subierint, non dicuntur martyres in sensu theologico.

Ex 2° capite non opus est. ut tyrannus sit gentilis, infidelis aut haereticus, sed potest esse Christianus seu catholicus, dummodo ex odio fidei vel virtutis Christianae mortem vel vulnus lethale alteri inferat. Quo sensu «martyrem Dei, ait S. *Augustinus,* non facit poena sed causa» [3]. Hujus defectu, qui peste infectis inservientes luem contrahunt et moriuntur, non sunt proprie martyres.

Ex 3.° capite necesse est, ut martyr libere et ob finem honestum acceptet mortem, et patienter, non vim vi repellendo, cruciatus et mortem sustineat.

2) Martyres vocati sunt a) *confessores,* quorum mors sequuta non fuit ex vulnere lethali, b) *professores,* qui sponte se martyrio obtulerunt, c) *designati* ad mortem, qui sententia mortis damnati sunt, d) *consummati,* qui revera mortem subiere, e) *vindicati,* qui ut martyres ab Ecclesia habiti sunt [4][5]

3) Martyrum testimonium potest dupliciter spectari, ut obiter notavit *Ottiger* [6], nempe a) ut est manifestatio intimae persuasionis ipsorum de veritate religionis Christianae, quam professi sunt, et b) quate-

1 Cfr. Liebermann, ***Inst, theol.,*** De exsistentia div. revel., cap. 2, a. 4, η. 444 §<W·
2 Cfr. S. Thomas, ***II-II,*** q. 124, a. 5.
3 ***Serin de SS. Casto et Aentil.,*** n. 2; ML 38, 1293.
4 Cfr. Lahousso, ***De. vera relig.,*** n. 237.
5 ***Theol. fundam.,*** § 46, th. 38, p. 877.

nus est effectus virtutis supematuralis quam martyres obfirmarunt, miraculum scilicet ordinis moralis.

Testimonium priori sensu acceptum luculentum revera praestat argumentum religionis Christianae, quia moraliter impossibile fuit, ut ingens multitudo hominum diversae conditionis, status ac nationis, parvuli ac delicatae virgines, adeo firmam habuerint de falsa religione persuasionem, ut pro ea tot cruciatus patienter tolerarint, et vitam ipsam laetissime sacrificarint[1].

Hoc tamen sensu nolim hic disserere de martyrum testimonio, sed altera acceptione, quatenus consideratur ut effectus divinae virtutis. Scopus itaque hujus articuli est investigare, utrum tot martyrum constantia, omnibus spectatis adjunctis, potuerit esse mere naturalis, vel potius fuerit miraculosa, confirmans divinam originem religionis Christianae, pro qua illi mortem subierunt[2][3]

272. Error. Plerique *rationalistae* constantiam martyrum fanatismo cuidam religioso, quem dementiae comparandum dicunt, passim tribuunt, et nolunt ex ea peti posse argumentum ad demonstrandam veritatem et originem divinam religionis Christianae. Quod confirmare ex eo conantur, quod omnes religiones suos habent martyres. Sed frustra.

273. THESIS. Constantia et fortitudo martyrum, si undique spectetur, demonstrat religionem Christianam esse veram ac divinam.

Arg. Martyrum constantia, si rite spectentur eorum numerus, tormenta, virtutes et effectus, est vere miraculum ordinis moralis, in confirmationem veritatis ac divinitatis religionis Christianae editum. Ergo constantia martyrum undique spectata demonstrat religionem Christianam esse veram ac divinam. *Antecedens exponitur.*

274. 1) *Martyrum numerus.* Tametsi protestantes *Henr. Dodwell 8, Gibbon i,* et plures increduli crediderint non admodum multos fuisse in Ecclesia Christi martyres, documenta tamen authentica demonstrant ingentem fidelium multitudinem pro fidei defensione sanguinem fudisse. Id enim a) testantur SS. Patrum et antiquorum scriptorum testimonia, b) probant dirae persecutiones, quae saevierunt contra Christianos, c) confirmant antiquae catacumbarum et cryptarum inscriptiones.

a) Sancti Patres unanimi consensu tradiderunt innumeram fuisse in Ecclesia martyrum multitudinem, qui heroica constantia ac fortitudine dira supplicia sustinuerunt. S. *Dionysius Alex.,* de persecutione Decii ad Domitium et Dydimum scribens ajebat: «Nostros vero superfluum est nominatim recensere, cum et plurimi sint et vobis ignoti. Id tantum in universum scire vos convenit viros et mulieres, juvenes ac senes, puellas et anus, milites et paganos (id est. homines privatos) ex

1 Viginti milliones et amplius in Ecclesia numerantur martyres.

2 Notum est Deum plerumque inter martyrum supplicia vera miracula edidisse, leges naturae suspendendo, ut cum martyres super prunas illaesos incedere fecit; at de his non est impraesentiarum sermo, sed de martyrum constantia, quae, utpote vires naturae superans, vere miraculosa fuit.

3 ***Disseri. Dodwelli*** «De martyrum paucitate» ***ad opera S. Cypriani,*** quam erudite refutavit Ruinart, in praefatione ad ***Acta Martyrum,*** n. 12 sqq.

1 ***Hist, de rom. imp. inter.***

omni denique hominum genere atque aetate alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse» L *Quadratus* item, *Aristides, Justinus, Tertullianus* et *Athenagoras, Lactantius* 2** et alii probant innumeros fideles, inter quos recensebantur *nobiles* atque *plebeii, docti* et *indocti, milites* ac *cives, mulieres* tum *nobiles* tum *servulae,* pueri puellaeque, martyrium subiisse s. His consonant scriptores ecclesiastici atque profani communiter 4.*

b) Id ipsum probant dirae contra christianos imperatorum persecutiones. Decem plerumque recensentur persecutores, scilicet s: 1.° *Nero* (64-67), sub quo, si Tacito fides sit 6, *multitudo ingens* martyrio affecta est. 2.° *Domitianus* (81-96), qui, teste Bruttio apud Eusebium 7, plurimos christianos crudeliter martyrio necari jussit. 3.° *Trajanus* (98-107), qui Plinii gesta adprobans jussit 8 christianos conquirendos non esse, sed, qui delati fuerint et accusati, puniendos, nisi fide negata veniam impetraverint. 4.° *Hadrianus* (117-138), quo imperante, Christiani nullo praevio processu saepe damnati sunt et consummati 9. 5.° *Marcus Aurelius* (161-180), sub quo innumerabiles prope christiani, Romae praecipue, in Asia Minori et Gallia, martyrium subiere10:*6.° *Septimius Severus* (193-211), sub quo arsit, ut Tertullianus aitu. «ipsa canicula persecutionis», et passi sunt Leonidas, pater Origenis, in Aegypto, et S. Irenaeus in Gallia12. 7.° *Decius* (249-251) qui, teste Wouters, «saevissimam persecutionem contra christianos excitavit»13. 8.° *Valerianus* (259-260) *qui,* ut ait *Stephaniis Baluzius,* «crudelissime saeviit in christianos»14. 9.° *Diocletianus* una cum Maximiano (284-305), quo imperante, «non singuli, inquit *Lactantius,...* sed gregatim circumdato igni amburebantur»15, christiani16. 10.° *Galerius et Maximinus* usque ad an. 311 ferociter persecuti sunt christianos. Tunc enim, ait *Sulpicius Severus,* «acerbissima persecutio... per decem continuos annos plebem Dei depopulata est. Qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est»17.

1 ***Ep. I ad Domitium et Dyd.,*** n. i; MG 10, 1292.

2 ***Lib. de mortibus persecut.,*** 16; ML 7, 217.

3 Cfr. Ruinart, ***Acta Martyrum*** per totum. Brugère, ***De vera religione;*** Ottiger. ***Theologia fund.,*** § 46; Paul Allard, ***Histoire des persécutions.***

4 Cfr. Eusebius, ***H. E.*** passim; et ***Antiq. martyriorum collectio;*** MG 20, 1520; Baronius, ***Annal.,*** an. 304; Suetonius, ***Nero,*** 16; Tacitus, ***Annales,*** 15, 44, et alii.

5 Vid. Sulpicius Severus, ***Hist, sacra,*** lib. 2, C. 29 sqq.; ML 20, 145 sqq.

° ***Annal.,*** 15, 44.

7 ***Chronol.,*** lib. 2; MG 19, 551.

8 ***Plinii epist.,*** 10, 97-98. Cfr. Eusebius, ***Chron.,*** lib. 2; MG 19, 553.

8 Cfr. HergenrSther, ***Hist. de la Igl.,*** t. I, n. 54.

10 Cfr. Eusebius, ***Hist, eccl.,*** lib. 4 et 5; MG 20, 303 sqq.

11 ***Adv. gnost. Scorpiae,*** c. 1; ML 2, 147.

12 Una cum S. Irenaeo 19.700 christianos Lugduni martyrium passos fuisse referunt historiae.

13 ***Hist, eccl.,*** epoch. 2, n. 63.

14 Notae in librum ***De mortibus persecutorum*** Lactantii, c. 5; ML 7, 306.

15 ***De mort, persecut.,*** c. 15; ML 7, 216.

10 Cfr. Hergenrôthor, ***Hist, de la Igl.,*** t. 1, period. I, nn. 72-76.

17 ***Hist, saer.,*** 2, 32; ML 20, 147. Super his persecutionibus conferri possunt utiliter Ruinart, ***Acta SS. martyrum;*** Baronius, ***Annal.;*** Martigny, ***Dictionnaire des antiq. rhrél.,*** art. ***Persécutions:*** Horgonrbther, ***Hist, de la Igl.,t.*** I, period. 1, n. 52 sqq.; Mir, ***El Milagro,*** lib. 2, c. 12.

Aliae quoque persecutiones progressu temporis saevierunt contra Christianos in diversis mundi regionibus. Hujus tamen operis limites non sinunt singillatim referre, quae a saeculo iv exarserunt apud persasx, sinenses, coreenses, japoncnses, tonkinenses, africanos, americanos, etc. Nosse generatim sufficiat saevissimas illas fuisse et multos Christianos in ipsis sanguine proprio testimonium fidei reddidisse 1.

c) Haec satis abunde confirmantur inscriptionibus, quae passim repertae sunt in catacumbis romanis, et in cryptis ac coemeteriis orbis christiani, ex quibus clare colligitur martyres innumeros in Ecclesia extitisse 3.

275. 2) *Tormenta.* Martyrum tormenta quis enarrare sufficiat? *Tacitus* sic nonnulla refert: «Pereuntibus addita lubidria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur» 45 Nimis longum foret omnia tormentorum genera, quibus martyres vexati sunt, describere. Videri possunt apud *Lactantium 6, Tertullianum 6, Eusebium 7, Ant. Gallonium* 8 aliosque. Juxta horum testimonia et traditionem Christianam, plures sancti martyres in tauribus aeneis candentibus usti sunt, alii fen eis laminis ustulati, alii pice et resina delibuti ad instar facium combusti, alii in rogum injecti, alii pectinibus ferreis lacerati, alii in equuleo immaniter torti, alii plumbatis caesi, alii feris in spectaculis objecti, alii cruci ferociter affixi, alii membris paulatim comminutis trucidati, alii acubus et uncis puncti, alii in lebetes, sartagines et craticulas missi; delicatae virgines abscissis mamillis in carcerem conjectae sunt, bestiarum dentibus coram multitudine in amphitheatris objectae, et in fame, siti, frigore, probatae. Nullum denique fuit tormentorum genus, cui carnifices non subjecerint sanctos martyres. Unde auctor libri *De mortibus -persecutorum* apposite ait:

> «Non mihi, si linguae centum sint oraque centum,
> Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
> Omnia poenarum percurrere nomina possim» 9.

276. 3) *Virtutes.* Omnia haec tormentorum genera mira patientia et caritate martyres sustinuere. Atrocissimis tormentis subjecti canebant saepe, et pro suis persecutoribus Dominum exorabant. Humilitatis et mansuetudinis exempla dederunt non obscura, cum ad carceres et tormenta ducti se gesserunt vehit oves. *Constantiam* praecipue et *fortitudinem* coluerunt, cum horribiles ipsaque morte duriores cruciatus aequo

1 Referunt nonnulli sub Sapore II, rege persarum, 190.000 Christianorum fuisse saeculo VI interemptos, sed alii hunc numerum valde reducunt.

2 Cfr. ***Anales de la propagaciôn de la je, passim;*** Hergenrôther, ***Hist, de la Iglesia,*** t. 1, cp. 1, n. 52 sqq.; Mir, ***El Milagro,*** lib. 2, c. 12, a. 4; et alii.

3 Cfr. Visoonti, ***Sposizione d'alcune antiche iscriz. crist.;*** Rossi, ***Roma sotterranea cristiana*** et ***Bulletino di archeologia cristiana;*** Maruohi, ***Le Caiacombe Rom.***

4 ***Annal.,*** 15, 44.

5 ***Inst, div.,*** 5, n; ML e, 585.

6 ***Apologet.,*** c. 50; ML 1, 603.

7 ***Hist, ecd.,*** 5, 1; MG 20, 409.

8 ***De SS. martyrum cruciatibus.***

8 ***De mortibus persecutorum,*** 16; ML 7, 217.

animo et alacri corde sustulerunt, et non raro appetierunt. *Sulpicius Severus* ajebat ad rem: «Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur» [1]. *S. Ignatius* [2] lactabatur maxime, quod ferarum dentibus esset molendus. *Tertullianus* [3] totius civitatis incolas sese ad tribunalia sponte oblatos refert, poscentes se ad supplicia duci; et illi, quibus contigerat mori, quasi ad triumphum proficiscebantur.

Lege in actis martyrum, quomodo juvenes et senes, fragiles saepe feminae, pueri ac virgines delicatae, cantantes ad martyrium perrexerint [4].

277. 4) *Effectus* seu *fructus* martyriorum fuerunt incrementum Ecclesiae et mira fidelium Christum confitentium multiplicatio. S. *Justinus* testatur [5] se ipsum ad amplectendam religionem Christianam ex visa martyrum fortitudine partim motum fuisse; et *Theodoretus* [6] comparavit martyres cum arboribus, ex quibus, cum caeduntur, plures propagines pullulant. Unde *Tertullianus* scribebat: «Plures efficimur, quoties metimur a vobis: *semen est sanguis Christianorum*» [7]. «Cruor ille caesorum, ajebat *Theodoretus,* irrigatio quaedam erat neophytorum» [8]. Res profecto valde miranda! Quo plures ad supplicia ducerentur et pro Christo effunderent sanguinem, eo magis augebatur credentium in Domino numerus.

Porro impossibile fuit, ut tot martyres virtute naturali atrocissima tormenta sustinuerint, constanter martyrium subierint, atque innumeros homines ad tormenta subeunda moverint. Ergo martyrum constantia, attentis omnibus adjunctis, fuit miraculum ordinis moralis, demonstratque religionem Christianam esse veram ac divinam.

278. *Ampliatio argumenti.* Martyres nunquam rebelles fuerunt, sed semper pacifici et cruciatuum appetentes. «Tenemus ecce arma, ajebat *legio tebana* jussu Maximiani ad martyrium ducta, et non resistimus; quia mori quam occidere satis malumus» [9]. «Aterite nos, dicebant alii, probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra» [10]. Quae constantia ita invaluit in hominum millionibus, ut prius defecerint tyranni quam Christianiu. Quis audeat hanc martyrum constantiam virtute naturali, quae semper a doloribus et morte abhorret, adscribere?

Virtus fuit proculdubio supernaturalis, quae martyrum conditionem fragilem erexit, ut ipsi martyres non semel fassi sunt. «Insurge, ajebat tyranno *Levita Vincentius,* et toto malignitatis tuae spiritu debacchare.

1 ***Hist, sacr.,*** lib. 2, c. 32; ML 20, 147.
2 ***Ep. ad Rom.,*** n. 4; MG 5, 689.
3 ***Ad Scapulam,*** c. 4; ML 1, 781 sqq.
4 Cfr. Hurter, ***Opuscula selecta Patrum, Martyrum sanguis vox veritatis.*** Ottiger, ***Theol. fund.,*** § 46.
5 ***Apolog.,*** lib. 2, n. 13; MG 0, 464.
6 ***Graecarum affectionum curatio,*** serm. 9; MG 83, 1043.
7 ***Apologet.,*** c. 50; ML 1, 603.
8 ***Graecorum affectionum curatio,*** lib. 2, serm. 9; MG 83, 1043.
9 Apud Ruinnrt, ***Acta SS. Mart.,*** p. 243.
10 Terlull., ***Apologet.,*** c. 50: ML 1, 602.
11 Cfr. Jaugoy, ***Diction, apolog.,*** v. «Martino».

Videbis me *Dei virtute* plus posse, dum torqueor, quam possis ipse, qui torques» x.

De hoc ipso gentes sibi persuadere visae sunt juxta *Lactantium,* qui ait: «Cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, exsistimant, id quod res est, nec consensum tam multorum nec perseverantiam molientium vanam esse, nec ipsam patientiam *sine Deo* cruciatus tantos posse superare» 2. Ad rem cl. *Hurter:* «Si martyrum sanguis eloquentior est omni sive ratione sive oratione humana, si hominibus innumeris persuasit admodum dura, difficilia, aspera, quorum vix minimam partem philosophi aliquibus poterant persuadere, quis non videt illum fuisse praeditum vi persuadendi superhumana, id est, divina?» 3.

Porro tanta martyrum constantia nequibat esse a) *effectus impulsus naturalis,* quia natura a tormentis et cruciatibus abhorret, nec b) *vanae gloriae cupiditas,* ut vult *Gibbon,* tum quia vanae gloriae satisfaciendae major occasio offerebatur aliunde martyribus, tum etiam quia vanae gloriae explendae desiderium nequit ita universale esse, ut plures hominum milliones dominetur in toto orbe terrarum 4.

Concludendum itaque est ex ss. martyrum testimonio certe comprobari veritatem ac divinitatem religionis Christianae 5.

Solvuntur difficultates.

279. Obj. 1.° Martyria Christianorum sunt effectus enthusiasm! religiosi, qui primis Ecclesiae saeculis quam maxime invaluit. Martyres enim ita enthusiasmo religioso seducti sunt, ut, una sola idea absorpti, vix potuerint, etiam in tormentis, alio divertere, sicut hodie interdum accidit cum anarchistis, qui suo fanatismo ita feruntur, ut, etiam capite damnati, laeti permaneant, ipsamque mortem plaudentes non semel subeant. Ergo constantia ac fortitudo martyrum non demonstrat religionem Christianam esse veram ac divinam.

Resp.—Neg. Ant. Diffiteri non potest quosdam enthusiasmo naturali ita aliquando pro una idea exaltari, ut atrocissima quaeque tormenta ipsamque mortem libenter subeant. At hoc contingit in uno alterove individuo, non in multitudine. Quot anarchistae hucusque mortem sponte subierunt? De individuis autem non agimus, sed de ingenti multitudine cujusque aetatis, sexus et conditionis per plura saecula; et defendimus eos martyres, attenta humana fragilitate, non potuisse virtute naturali tantam habere constantiam 6.

1 Ruinart, ***Acta SS. Mart.,*** p. 325, n. 5.

2 ***Inst. div.,*** lib. 5, c. 13; ML β, 592.

3 ***Martyrum sanguis vox veritatis*** (SS. PP. opusc. 6), p. 179.

1 Cfr. Balmes, ***Cartas a un escéptico,*** carta 5; Wilmers, ***De religione revelata,*** n. 547; et alii.

5 Cfr. Perrone, ***De vera religione,*** c. 4, prop. 5.

6 Praeclare hoc argumentum solvit Balmes, ***Cartas a un escéptico,*** carta 5, dicens: «No se trata aqui de saber hasta dônde pueden la fuerza y energia moral de este o aquel individuo vivamente poseido de un objeto: no se intenta disputar la posibilidad de dar gustoso la vida por ‹5l, y hasta de sufrir atroces tormentos: la fuerza de nuestro argumento no consiste en semejantes aserciones desmentidas por la razôn y la historia: lo que decimos nosotros es que, atendida la humana flaqueza, no es posible, sin particularfsima asistencia del cielo, que por espacio de

Obj. 2.° Omnes religiones habent suos martyres. Nam a) *Lucretia, Dido* et *Portia* mortem subierunt, ut infamiam vitarent *; *Scipio Africanus* et *Cato* se ipsos occiderunt, ne ignominiam ferrent [2], et alii tormenta passi sunt, ne dedecori aut opprobrio forent posteris, b) Vere martyres sunt, qui pro tuendis patriae juribus vitam finierunt, c) *Protestantes* et alii haeretici sua habent martyrologia, in quibus non pauci martyres enumerantur, d) *Plures* in Indiis se submittunt rotis curruum, qui idola vehunt, ut ab ipsis la,cerentur; sic enim putant obsequium se praestare idolis, e) *Pabystae* tandem in Perside malunt saepe cruentissime lacerari quam suas opiniones deserere. Ergo.

Resp.—1.° in genere hos et alios casus, quos historia passim refert, nunquam adjunctis, quae martyria Christianorum comitantur, investiri. Nec enim fuerunt homines in tanto numero sacrificati, nec virtutes coluerunt ut Christiani, nec Deus eorum constantiam confirmavit miraculis, sicut notum est confirmasse opera Christianorum.

Resp.—2.° a) *Lucretia, Dido* et *Portia* mortem potius quam infamiam oppetierunt, *Regulus* consilium ex quo propria mors sequutura erat, scienter dedit, *Scipio* et *Cato* ignominiae vitandae causa mortem sibi intulerunt, *Mucius Scevola* manum in ignem misit, et alii plura hujusmodi perpetrarunt, sed hi sunt casus particulares individuorum, quos idea naturalis ita quandoque excitavit, ut tormenta prius et mortem tulerint, quam opinionem deseruerint. Sed ii, inquam, casus particulares nullatenus possunt cum adjunctis martyriorum comparari, b) Qui pro patriae juribus defendendis mortem subeunt, optime, etiam coram Deo, merentur, et, si in statu gratiae moriantur, sunt in caelo operis sui praemium recepturi; at non sunt proprie martyres nuncupandi, quia non ob defensionem fidei catholicae aut alterius virtutis supernaturalis sanguinem fundunt, sed pro amore patrio, qui est actus virtutis civicae naturalis, c) *Protestantium* martyrologia ridiculis narrationibus referta sunt. Narrant enim ac laudibus extollunt eos, qui in seditionibus ac bellis occissi sunt, vix aliquando, qui sponte mortem sustulerint [3]. d) Pauci in India praefato modo morti se porrigunt, et ipsi errore metempsychosis plerumque decepti. Cum enim aerumnas hujus vitae ferre non possunt, exoptant in alia viventia transmigrare; et ne in hac transmigratione deorum auxilio destituantur, vitam interdum sub idolorum curribus finiunt [4]. e) *Babystae* denique Persidis certissime fanatismo et caeco furore abrepti sunt, ut ex missionariorum relationibus patet.

280. Corollarium. Ex hactenus dictis facile colligitur gravissimo homines officio adstringi religionis Christianae investigandae et amplectendae. Demonstratum est enim q. 1, veram religionem esse unicam eamque ab omnibus amplectendam. Additum est hic religionem Christianam esse veram et divinitus traditam. Ex quo consequitur eam esse ab omnibus investigandam et amplectendam.

tres siglos, en todos los puntos dei orbe conocido, se hayan encontrado en tan asombroso numero personas de todas edades, sexos y condiciones, que hayan perdido alegres su hacienda, su honor a los ojos del mundo, y acabado finalmente su vida entre los tormentos mâs crucies sôlo por no querer abandonar la fe dei Crucificado».

* Tertullianus, ***Ad martyres,*** c. 4; ML 1, 698 sq.

2 Valer. Maxim., ***Fact. dici, mem.,*** lib. 3, c. 2, n. 13-14.

3 Cfr. Wilmers, ***De religione revelata,*** n. 546.

4 Cfr. Wilmers, ***De religione revelata,*** n. 548.

§ 4 .

Utrum divinitas religionis Christianae comprobetur ex ejus inter adversa hujus mundi conservatione.

281. Status quaestionis. Dominus Salvator noster saepius promiserat religionem suam perpetuo duraturam, et de facto non sine admiratione conspicimus eam saeculorum serie incolumem hucusque servari.

Hoc supposito, opportune quaerimus, utrum haec conservatio per viginti saeculorum spatium in circumstantiis, in quibus religio Christiana versata est, causis naturalibus adstipulari queat, vel potius divinae protectioni tribuenda sit; et consequenter utrum conservatio religionis Christianae divinam originem ejusdem ostendat.

Errores. Iidem errores ac in praecedenti sunt heic proscribendi.

282. Thesis. Divinitas religionis Christianae certo comprobatur ex ejus inter innumera hujus mundi pericula conservatione.

Arg. Tot fuerunt gravissima Ecclesiae pericula et religionis ac fidei Christianae ruinam minitantes causae tum internae tum externae, ut nequiverint viribus naturalibus fidelium superari. Ergo singulari Dei providentiae ac protectioni tribuendum est, quod religio Christiana adhuc servetur incolumis. Sed Deus singulari sua providentia nullam religionem protegit aut conservat, nisi fuerit vera ac populorum salvationi utilis. Ergo veritas religionis Christianae certo comprobatur ex ejus per saeculorum seriem conservatione. *Consequentiae* manifestae sunt.

Antecedens egregie exponit ac probat cl. *Hurter: «*... Considerentur, inquit, 1. *Ecclesiae hostes;* in ejus exitum conjurarunt judaei, gentiles, mahumetani, haeretici, schismatici, increduli, societates secretae, imo tot filii immorigeri et rebelles. Consideretur 2. *Conjurationis amplitudo;* nulla enim regio, nullum hujus Ecclesiae dogma, ritus, institutum, praeceptum, ab impugnatione fuit immune; omnia, Deo permittente, acerrime impugnationis censuram subiere ac velut caminum ignis transierunt. Recenseantur 3. *Adversariorum arma;* quae fuerunt omnis generis eaque efficacissima: potentia, scientia, opes, necnon fraudes, calumniae, irrisio, mendacia, corruptio et seductio in omni ordine, vis aperta, insidiae atque machinationes secretae. Ratio habeatur 4. *Procellarum internarum,* quae vel solae civitatem alioquin inexpugnabilem, regnum munitissimum concutere, evertere, perdere possunt. Ejusmodi procellae sunt oborientes in ipso ejus sinu haereses, schismata, dissidia... Quae vero 5. fuere *Ecclesiae arma?* Sola plerumque patientia. Destituebatur enim principum protectione aliisque mediis naturalibus ad impetus repellendos, malum pro malo reddere ei non licebat. Perpendatur 6. *Hujus impugnationis diuturnitas,* cum ea sit ab incunabulis ad nostros usque dies Ecclesiae comes et quidem perpetua, cum nullum sacculum, decennium forte nullum adsignari possit, quo pace ubique flueretur. Quis vero 7.

Hujus impugnationis exitus? Laetissimus plane. Quamvis enim Ecclesia pressa saepe gemuerit interitumque innumerorum filiorum saepe deploraverit, e pugna tamen putata vegetiorque prodii atque ruinas mox aliis in regionibus reparans, inimicis interim deficientibus et tabescentibus, refloruit, ejusque dogmata et instituta comprobata sunt aurum purissimum, adeo ut evidenter impleta cernantur: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Hoc enim Ecclesiae proprium est, inquit Hilarius, *De Trinit.,* lib. 7, n. 4, ut tunc vincat, cum laeditur; tunc intelligatur, cum arguitur; tunc obtineat, cum deseritur» 1.

Quibus adde teterrimum hac nostra tempestate contra Ecclesiam catholicam omni armorum genere indictum bellum. Homines enim impii ipsa revelationis jura, quibus religionis incolumitas innititur, funditus evertere conantur; potestatum civilium opem ad hoc adepti, ministros Christi libertate despoliaverunt; innumera scripta impia, quae in manibus omnium teruntur, in lucem ediderunt; societates secretas, non modo Ecclesiae, verum ipsi quoque societati et generi humano perniciosas, ubique constituerunt. Et nihilominus religio Christiana succrescit ac refloret, et fides catholica magis in dies firmatur. *Crux stat, dum volvitur orbis.*

Hinc jure religioni Christianae applicantur illa verba Gamalielis: *Si est ex hominibus consilium hoc. aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud* 1 Et revera cuncta philosophorum systemata, omnia vel olim florentissima terrae imperia, jam pridem perierunt; ipsae quoque religiones superstitiosae, et sectae ab Ecclesia dissidentes, ut nestorianismus, etc., toties disparuerunt, quoties substantialiter mutatae sunt; sola religio Christiana semper est immutabilis.

APPENDIX

DE BUDHISMO

283. Vita Budhae. Budha, filius regis Suddodana, natus est saeculo vi vel in fine saeculi vu ante Christum in oppido Kapilovastu ad pedes Himalayae ex gente Gotama, genere Sakyas.

Scientiis et artium studio in domo paterna deditus proprios superavit magistros. Aliquando vitiis induisit 3, sed deinde perfectionis studio operam dedit.

Speculationi praxim adhibere volens, secessit in desertum, ubi orationi et poenitentiae per plures annos, se tradidit ad modum sanctorum brahmanorum, ex quo dictus est *Muni,* solitarius. Hoc nomen junxit nomini familiae, et vocatus est *Sakyamuni.*

Cum certa die se crederet caelestibus illustrationibus perfusum, *Budhae* nomen, quod sapientem significat, accepit.

Vitae contemplativae praedicationem adjunxit, et innumeros adeptus

1 *Theol. gcn.,* tr. i, th. i8.
; *Act.,* 5, 38-39.
3 Cfr. Schnnz, *Apol, dei Cristianismo,* vol. 1, part. 2, c. 2.

est discipulos, quorum non pauci constituebant ordinent religiosum ad modum mendicantium *(Sramana Bhikshu)* et alii inter laicos cooptati *(Upasaka)* ipsi adhaerebant, imo et magna cum generositate monachos alebant.

Doctrina. 1) Budha non admisit exsistentiam Dei Creatoris, sed posuit deos inferiores, qui nullum influxum exercebant in homines, et per continuas transmigrationes ingressuri erant in *Nirvanam*.

2) Plures statuit regulas moralitatis, sed praecipua continentur in pentalogo sequenti: Non occidere, non furari, non adulterari, non mentiri, et non inebriari. Qui observant hunc pentalogum, non indigent purgare peccata in inferno, sed sola hac vulgari moralitate sine omnimoda liberatione a desiderio nequeunt ingredi in *Nirvanam,* et transmigrabunt in futuras exsistentias.

3) Admittit transmigrationes animarum in alias exsistentias, et retributionem actuum in futura vita, caelesti, humana vel infernali, juxta qualitatem actuum in hoc mundo. Quod explicat sequenti modo:

Vita hominis super terram est continuus dolor productus per desiderium, quia desiderium semper comitatur timorem et miseriam, quae sunt causa doloris.

Opus igitur perfectionis humanae consistit in liberatione a desiderio et dolore, qua vitantur seu cesssant transmigrationes[1]. Hoc fit actibus moralibus.

Aliqui budhistae strenue laborant, non praecise in adipiscenda felicitate, sed in consequenda liberatione a desiderio et dolore, impassibilesque se reddunt aci omnia, et sic omnino liberati a desiderio in morte transeunt in *Nirvanam*. Sunt tamen pauci, qui hoc modo se liberent in hac vita ab omni desiderio.

Caeteri omnes iir morte transmigrant in alias et alias vitas, in quibus recipiunt vel felicitatem sensibilem in caelo, vel conditionem humanam in altera vita humana, vel poenas finiendas in inferno. Omnes tamen, qui, nondum in *Nirvanam* admissi, in caelum vel in vitam humanam vel in infernum juxta qualitatem suorum actuum transmigrarunt, per innumeras alias transmigrationes transibunt, quousque tandem ab omni desiderio, dolore et futura exsistentia liberentur, et ingrediantur in *Nirvanam*.

Nirvana. Qui in hac vita vel in sequentibus transmigrationibus, quae secundum budhistas sunt innumerae, liberati fuerint ab omni desiderio et dolore, ac redduntur impassibiles; fiunt *nirupa,* idem cum nihilo, et ingrediuntur in *Nirvanam,* placidam scilicet et inconscientem requiem.

Non parum disputatum est, an Nirvana inter budhistas sit totalis annihilatio et exstinctio vel positiva requies in esse. Nondum res definita est apud budhistas et expositores budhismi[2].

Ex hac brevi expositione constat doctrinas budhismi non parum distare a vera religione.

Budhismus scatet plerumque erroribus fatalismi, metempsychosis,

1 Cfr. Weiss, ***Historia Universal*** (hisp, vers.), vol. 2, p. 41.
2 Cfr. Valbuena, ***La religion a travt's fle los stglos,*** t. 2. p. 344,

atheismi practici et annihilationis, et si quid continet in suo pentalogo laude dignum, vel non excedit vires naturales intellectus humani, vel excerptum est a revelatione primitiva, cujus influxus pervenit ad omnes plagas mundi.

DE MAHUMETISMO

284. Vita Mahomae. Mahoma, sic dictus vel quia ita vocatus est a nativitate, ut plures volunt, vel quia hoc nomen ipse sibi adoptavit Medinae, ut aliis placet, natus est Meccae in Arabia, anno 570 vel 580 post Christum ex patre Abdalah.

Curri esset annorum viginti quinque, negotiis temporalibus deditus, bona dominae Khadidjae, divitis viduae, administravit, eamque deinde in uxorem duxit. Vitam obscuram cum ea egit usque ad annum 610, quo dicitur primam revelationem accepisse, cum audivit: «Mahoma, tu es missus a Deo; ego sum Raphael» *(Sura* 96, 1-5). Cum id ipsum secundo ipsi dictum fuisset, sibi persuasit se esse prophetam, et doctrinas religiosas incepit praedicare.

Ut verum prophetam eum habuerunt uxor ejus Khadidja, hujus quidam consanguineus nomine Waraka, qui Christianus et sacerdos fuisse creditur, Zaid, auctor deinde Alcorani, et alii non pauci ex populo plebejo. Aperte ipsum persecuti sunt nobiles Meccae vocati *Quraish,* et coegerunt doctrinas praedicare in secreto. Hoc tempore conveniebat cum discipulis in domo al-Arkam.

Anno 620 mortua est Khadidja ejus uxor.

Tunc rogatus a Medinensibus, ut Meccam relinqueret, volens persecutionem Quraishtarum fugere, die 15 Julii, anni 622 in Medinam perrexit. Haec fuga vel emigratio, quae vocatur *Hegira (Hijra)* est principium aerae musulmanicae, et ex ea mahumetani annos sui kalendarii enumerant.

A Medinensibus ut propheta el legislator receptus, eorum liturgiam accommodavit et templum (Mezchitam) construxit. Ne discipuli essent Medinensibus gravosi, misit eos ad vias publicas, ut negotiatores Meccae spoliarent, et Christianis ac judaeis bellum indicerent. Discipuli, quamvis non semper triumphatores, aliquando tamen negotiatores vicerunt ac spoliaverunt, atque ditissimas merces Medinam detulerunt. Ipsemet Mahoma in sequentibus expeditionibus discipulis se junxit, et primo syrios in Badr spoliavit, deinde habitatores Banu Qainuga vicit et in Syriam misit; postea habitatores Banu Kadhir spoliatos misit in Khaidar. Anno quinto Hegirae declaravit bellum habitatoribus Banu Kuraiza, et, cum vicisset eos, occidit plusquam septingentos homines, et mulieres ac parvulos in servitutem vendidit. Anno septimo Hegirae duxit arma contra judaeos Khaibar, Fdok et Taima-et-Wad-l-Qura, eosque conditionibus onerosissimis subjugavit.

Anno octavo Hegirae (630 aerae Christianae) ingressus est Meccam, et sanctuarium arabum declaravit mezchitam seu sanctuarium mahumetanum.

Obtenta denique victoria Humain, totam Arabiam subjugavit x.

1 Cfr. Edtnundus Power, ***Christus,*** ‹ , 15, 6 2.

»

Mortuus est Medinae die 8 Junii 632.

Doctrina. 1) Admisit Mahoma unum Deum, dominum universi, sed hanc doctrinam non parum detorsit, cum posuit duas creaturas aeternas, thronum et librum, limitantes potestatem Dei.

2) Docuit «plures homines et spiritus fuisse a Deo creatos et destinatos ad infernum».

3) Meminit Meccae Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed Medinae docuit Trinitatem constitui Patre, Jesu Christo et SS. Virgine.

4) Angeli fuerunt a Deo creati ex igne.

5) Animae post mortem separatae a corporibus suis permanebunt in somno vel sopore perpetuo usque ad diem judicii.

6) In caelo fruentur justi deliciis carnalibus.

Moralitas. Mahoma praecepit discipulis fidem, orationem, eleemosynam. jejunium, peregrinationem ad Meccam et bellum sanctum, sed haec bona opera non semper regulabantur debita prudentia.

Admisit polygamiam, adeo ut Alcoranus permittat quatuor simul uxores, et ipse Mahoma, quamvis in vita primae uxoris fuerit monogamus [1] deinde dicitur habuisse undecim uxores [2].

Alcoranus. Liber sacer mahumedanorum est *Alcoranus (Cara),* manifestatio seu lectio in communi. Compositus fuit a Zaid, Secretario Mahomae, post mortem prophetae, ex relationibus, quas Mahoma praeceperat conservare.

Continet 114 *suras (scitura)* seu capita, et surae dividuntur in versiculos *(Ayak).* Continet revelationes, quas propheta dixit se accepisse ab anno 610.

TRACTATUS II

DE ECCLESIA CHRISTI

SECTIO I

DE INSTITUTIONE ECCLESIAE

QUAESTIO XIII

DE ORIGINE ECCLESIAE

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES PRAEVIAE

285. I. Nomen. Nomen *Ecclesia* a graeca voce εκκλησι (evocatio) seu εκκησια (quasi evocatum concrete) derivatum est.

286. II. Significatio. In genere significat coetum eorum, qui ad aliquem finem coadunantur. Hac generica acceptione dicitur ecclesia

1 Edmundus Power, ***Christus,*** c. 15, § 2.

2 Cfr. Schanz, ***Apologia del Cristianismo,*** vol. 1, part. 2, c. 12, n. 5.

religiosa\ politica 1, profana et *judicialis* 34 aut etiam *malignantium i,* prout ejus finis fuerit religiosus, politicus, judicialis aut profanus 56

Sola religiosa est consideranda, quae potest esse:

1) *Late* quilibet coetus religiosus, ut catholicorum, protestantium, schismaticorum, etc.

2) *Strictius* coetus fidelium, qui unius doctrinae professione coadunati Deo religantur et consecrantur in societate Christiana catholica. Haec est triplex: a) *militans* in terra, quia, ut ait *Catechismus romanus,* «illi cum immanissimis hostibus, mundo, carne, satana, perpetuum est bellum» 0; b) *purgans* in purgatorio, quia animae ibi detentae igne expiatorio purgantur; et c) *triumphans* in caelo, quia sancti, omnibus victis hostibus et periculis, sine fine regnant in patria; hanc Apostolus appellavit *ecclesiam primitivorum ",* qui conscripti sunt in caelis.

3) *Strictissime* sola Ecclesia militans, de qua hic agimus.

287. III. Realis Ecclesiae definitio.

1) S. Thomas, de gratia Christi loquens, ait: *Ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium* 8. Haec definitio licet vera refertur ad Ecclesiam Veteris ac Novi Testamenti, prout conflatur ex fidelibus, qui amplexi sunt 1) *revelationem primitivam* ab Adam usque ad Moysen in Israel et usque ad Christum apud gentes; 2) *revelationem mosaicam* usque ad Christum in populo judaico; et 3) *revelationem Christianam* in Ecclesia catholica 9. Quo ampliori sensu, licet quaedam explananda occurrant in sequentibus, non hic tamen agendum est directe, sed de Ecclesia, quae est in Novo Testamento.

2) *Alii* definiunt Ecclesiam: *Congregatio baptizatorum.* Sed nisi recte explicetur de baptizatis, qui unam fidei professionem retinent, eadem suscipiunt sacramenta, et se subjiciunt auctoritati Romani Pontificis pro tempore exsistentis, manca est definitio. Haeretici enim et schismatici baptismum susceperunt, et nihilominus ad Ecclesiam minime pertinent, ut ex inferius dicendis patebit.

3) *Theologi catholici* et canonistae communiter cum *Bellarmino* Ecclesiam recte definiunt: *Coetus hominum viatorum ejusdem fidei Christianae professione et eorumden sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum ac praecipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis*10.

In hac definitione, ut vides, exprimuntur:

a) *Membra: coetus hominum viatorum.* Quia Ecclesia militans est societas quaedam et adunatio plurium hominum in terris degentium.

b) *Conditio membrorum seu unio eorum per fidem; ejusdem fidei*

1 Ps. 88, 6.
2 ***Ad.,*** 19, 32.
3 ***Ad., 19,*** 39.
4 Ps. 25. 5
5 Cfr. S. Bellarminus, ***De Ecclesia militante,*** lib. 3, c. 1; Franzelin, ***De Ecclesia Christi,*** th. r.
6 Part, i, c. 10, 5.
7 ***Hebr.,*** 12, 23.
8 ***III p.,*** q. 8, a. 4 ad 2. . f
II Cfr. Mazzolln, ***De religione et Ecclesia,*** n. 400.
1,1 ***De Ecclesia militante,*** lib. 3, c. 2.

Christianae professione... colligatus. Ecclesia namque finem habet supernaturalem, ad quem obtinendum requiritur *unius fidei Christianae professio.* Hoc fidei vinculo uniti fiunt homines membra Ecclesiae et Christi. Quare omnes *infideles* et *haeretici* ab hac societate excluduntur.

c) *Media: eorumdem sacramentorum communione colligatus.* Non enim sola fidei professio sufficit, ut quis integre Ecclesiam ingrediatur, sed requiritur ulterius, ut per baptismum Ecclesiae quisque se addicat eique aliorum sacramentorum participatione et vinculo conjunctum se servet. Defectu hujus conditionis *catechumeni* non pertinent ad Ecclesiam.

d) *Auctoritas: sub regimine legitimorum Pastorum ac praecipite Romani Pontificis.* Societas nequit ulla dari absque legitima auctoritate, quae in Ecclesia est duplex, una invisibilis, Christus Dominus, in caelis; et altera visibilis, ejus in terris Vicarius Romanus Pontifex, qui per legitimos Pastores regit Ecclesiam DeL Legitimae auctoritati parendum est ab omnibus societatis membris. Unde qui velit ad Ecclesiam Dei pertinere, debet Romani Pontificis pro tempore exsistentis regimini accurate se subjicere jussaque implere. *Schismatici* omnes et *protestantes,* qui debitam Romano Pontifici obedientiam denegant, non pertinent ad Ecclesiam.

Finis hujus societatis est supernaturalis, beatitudo scilicet et felicitas aeterna in possessione Dei, ad 'quam omnes, qui Christiano nomine gloriantur, mediis opportunis debent tendere.

Ecclesia docens et discens. Ipsa adhuc Ecclesia militans appellatur quandoque *docens,* quatenus complectitur pastores et praesules seu praepositos, quos dedit Deus juxta Apostolum *ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*[1], quandoque *discens,* prout fidelibus coalescit, qui pastorum monitis et doctrina aluntur.

Ecclesia universalis et particularis. Ipsa iterum Ecclesia *militans* potest considerari 1) ut *universalis* per totum orbem diffusa et complectens omnes, qui ubique terrarum una Christi doctrina conjunguntur, fideles; et 2) ut *particularis,* complectens coetum fidelium in una natione, vel in una provincia ecclesiastica, vel in una dioecesi.

288. IV. Notio Ecclesiae ab acatholicis tradita. Plures sunt Ecclesiae definitiones ab acatholicis excogitatae.

A. Jam olim *Donatistae, Pelagiani* et *Cathari,* contra quos scripsit S. *Augustinus*[2]; graviter erraverunt dicentes Ecclesiam esse *congregationem justorum,* adeo ut nemo posset ad Ecclesiam pertinere, nisi actu esset a peccato mortali immunis. His subscripserunt *Waldenses* haeretici quos Synodus *Veronensis* primo et deinde *Lucius III* anno 1184 damnaverunt[3]. Postea *Wicleffistae* (an. 1375) et *Hussitae* (an. 1408) docuerunt Ecclesiam esse *congregationem* non quidem actu justorum sed *praedestinatorum,* eorum nempe, qui essent aliquando gloriam aeter-

1 *Ephes.,* 4, 11-13.
2 Cfr Hergenrother, *Hist, de la Jgl.t* t. 2, p. 16.
3 Cfr Bossuet, *Hist, des Variations,* liv. u.

nam adepturi, ita ut reprobi, quantumvis gratia et perfectione actu fulgerent, nunquam forent Ecclesiae membra 1.

289. *B.* Ecclesia schismaticorum. Jam inde a saeculo iv quidam Episcopi Byzantini, ex Concilio Cpolitano I, can. 3 et Chalcedonensi can. 28 occasionem arrepti, suas praerogativas nimis aequo extulere, et nova jura, eousque ignota, sibi adscripsere. Deinde an. 448 *Aeacius* Romano Pontifici obedire renuens schisma produxit, quod aliquot annos vastavit Ecclesiam.—Haec semina fuerunt et initia magni schismatis, quod fautore *Photio* saeculo ix, non sine fidelium scandalo, apparuit. *Photius* enim expulso Ignatio, legitimo Patriarcha, Sedem Constantinopolitanam audax invasit, et Romano Pontifici aperte rebellis Patriarcham se nominavit. Paulo post Photio mortuo omnes Ecclesiae Orientales ad obedientiam Romani Pontificis redierunt, sed anno 1034 a *Sergio* schisma renovatum est, et anno 1054 a *Michaele Caerulario* consummatum 2. Omnes deinde conatus Romanorum Pontificum et Conciliorum *Lugdunensis* a. 1274 et *Florentini* a. 1439, ut iterum concordia iniretur, evanuerunt, et Ecclesiae Orientales ab unitate Ecclesiae Romanae defecerunt.

Ecclesia haec graeca, quam schismatici *ortodoxam* appellant, partim *haeretica* ob errores dogmaticos quos defendit, partim *schismatico* propter denegatam Romano Pontifici obedientiam, dicenda est, et in tot hodie partes ac sectas dividitur, ut nescias quid tandem doceat vel teneat.

Praecipuae sectae sunt: 1) Ecclesia graeca, quo nomine veniunt Patriarchatus *Constantinopolitanus* (primatum quemdam honoris super alios tenens), *Alexandrinus, Antiochenus,* et *Hierosolymitanus.* 2) Ecclesia russica seu moscovita, quae saeculo xn ab unitate romana se subtrahens Patriarchatui Gonstantinopolitano se addixit; ab eo iterum saeculo xvi se subduxit, et tandem anno 1721 a Petro I Magno Imperatore in Ecclesiam nationalem evecta est. Potestas ejus suprema exinde ante bellum mundiale residebat in S. *Synodo,* cujus membra et praeses eligebantur ab Imperatore. Hoc tamen regimen tum clerici tum laici abhorrebant et nonnisi inviti tolerabant 3. Post bellum mutata sunt omnia. 3) Ecclesia hellenica, cujus Episcopi, anno 1833 Archiepiscopo Cp. primatum honoris et jurisdictionis denegantes, ecclesiam independentem ad modum Ruthenorum constituerunt. Regitur a S. *Synodo,* quae Archiepiscopis et Episcopis a Rege selectis constat; in rebus spiritualibus Christum tantummodo caput Christianae fidèi, in rebus ad Statum pertinentibus Regem Graeciae caput supremum agnoscit 4. 4) A Patriarchatu Cp. recesserunt etiam saeculo praeterito Patriarchatus *Carlowitz* in Austria, et Ecclesiae *Serviae, Montisnigri, Bulgariae, Rumaniae, Cypri* et Conventus ac episcopatus *Montis Sinai* 56

1 Cfr. Waldensis, ***Doctrinale fidei,*** lib. 2, c. 8; et Bossuet, ***Hist, des Variations,*** liv. ii.

2 Cfr. Hergenrother, ***Hist, de la Igl.,*** t. 3, p. 311 sqq.

3 Cfr. Jugie, ***Theol. dogm. christ, orient.,*** t. 4; «De Ecclesia», c. 9, art. 3, § 3.

4 Cfr propositiones quae ab Episcopis Graeciae, Naupliae congregatis, subscriptae sunt.

6 Cfr Hergenrdther, ***Hist de la Igl*** , period. 9, η. 282 sqq. (t. 6, p. 433 sqq.).

Hi omnes generarim contendunt Ecclesiam primaevam fuisse quidem visibilem, corpore episcoporum constantem; sed volunt primatum Romani Pontificis sicut et electionem Sedis Romanae fuisse juris ecclesiastici pro dignitate tunc temporis Imperii Romani; translato vero postea in Byzantium Imperio, etiam primatum dicunt ad Patriarchas Constantinopolitanos translatum fuisse.

Quae cum ita sint, nequit facile investigari in quo tandem schismatici reponant Ecclesiae rationem. Si fides est *Macario,* «vera Ecclesia ea est, quae conservat realiter et sine variatione infallibilem doctrinam antiquae Ecclesiae oecumenicae, quae quidem doctrina invenitur in professionibus fidei oecumenicorum Conciliorum et unanimi consensu Patrum» L Hanc doctrinam solummodo contineri volunt in *septem prioribus Conciliis oecumenicis* 1. Primatum et auctoritatem Romani Pontificis super universam Ecclesiam omnes unanimi consensu rejiciunt, nullum aliud in spiritualibus caput Ecclesiae agnoscentes nisi Christum Dominum.

290. *C.* Ecclesia protestantium. Protestantes presse vocantur illi haeretici qui anno 1529 in Germania *protestati sunt* contra decretum Comitiorum Spirae, quo edictum Worms obligatorium declarabatur, et contra augustissimum Eucharistiae sacramentum et missae sacrificium publice praedicari vetabatur. Inde nomen *Protestantismus* 3. Latius tamen hoc nomine veniunt omnes novatores, qui saeculo xvi sub praetextu Reformationis ab Ecclesia Romana non sine gravi scandalo discesserunt.

Praecipua capita protestantismi fuere *Lutherus, Calvinus* et *Henricus VIII,* ex quibus sectae *Lutheranismus, Calvinismus,* et *Anglicanismus* prodierunt.

a) Lutheranismus venit a Martino Luthero Islebiensi (Saxonia), qui, ex monacho Ordinis Eremitarum S. Augustini anno 1517 apostata et haeresiarcha effectus, Ecclesiam et totam Europam perturbavit. Nullam esse in Ecclesia hierarchiam jure divino institutam docuit sed quemlibet fidelem esse sacerdotem a Spiritu Sancto instructum, sacramque ordinationem esse prorsus inutilem. Ecclesiam perfectam et universalem dixit latere invisibiliter *in massa quadam ecclesiastica* nullo vinculo et organismo objective coadunata, et ex his constare qui fide, spe et caritate conjunguntur i. Instituuntur quandoque communitates particulares (Gemeinde), in quibus Ecclesia imperfecta visibiliter apparet.

Ex hoc Lutheri systemate pullularunt *Anabaptistae* et recentius *Baptistae* (infantium baptismum condemnantes), *Sacramentarii* (prae-

1 ***Introduction à la Théologie Ortodoxe,*** p. 2, sect. § 144. Opus a quodam anonymo russo gallice versum, et Parisiis apud Joel Cherbulier 1857 editum.

2 Octavum concilium oecumenicum Constantinopoli celebratum, cui graeci adfuerunt, et in quo confirmata est doctrina tum graecis tum ruthenis valde cara de veneratione imaginum, rejiciunt omnes schismatici ea fortasse ratione, quod Primatum Romani Pontificis explicite definierit.

3 Cfr. Hettinger, ***Thcolog. fund.,*** p. 2, § 9; B in nota; Perujo, ***Diccionario de ciendas eclesidsticas,*** V. ***Protestantisme.***

' ***Confess. Augustod.,*** a. 7, haec habet: «Item docent, quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia ***Congregatio Sanctorum,*** in qua Evangelium recte docetur, et recte administrantur sacramenta».

sentiam Christi in Eucharistia figuraliter tantum reponentes), *Confessionistae* (sic a confessione Augustoduna dicti), aliaeque innumerae sectae. In quibusdam locis habent episcopos a regibus designatos, in Germania a principibus saecularibus absque ullo episcopo in omnibus reguntur, et in America septentrionali fideles eligunt suos pastores[1]. Hinc exoriuntur systemata a) *episcopale* quod regibus et principibus devolutam esse docet potestatem episcopalem jure divino, quasi principes forent episcopi supremi; b) *territoriale,* quod potestatem episcopalem adnexam esse contendit jure naturae cuique principi in suo territorio; c) *collegiale,* quod potestatem episcopalem collatam esse vult regibus a communitate[2].

b) Calvinismus a Joanne Calvino Noviodunensi nomen accepit, qui scripto *Institutionum* libro circa annum 1550 Reformatorum doctrinas varie exposuit ac per Galliam et Sabaudiam propagavit. Systema Lutheri de constitutione Ecclesiae non parum immutans duplicem proposuit Ecclesiam, unam *invisibilem,* quae omnibus electis, licet fide divina nondum illustratis, constat, *visibilem* alteram ad quam omnes tandem confugere tenentur, ut salutem aeternam consequantur. Episcopi et presbyteri, qui sunt jure divino aequales, una cum senioribus et diaconis ministerium exercere debent[3]. Calvinistae communiter dicti sunt *Presbyteriani,* eo quod solos presbyteros admittant. Quandoque vocantur *Puritani* (ex pura quam tuentur Calvini doctrina), *Reformati* (a praetensa Ecclesiae reformatione), *Arminiani* seu *Remonstratenses* (ex Arminio et ex quinque articulis an. 1610 Arminii sectatoribus exhibitis, quorum titulus erat *remonstratio).* Hugonoti quoque in Gallia ad sectam Calvinianam pertinuisse videntur.

c) Anglicanismus ex Henrico VIII, rege Angliae, originem duxit. Initio quidem ut schisma apparuit, sed postea, sub Eduardo VI et sub Elisabeth regina, lutheranismi et calvinismi erroribus imbutus est. *Anglicanismus* ex erroribus partim Lutheri partim Calvini confectus, dividitur in duos ramos, *anglicanos* nempe proprie dictos et *dissidentes,* qui plures sub se sectas continent[4].

a) Anglicani proprie dicti sunt α) *Episcopales* qui episcopos et alios ecclesiasticos gradus admittunt, et regem atque reginam Angliae ut Ecclesiae caput agnoscunt. Quamquam dogmata plura Ecclesiae catholicae negent, et praesertim primatum Romani Pontificis ejusque infallibile magisterium rejiciant, retinent tamen altaria, cruces et ritus varios. Est proprie *Ecclesia Status* seu *Superior* (High Church), β) *Puseystae,* ita nuncupati quia Doctorem Pusey agnoscunt principalem ducem ac magistrum. Hi primaevum anglicanismum, quem corruptum exsistimabant, in pristinum statum redigere volentes, conati sunt apostolicam Ecclesiae originem ostendere, et Sanctorum Patrum veterumque Conciliorum testimoniis suas doctrinas et vitae rationem corroborare. Hinc

1 Numerantur circiter 50.000.000 lutheranorum.

2 Cfr. Hergonrttther, ***Hist, de la Iglesia,*** period. 7, n. 2X0 (t. 5, p. 305 sqq.); Zigliara, ***Propacdeutica*** (67), 4, et alii.

3 Cfr. HorgonriSthor, ***Hist, de la Iglesia,*** period. 7, n. 120 (t. 5, p. 182 sqq.).

4 Horgonrttthor, ***Hist, de la Iglesia,*** period. 9, n. 157 sqq. (t. 5, p. 230 sqq.).

factum est, ut omnia fere dogmata et disciplinam Ecclesiae catholicae, excepto Romani Pontificis infallibili magisterio et Immaculato B. M. V. conceptu, admittant, omnia sacramenta non exceptis Eucharistia et Poenitentia teneant, omnesque nostros ritus servent. Vocantur etiam a quibusdam *Ritualistae* a rituum accurata observantia, *Oxonienses* ab origine Oxoniae habita, et ipsi se nuncupant *Anglo-Catholicgs,* dicentes Ecclesiam catholicam in *Romanam, Graecam* et *Anglo-Catholicam* dividi.

b) Dissidentes seu *Separati*—sic nuncupati quia ab Ecclesia Status discesserunt—sunt: a) *Puritani* qui docent Calvinismum esse omnino sequendum; β) *Evangelistas* qui Calvinismo deflectunt, sacramenta ut mera symbola habent, et justificationem per fidem effici blaterant. Doctrina de *Chiliasmo* seu de regno Christi millenario imbuti et somniis apocalypticis referti, fanatismo cuidam ita dediti sunt ut per vicos et plateas praedicationi Evangelii operam continuo navent, γ) *Congregationalistae* et *Independentes,* qui omnem auctoritatem tum episcoporum, tum presbyterorum, tum etiam Synodorum rejiciunt, et ecclesias particulares praedicant esse omnino independentes, ac singulas posse sibi symbola et leges conficere atque ministros deputare 1. δ) *Methodistae,* sic a methodo quam in exercitiis pietatis servant vocati, anno 1729 auctore *J. Wesley* in Universitate Oxoniensi originem habuerunt, 39 articulos ecclesiae anglicanae in compendium reduxerunt, et, doctrinas speculativas parvi facientes, pietatis opera omni conatu promovenda docent.

Sunt denique' hodie plerique protestantes, qui ad nullam sectam pertinentes *liberales* simpliciter vocantur, et *rationalismum* sive *radicalem* sive *moderatum* professi, ordinem supematuralem prorsus rejiciunt; rerum materialium nimium solliciti, parum de religione curant; et, data occasione, omnes religiones dicunt esse aeque bonas atque utiles et cuilibet liberum esse quam libuerit societatem religiosam amplecti. Ita phires Germaniae, Angliae, Galliae et Statuum Foederatorum Americae protestantes, ut Strauss, Harnack, etc.

Ut facile quisque videt ex hac diversorum systematum brevi expositione, fundamentale protestantismi principium est Romani Pontificis primatum in universam Ecclesiam atque infallibilem auctoritatem super omnes episcopos et fideles prorsus rejiciendam esse 2. Huic principio innixi protestantes rationem verae Ecclesiae omnino destruunt.

ARTICULUS II

UTRUM IN VETERI TESTAMENTO FUERIT ECCLESIA

291. Status quaestionis. Ecclesiam quodammodo exstitisse in Veteri Testamento satis innuimus, dum de diversis acceptionibus hujus

1 Vide Hergenrother, ***Hist, de la Iglesia,*** period. 7, η. 167 (t. 245).

3 Plures tamen, dum auctoritatem Romani Pontificis respuunt, illimitatam regibus ac principibus saecularibus concedere jurisdictionem non dedignantur. «Regia Majestas, ait art. 35 ex 39 quibus Anglicanismus continetur, in hoc Angliae regno ac caeteris ejus dominiis, jure summam habet potestatem, ad quam omnium Statuum hujus regni, sive illi ecclesiastici sint sive non, in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, et nulli externae jurisdictioni est subjecta».

vocis disseruimus in articulo praecedenti. Sed cujus rationis illa fuerit et quando inceperit, quaestiones sunt nondum omnino dilucidatae. *Ecclesiae* namque *militantis* in ampliori significatione triplex est status, *Pairiarchalis* scilicet seu legis naturae, *Mosaicae* et *Christianae*. Patriarchalis et Mosaica, ad Vetus Testamentum pertinentes, umbra fuerunt, praeparatio et typus Ecclesiae Christi, qui erat finis universae legis. Christus erat veluti centrum omnium Ecclesiarum, ad quem antiquae comparabantur ut ad caput *promissum,* et nova ut ad caput *missum* seu *datum l.* Quare omnes quodammodo designatae sunt nomine Ecclesiae Christi, imperfectius tamen illae antiquae[1], quia Christus omnium Ecclesiarum caput, non effective physice sicut in nostram Ecclesiam, sed moraliter tantum in genere causae finalis in illas influxit 3.

Antequam diversas de Ecclesia Novi Testamenti quaestiones enucleare aggrediamur, operae pretium est nonnulla de Ecclesia Patriarchal! et Mosaica praelibare. Scopus igitur hujus articuli est breviter investigare, an congregatio fidelium Veteris Testamenti rationem habuerit verae Ecclesiae, et quando inceperit esse.

292. Theologorum placita, a) Communiter tenent Doctores catholici Ecclesiam, quantum ad conceptum genericum, quem exhibet, exstitisse in Veteri Testamento 4.

b) Quantum ad tempus, quo Ecclesia Patriarchalis incepit, non conveniunt auctores, a) *Nonnulli* dicunt illam una cum creatione primi hominis initium habuisse, id est, in Adamo ante formationem Evae jam exstitisse. b) *Alii* putant Ecclesiam incepisse non in Adamo sed in Abel, ex eo quod primus obtulerit Deo sacrificium et cultum. Ita *Turrecremala 5,* Tournely 8,* Liberius a Jesu* 7 et alii, quibus favere visus est S. *Thomas* cum inquit: «Ecclesia incepit a tempore Abel» 8. c) *A Hi* denique exsistimant Ecclesiam incepisse in Adamo et Eva post lapsum. Ita *Suarez* 8 et alii non pauci. Ipse S. *Thomas* huic sententiae favet dicens: «Corpus Ecclesiae constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius» 10.

293. Thesis I. Fideles in statu patriarchal! non solum 1) verae fidei professione, verum etiam, 2) sacrificiorum oblatione, 3) veri Dei cultu interno et externo, 4) sacramentorum participatione, et 5) sub invisibili Dei et visibili Patriarcharum regimine inter se copulabantur; unde in Veteri Testamento vera exstitit Ecclesia, quae depositum fuit atque

1 Ad rem apposite ait s. Thomas, ***III p.,*** q. 8, a. 3 ad 3: «Sancti Patres non insistebant sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus et umbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, in quantum est imago, et in rem... Et ideo antiqui Patres, servando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eamdem, qua et nos in ipsum ferimur; et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae, ad quod nos pertinemus».

2 Cfr. Salmantioenses, ***De Incarnatione,*** disp. 7, dub. 4.

3 Vide Franzelin, ***De Ecclesia Christi,*** th. 3: Billot, ***De Ecclesia Christi,*** q. 1, et alios.

4 Vide Mazzella, ***De religione et Ecclesia,*** n. 431.

° ***Summa de Eccl.,*** lib. 1, cc. 27-28.

8 ***De Ecclesia,*** q. I, a. 3, conci. 2.

7 ***Controv.,*** torn. 8, part. I, disp. 1, contr. 11.

8 ***In Symb.,*** a. 9; «Circa tertium».

8 ***De fide,*** disp. ◊. sect. 2, ŋ. 3.

i» ***III p.,*** .p 8, a. 3.

custodia primitivae revelationis, ct complectebatur omnes, quotquot fuerunt a principio mundi usque ad Christum apud gentes, fideles.

Arg. In statu patriarchali copulabantur fideles inter se.

1) *Verae jidei -professione.* Nam, sicut ostensum est superius [1], protoparentibus et Patriarchis post lapsum Adae revelata sunt a Deo praecipua verae religionis dogmata. Hinc divinitus edocti sunt homines de Deo ejusque praecipuis attributis, de providentia divina, de angelis, de vita aeterna, de mysteriis SSmae. Trinitatis et Incarnationis, atque de futura per Redemptorem nostrum reparatione; quae omnia conferebantur intuitu meritorum Christi venturi, qui moriturus erat *in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento* [2], ut dicit Apostolus, et credebantur atque profitebantur a fidelibus antiquis. Ergo [3].

2) *Sacrificia* item tunc temporis Deo oblata fuisse constat ex Genesi 4, 3-4, ubi referuntur munera a Cain et Abel Deo oblata, et ex Genesi 22, ubi Abraham, Domini mandatum impleturus, filium suum unigenitum sacrificare paratus fuit.

3) *Cultus* quoque tum internus tum externus a protoparentibus et Patriarchis Deo tribuebatur, ut patet ex invocationibus Domini, quas invenimus in sacris litteris passim [4].

4) *Sacramentorum participatione* fideles, in religiosam societatem colligati, sanctificabantur. Nam, ut ait S. *Augustinus* «nec ideo tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis» [5].

5) *Regimine* denique, non solum invisibili Dei, quo unusquisque in Deum efferebatur, verum etiam magisterio externo et visibili Patriarcharum, populum fidelem directum fuisse non immerito colligitur ex S. Scripturae testimoniis. Ad rem ait S. *Petrus: Octavum Noe justitiae praeconem custodivit* (Dominus), *diluvium mundo impiorum inducens* [6]. Si Noe fuit *octavus justitiae praeco,* alii praecesserunt praecones, qui nonnisi septem Patriarchae ab Enos, qui *coepit invocare nomen Domini,* decurrentes esse potuerunt [7]. Patriarchae igitur *praecones justitiae* a Deo constituti, religionem revelatam custodierunt, et in patriis institutis po-

1 N. 176 sqq.

2 ***Hebr., 9,*** 15.

3 Legendum est totum caput 11 Hebraeorum, ubi constat, quomodo antiqui Patriarchae et fideles una fidei professione colligati fuerint.

4 ***Gen.,*** 4, 26.—Ad rem S. Thomas, ***III p.,*** q. 60, a. 5 ad 3, haec habet: «Sicut in statu legis naturae homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur». Deerat profecto eis determinatio ***specifica*** sacrificiorum et cultuum, quibus Deus coleretur, sed nemini dubium, quin unusquisque cultu interno et externo in Deum duceretur.

5 ***Conlr. Jul.,*** lib. 5, c. 11, n. 45; ML 44, 809.

6 ***II Petri,*** 2, 5.

7 Josephus, de posteris Seth loquens ait: «Et isti quidem per septem aetates eo statu perstiterunt Deum pro rerum omnium domino agnoscentes, virtutemque in omnibus respicientes. Procedente dein tempore patriis ab institutis in pejus mutati sunt». ***AM. jud.,*** lib. 1, c. 3, n. 1.

pulum erudieruntPost Noe autem tempora ante Moysem nunquam Patriarchae ab instruendo regendoque populo cessarunt. Unde ait Dominus de Abraham: *Scio enim quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et jaciant judicium et justitiam* 1. Quapropter Patriarchae ob munus, quod acceperant, docendi populum, non semel *prophetae* appellati sunt 3.* «Et ipsum Noe Patriarcham... ait S. *Augustinus i,* et alios supra et infra usque ad hoc tempus, quo reges in Dei populo esse coeperunt... non immerito possimus appellare *prophetas,* praesertim quia nonnullos eorum id expressius legimus nuncupatos 5.*

294. Thesis II. Statim post lapsum, facta Adamo et Evae reparationis promissione, instituta est Ecclesia Patriarchalis.

Nota. Supponimus hic Ecclesiam non fuisse fundatam ante hominis. lapsum, *a)* Non quidem in solo Adamo ante formationem Evae, ut ait prima sententia, quia, cum Ecclesia sit quaedam societas seu congregatio fidelium, nequit in uno tantum individuo consistere; *h)* neque in Adamo et Eva ante lapsum, quia in illo statu gratia et alia dona supematuralia non conferebantur protoparentibus intuitu meritorum Christi sed per gratuitam Dei donationem.

Arg. Statim post lapsum ante Abel aliorumque filiorum nativitatem facta est Adamo promissio de reparatione per Christum Redemptorem in medio temporum efficienda, revelata sunt ei mysteria in Deo abscondita, et exinde collata sunt hominibus gratia, virtutes ac dona supematuralia intuitu meritorum Christi. Ergo Adam et Eva, statim post lapsum in participationem fidei bonorumque supernaturalium admissi, in societatem religiosam, Christo capite, coadunati sunt, ac propterea Ecclesiam constituere jam inde coeperunt.

295. Thesis III. Ecclesia «Mosaica», quae fundata est pro solis judaeis, expressior fuit atque perfectior quam «patriarchalis», quia per revelationem Moysi et Prophetis successive factam a) «dogmata» et «mysteria» sunt clarius manifestata, b) «cultus Dei» universalior evasit, c) «sacramenta» magis determinata sunt, atque d) «sacerdotes» et «prophetae» pro triplici munere «magisterii, ministerii» ac «regiminis» exercendo constituti sunt 6.

Prob. 1.a pars. Dogmata et mysteria sunt clarius manifestata.

Arg. Quemadmodum dictum est superius 7, clarius Moysi et Prophetis manifestata sunt quam Patriarchis *a)* exsistentia et unitas ac

1 Cfr. Maulerus, ***Monarchia ecclesiastica,*** t. i, p. 226; Philips, ***Jus eccl.,*** t. eccl., t. 2, p. 347 et alii.

2 ***Gen.,*** 18, 19.

3 ***Gen.,*** 20, 7.

1 ***De civit. Dei,*** lib. 17, c. 1; ML 41, 523.

6 Vide Franzolin, ***De Ecclesia Christi,*** th. 3; et ***De Traditione,*** th. 20.

° Hinc vides quomodo elementa Ecclesiae necessaria, licet imperfectius quam in Novo Testamento, tunc designata fuerint.

7 N. 189 M|.

praecipua Dei attributa [1] *b)* Trinitas personarum divinarum [2]; *c)* exsistentia et ministerium angelorum; *d)* oeconomia futura Novi Testamenti per Jesum Christum, legatum divinum, exsequenda; *e)* justificatio peccatoris, gratiae et virtutum supernaturalium exsistentia, *f)* omnia denique quae ad integram fidei professionem necessaria videbantur pro illo statu praeparationis ad Novum Testamentum. His et aliis de Christo ejusque Ecclesia vaticiniis non parum auctum est objectum fidei. Ergo Ecclesia mosaica fuit perfectior quam patriarchalis. Ad rem merito dicitur quod Ecclesiae Israel *credita sunt eloquia Dei* [3].

2.a pars. Cultus Dei universalior evasit.

Arg. Pro cultu Deo exhibendo instituta sunt in lege mosaica sacrificia, expiationes, unctiones, caeremoniae et festa solemnia, in quibus sacerdotum saepe ad hoc deputatorum ministerio cultus Dei publicus celebrabatur; ad hunc finem institutum est sacerdotium Aaronicum, constans summo sacerdote, sacerdotibus secundi ordinis et levitis. Hi omnes una cum populo israelitico sacrificia et victimas Deo offerebant, orationes ac preces fundebant, solemnitates celebrabant, et templi atque tabernaculi custodiam tenentes cultus divini unitatem servabant. Hinc cultus divinus universalior in aetate mosaica et Prophetarum quam in statu patriarchali evasit.

3.a pars. Sacramenta magis determinata sunt.

Nota. Non disputamus impraesentiarum de ratione ac natura sacramentorum quae dicuntur in Veteri Testamento exstitisse (hoc enim dilucidandum veniet in tractatu de sacramentis), sed solummodo suscipimus hic probandum in lege mosaica aliqua fuisse signa sensibilia, clariora et magis determinata quam in aetate patriarchali, quibus gratia sanctificans quodammodo significaretur, et ad quorum praesentiam Deus conferret sanctitatem vi meritorum Christi venturi [4].

Arg. Difficile dictu est quaenam fuerint in lege *naturae* ante datam circumcisionem determinata signa, quibus praefigurarentur merita Christi. Probabilius non in specie sed in genere erant instituta [5], ut per applicationem fidei unusquisque Ecclesiae visibili se addiceret [6]; et quamvis postea Abraham acceperit circumcisionem, quae erat *signaculum justitiae fidei* juxta Apostolum [7], hoc tantummodo inserviebat pro masculis populi israelitici. At, ubi venit lex mosaica, praeter circumcisionem, quae retenta fuit pro masculis, alia sunt instituta determinate sacramenta, quae numero fuerunt plura quam in ipso novo Testamento, ut diserte tenet S. *Augustinus* [8].

1 ***Gen.,*** i, 1; ***Ex.,*** 3, 14; ***Deut.,*** 6, 4.
2 ***Gen.,*** i, 26; ***Ps.*** 66, 6.
3 ***Rom.,*** 3, 2.
4 Decret, pro instructione Armenorum, an. 1439; Denz-Bannw., 695.
6 Suarez, ***De Sacrament.,*** disp. 4, sect. 2, 3; Lugo, ***De Sacrament.,*** disp. 3, sect. 2, n. 28 sqq.; Salmanticenses, ***De Sacram, in Communi,*** q. 60, a. 5, Comment., n. 7.
8 Cfr. Franzelin, ***De Sacram.,*** th. 3.
7 ***Rom.,*** 4, ii.
8 ***Contr. Faustum,*** lib. 19, c. 13; ML 42, 355.

4.a pars. Sacerdotes et prophetae pro triplici munere magisterii, ministerii ac regiminis obeundo constituti sunt.

Arg. a) *Magisterii* quidem munus seu jus docendi populum et legem interpretandi accepere sacerdotes in veteri lege. *Et scietis,* ait Malachias, *quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum... labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* [1]. Promisit Dominus Aaron et filiis ejus *scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum,* commisitque munus docendi filios Israel omnia legitima sua (Dei) [2].

b) Pro *ministerio* quoque obeundo ordo sacerdotalis sub praefata triplici hierarchia institutus est a Deo in Aaron et posteris ejus. Hinc sacerdotibus ubique commissae sunt rerum divinarum administratio et tabernaculi templique custodia.

c) Munus denique *regiminis* super universum populum mandato Domini exercuere sacerdotes. *Si difficile,* ait, *et ambiguum apud te judicium esse perspexeris... ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad sacerdotes levitici generis et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus... Qui autem superbieril nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel* [3].

296. Scholion. Heic opportune quaerunt theologi, an praefatum Veteris Testamenti sacerdotale magisterium fuerit infallibile in conservanda revelatione et exponendis fidei doctrinis.

a) *Nonnulli* dicunt veteri sacerdotio absolute commissum fuisse infallibile magisterium pro revelatione custodienda et explicandis fidei morumque doctrinis.

b) *Alii* docent magisterium infallibile sacerdotio Aaronico concessum durasse usque ad adventum Christi eoque praesente cessasse. Consequenter putant Pontifices et sacerdotes condemnantes Christum errasse *in doctrina dogmatica.* Ita S. *Bellarminus* [4], quem alii sequuntur. Sed huic sententiae jure reponit *Franzelin:* «Hoc igitur tam essentiale discrimen in magisterio ordinario Veteris Testamenti, quod ante Christum infallibile, praesente jam Christo fuerit fallibile, demonstrandum esset disertis testimoniis Scripturae aut Christianae traditionis» [5]. Haec porro testimonia desiderantur in casu.

c) Putat *Franzelin* ecclesiam mosaicam fuisse infallibilem, in quantum *magisterio ordinario* sacerdotum conjungebatur *magisterium extraordinarium* Prophetarum in custodiendo deposito revelationis. Quod munus extraordinarium ad Prophetas quandoque in lege mosaica spe-

1 ***Mal.,*** 2, 4-7.
2 ***Levit., to,*** 10.
3 ***Deui.,*** 17, 8 sqq.
4 ***De Conc.il.,*** lib. 2, c. 8; «Alii dicunt».
5 ***De Eccl. Christi,*** th. 3; «Imperfectio ista».

ctasse inde constat, quod saepe vocati sunt *pastores* 1, *angeli,* id est, *nuntii Domini* 2, *custodes* et praecones, qui *tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt... donec* (Dominus) *ponat Jerusalem laudem in terra* 3.

His duobus elementis, sacerdotibus nimirum et prophetis, coadunatis commissa fuerunt a Deo infallibilis custodia et infallibile magisterium super universum populum, juxta illud *Lucae: Lex et prophetae usque ad Joannem.* Sed quia in *Joanne* Christus aderat praesens, et *finis legis erat Christus, ex eo* (ex Joanne) *regnum Dei evangelizatur* 4. Unde *Moyses* et *Elias* voluerunt testes esse in mysterio transfigurationis 5, ut prophetae semper legi conjungerentur. Hinc non semel exquirebatur responsum a Domino mediantibus Prophetis, qui arcana Dei et futuros eventus soliti erant manifestare; et ubi Prophetae haberi non poterant, et non sufficiebat magisterium sacerdotale ordinarium, ipsis summis sacerdotibus, qui in hoc casu induebantur *rationale, in quo erat doctrina et veritas* 6, concessum est *magisterium propheticum* exercere, ut videre est in Eleazar 7, Achia 8, Abiathar 9, etc. Hoc sensu Caiphas prophetasse dicitur, non quidem a semetipso ut magisterio ordinario, sed secundum spiritum propheticum a Deo acceptum, ut diserte innuit Scriptura 10.

His bene perpensis, arbitramur sacerdotium Aaronicum, quatenus conjungebatur missioni extraordinariae Prophetarum, non caruisse magisterio infallibili, cui commissae sunt custodia depositi revelationis et interpretatio doctrinae fidei et morum.

ARTICULUS III

UTRUM CHRISTUS IMMEDIATE ECCLESIAM NOVI TESTAMENTI INSTITUERIT

297. Status quaestionis. 1) Ecclesia Veteris Testamenti quo proximior accedebat ad Christum, eo perfectior erat et expressior in typorum expositione et manifestatione veritatis; sed quia lex paedagogus erat in Christo11 et umbra futurorum bonorum 12, Ecclesia imperfecta mansit quousque compleretur per Christum, et, legis translatione facta in Evangelium, Deo offerretur oblatio munda; *nihil enim ad perfectum adduxit lex13.* Ideo, praesente jam Christo, necesse fuit, ut sacerdotium et sacrificium imperfectum Veteris Testamenti, quae erant veluti *introductio melioris spei*u, in melius transferrentur. *Si ergo consummatio per*

1 ***Jer.,*** 17, 16; ***Zach.,*** 11, 4.
2 ***Agg.,*** i, 13; ***Mal.,*** 3, i.
3 ***Is.,*** 62, 6-7.
4 ***Luc.,*** 16, 16.
5 ***Matth.,*** 17, 3-5.
6 ***Levit.,*** 8, 8.
7 ***Num.,*** 27, 21.
8 ***I Reg.,*** 14, 18.
9 ***I Reg.,*** 23, 9.
10 ***Joan.,*** 11, 51.—Cfr. Franzelin, ***De Ecclesia Christi,*** th. 3.
11 ***Gal.,*** 3, 24.
12 ***Hehr.,*** 10, I.
13 ***Hebr.,*** 7, 19.
14 ***Hebr.,*** 7, 19.

sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat[1].

2) Porro, licet ea quae ad fidem, spem, caritatem et ad finem vitae aeternae pertinebant, nunquam mutata fuerint, multiplex tamen conspicitur Ecclesiae Novi Testamenti ab ea, quae fuit in Veteri Testamento, differentia, a) *Ipsa namque dogmata* nunc amphora sunt et clariora, et gratia atque virtutes pleniores sine mensura[2]. b) *Cultus divinus* purior evasit, cum suppressis in Christianismo legibus judicialibus et caeremonialibus, quas *praecepta vitae significandae* Augustinus[3] appellavit, *praecepta vitae agendae* data sunt, et non jam purificationum, expiationum et unctionum multiplici varietate, sed orationibus mundo corde fussis et solemniori cultus exterioris manifestatione in Deum ferimur, c) *Sacrificium* praestantius nunc est, quia loco sanguinis hircorum et vitulorum aliorumque animalium offertur Deo quotidie oblatio munda, immaculatum scilicet corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, qui se ipsum semel offerens *consummavit in sempiternum sanctijicatos.* d) *Sacramenta* sunt hodie efficaciora. Sacramenta etenim antiquae legis utpote *infirma et egena elementa*[4] non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam esse figurabant; nostra vero «et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt»[5]. e) *Magisterium infallibile* clarius et expressius Ecclesiae Novi Testamenti quam antiquo foederi promissum collatumque est.

3) Quare, licet Ecclesia Christi *quoad rationem genericam,* seu quatenus coetum significat fidelium convocatorum, cum Synagoga conveniat[6], attentis tamen elementis, quibus constat, specifice ab ea differt[7]. Hinc manifestum est veterem Synagogam, quae erat figura et umbra futurorum, adveniente Christo, cessasse, et novam Ecclesiam, in quam Vetus Testamentum transire oportebat, comparuisse.

4) Haec igitur Ecclesia per antiquam significata, in qua vetus oeconomia complenda erat et consummanda, auctorem seu fundatorem habere decuit Jesum Christum Dominum nostrum, qui restaurare venit universa. Investigari tamen oportet, an Christus Deus per se ipsum, nullo interposito medio, Ecclesiam hodiernam instituerit seu fundaverit. Non agitur praecise de institutione vaga et confusa, quatenus doctrinam tradidit sub qua postea alii essent coadunaturi, sed de fundatione verae societatis, quae subditis constaret et capite, vinculo fidei et sacramentorum unitis.

1 ***Hebr.,*** 7, 11-12.

2 «Gratia enim Dei, qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est, Christo nascente, non coepta». S. Leo, ***serm.*** 23 ***(De Nat.),*** c. 4; ML 54, 202.

3 ***Contr. Faustum,*** lib. 10, c. 2; ML 42, 243.

4 ***Gal.,*** 4, 9.—Cfr. S. Th., ***I-II,*** q. 103, a. 2; et ***III p.,*** q. 62, a. 6; S. Albertus M., ***IV Sent.,*** dist. 1, a. 15.

5 Concil. Florentinum, ***Decr. pro armenis;*** Denz-Bannw., 695.

6 S. AuRus'inus, ***in Ps.*** 81; ML 37, 1047, affirmat ***Synagogam*** vi nominis significare ***congregationem,*** quae etiam brutis animantibus est communis; ***Ecclesiam*** vero appellat ***convocationem,*** quae de solis dicitur creaturis rationalibus.

7 Cfr Cmanovn, ***Theol. fund.,*** n. 175, et Tanquoroy, ***Dc Ecclesia,*** n. 626.

298. Errores, a) Jam olim *Celsus* docuerat Christum Dominum nullam instituisse Ecclesiam proprie dictam.

b) *Waldenses* saeculo xn, et *sociniani* saeculo xvi. Ecclesiam nihil aliud esse dixerunt, quam coetum eorum, qui fide et sanctitate Deo conjunguntur, licet nullo sociali vinculo inter se colligentur. Contendunt nullam societatem a Christo Domino fuisse institutam. Huic doctrinae facile subscribunt plures *protestantes,* qui dicunt Christum non *societatem* sed solam fidelium (per fidem conjunctorum) *multitudinem* congregasse, a fidelibus dein ecclesias seu communiones (Gemeinde) efformatas esse.

c) Qui contendunt religionem Christianam esse mutuatam ab una ex antiquis religionibus, negant Christum fuisse auctorem Ecclesiae. Hinc judaeus *Salvador* docuit Christum in condenda sua Ecclesia nihil Synagogae addidisse.

d) Plures denique hodierni *mythici rationalistae* aliter rem explicant· Volunt Christum Dominum, dum in terris ageret, nullam instituisse Ecclesiam, sed solummodo doctrinas praedicasse. Has cum discipuli. Synagogae plerique sectatores, amplexarentur, novam societatem, hodiernam scilicet Ecclesiam, post ejus mortem instituerunt. Ita *Renan* [1], *Harnack* [2] et alii bene multi.

299. Thesis. Christus Dominus Ecclesiam per se ipsum immediate instituit.

Arg. I. Christus Dominus ait Petro: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* [3]. Porro nullatenus dubitandum est, quin Christus promissa adamussim impleverit. Hinc futuram Ecclesiam semper expressit in vita sub nominibus societatem indicantibus. Vocavit eam *regnum caelorum, regnum Dei, domum Dei, ovile, grex,* etc., quae, si hominibus applicentur, societatem semper innuunt [4].

Arg. II. Concilium Vaticanum satis expresse tradidit hanc doctrinam dicens: *Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur* [5].

Arg. III. Christus Dominus per se ipsum immediate ea omnia contulit Ecclesiae, quae ad formam socialem necessaria erant. Ergo Christus per se ipsum immediate instituit Ecclesiam.

Prob. Ant. Ad formam socialem Ecclesiae, ut ex ejus definitione satis constat, requiruntur et sufficiunt 1) plurium in unum convocatio, 2) eorum inter se per unitatem fidei et sacramentorum participationem conjunctio, 3) omnium membrorum in unum finem tendentia seu conspiratio, et 4) legitimum pastorum regimen seu gubernatio. Sed haec omnia per se ipsum praestitit Christus Ecclesiae. Ergo.

1 ***Vie de Jésus,*** ch. i8; «Un germe».
2 ***L'esscnza del Cristianesimo,*** conf. io.
3 ***Matth.,*** i6, i8 sqq.
4 Cfr. Franzelin, ***De Ecclesia Christi,*** th. 7.
5 ***Sess.*** 4 ***Prooem.;*** Denz-Bannw., 1821.

Prob. Minor per partes.

1) *Plurium in unum convocatio.* Primo etenim vocavit duodecim discipulos quos apostolos nominavit [1], deinde alios elegit discipulos, qui primo occulte deinde palam ipsum sequuti atque confessi sunt; ac tandem omnes gentes ad hanc societatem satis convocavit, dum discipulis diserte ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [2]. Unde, qui post Ascensionem Domini baptismum suscipiebant, Ecclesiae aggregabantur. *Qui ergo receperunt sermonem ejus* (Petri), inquit S. *Lucas* [3], *baptizati sunt; et appositae sunt* (id est, *aggregatae,* ut bene notat *Franzelin* [4]) *in die illa animae circiter tria millia.* Et iterum: *multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* Ac rursus: *Caeterorum autem nemo audebat se conjungere illis;... magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum* [5]. Haec omnia et alia, quae longum foret referre, vere innuunt omnes gentes fuisse a Christo in societatem Ecclesiae convocatas et plures reapse coadunatas.

2) *Eorum inter se per unitatem fidei et sacramentorum participationem conjunctio.*

Christus a) unitatem fidei et sua praedicatione omnibus injunxit et apostolis ubique praedicandam commisit. *Docentes eos,* inquit, *servare omnia quaecumque mandavi vobis* [6]. Et iterum: *euntes,* ait, *in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* [7]. Unde apostoli, sui magistri mandata exsequi volentes, unitatem fidei docuerunt; *Unus Dominus,* ait *S. Paulus, una fides, unum baptisma* [8]; et anathema dixit eis, qui praedicaverint praeterquam quod ipse evangelizaverat; b) instituit Dominus septem sacramenta, quorum ope fit homo Christianus, Ecclesiae Christi addicitur, in eaque roboratur.

3) *Omnium membrorum in unum finem conspiratio.*

Servator noster Christus, Ecclesiae suae finem praestitit supernaturalem, in quem omnes fideles tendere oportet mediis ad hoc proportionatis. Finis ita praestitutus est, *proximus* quidem, *hominum in hac vita sanctificatio,* sicut dicetur inferius, *ultimus, aeternae beatitudinis adeptio.*

4) *Legitimum pastorum regimen.*

Non solum doctrinam tradidit Christus plane caelestem, et instituit sacramenta ad salutem hominum necessaria, verum etiam Ecclesiam sub legitimae auctoritatis regimine constituit, ut *societas fidelium* servaretur incolumis, finemque adipisceretur sibi praestitutum. Hinc Ecclesiam pastoribus et ovibus constare voluit. *Et ipse dedit,* juxta Apostolum, *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evange-*

[1] ***Matth.,*** 10. i sqq.; ***Marc.,*** 3, 14; ***Luc.,*** 6, 13.
[2] ***Matth.,*** 28, 19 sq.
[3] ***Act.,*** 2, 41.
[4] ***De Eccl. Chr.,*** th. 14.
[5] ***Act.,*** 5. 13.
[6] ***Matth.,*** 28, 20.
[7] ***Marc.,*** 16, 15-16.
[8] ***Ephes.,*** 4, 5.

listas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi [1]. Unde apostoli missi sunt ad docendum universum mundum: *Docete omnes gentes* [2]; *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [3]. Petro vero specialiter contulit supremam potestatem et infallibile magisterium super omnem Ecclesiam, dicens: *Pasce agnos meos... pasce oves meas* [4].

Arg. IV. Hanc denique veritatem ostendunt a) innumera Patrum et Conciliorum testimonia, b) archaeologiae sacrae documenta, et c) haereticorum, quotquot ab Ecclesiae unitate defecerunt, agendi ratio.

300. Dices, i) Salvator noster et apostoli ritus mosaicos accurate servaverunt. 2) A Synagoga non recesserunt quousque Pauli de Evangelio gentibus praedicando praevaluit opinio. Non ergo tempore Christi sed post Pauli conversionem formam socialem a Synagoga distinctam adepta est Ecclesia.

Resp. 1.° Amplior harum exceptionum solutio dabitur inferius [5] dum de tribus stadiis Ecclesiae nascentis agendum erit, ibique manifestum fiet qua prudentia se gesserint apostoli inter complicatissimas, quae ipsis obvenerunt, difficultatum congeries.

2.° 1) Christus Dominus religiose servavit ritus mosaicos, non quod illis adstringeretur, sed ratione prudentiae et caritatis, ne scandalo esset judaeis. Ritus namque mosaici nonnisi post promulgatum Evangelium erant abolendi.—Apostoli quoque, quamquam scirent mosaicas caeremonias ex morte Christi jam mortuas esse, quosdam ritus mortuos non mortiferos, servavere, ne judaeos, qui mordicus illis adhaerebant, offenderent. Sed adveniente opportuno tempore docuerunt illos minime obligare [6]. 2) Certum omnino est Christum extra Synagogam discipulos coadunasse et vitam cum ipsis egisse, adeo ut discipulis deinceps ac fidelibus congregatis caeterorum nemo auderet se conjungere [7]. Hinc apostoli et discipuli, qui erant Hierosolymis congregati, noluerunt Paulum recipere, *non credentes quod esset discipulus,* donec Barnabas introduxit eum [8].—Nunquam Petrus et alii discipuli, haesitaverunt de annuntiando gentibus Evangelio: hoc enim didicerant a Domino, qui praecepit eis, ut docerent *omnes gentes,* et praedicarent Evangelium *omni creaturae,* sed dubitabant, num esset tempus opportunum, ut, Judaeam relinquentes, ethnicorum conversioni operam darent. De hoc inter illos orta est controversia. Visis autem prodigiis, quae a S. Luca narrantur [9], gentium conversioni sese dederunt [10].

ARTICULUS IV

QUANDO CHRISTUS ECCLESIAM SUAM INSTITUERIT

301. Status quaestionis. Pro ampliori intelligentia eorum, quae in Novo Testamento narrantur, operae pretium est accurate hic investi-

1 ***Ephes.,*** 4, ii sqq.
2 ***Matth.,*** 28, 19.
3 ***Joan.,*** 20, 21.
4 ***Joan.,*** 21, 15-17.
5 Art. seq.
6 ***Act.,*** 14, 10 sqq.
7 ***Act.,*** 5, 13.
8 ***Act.,*** 9, 26-28.
8 ***Act.,*** 10, I sqq.
10 Cfr. Murillo, ***La Iglesia Romana,*** t. I, secc. 2, c. 2, § 3.

gare, quando Christus Ecclesiam in terris instituerit. Sunt enim in Scripturis loca ambigua, quae nisi recte explicentur, errorem ingerere facile possunt.

302. Thesis. Christus 1) post inceptam praedicationem annuntiavit fundationem novae Ecclesiae seu novam religionis oeconomiam; dein 2) ante mortem proxime praeparavit et inchoavit ejus institutionem, ac demum 3) a mortuis redivivus perfecte eam instituit atque complevit.

1) Post inceptam praedicationem annuntiavit fundationem novae Ecclesiae \

Arg. Joannes Baptista, Praecursor Christi, praedicabat juxta Evangelistas per totam regionem Jordanis: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum* [1]; et in vinculis detentus ajebat: *Illum* (Christum) *oportet crescere, me autem minui* [3]. Unde de Jesu dicitur: *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam, et... exinde coepit... praedicare et dicere: poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum* [4]. Exinde continue praenuntiabat propinquitatem *regni Dei* [6], *regni caelorum* [7], et praedicabat evangelium *regni Dei* [5].

Porro in oeconomia Novi Testamenti nomine *regni caelorum* et *regni Dei* quandoque *Ecclesia triumphans,* non raro *Ecclesia militans* intelligitur [8]. «Nomen regni, ait S. *Thomas,* a regendo est sumptum. Regere autem providentiae actus est. Unde secundum hoc aliquis regnum habere dicitur, quod alios sub sua providentia habet, et ideo secundum hoc homines in regno Dei esse dicuntur, quod ejus providentiae perfecte subduntur. Providentiae autem est ordinare in finem: In finem autem ordinantur et ea, quae distant a fine, secundum quod perducuntur ad finem, et ea, quae assecuta sunt finem, secundum quod in fine

1 Plura fuisse in Veteri Testamento vaticinia, quibus institutio Ecclesiae praenuntiabatur, admittunt communiter theologi et S. Scripturae commentatores, sed ea nunc exponere non vacat. Vide, si lubet, Franzelin, qui ***De Ecclesia Christi,*** th. 6, de eis profunde, ut de more, disserit.

2 ***Matth.,*** 3, 2.

3 ***Joan.,*** 3, 30. Blasphemat Renan, cum ***(Vie de Jésus,*** ch. 6, «Quoique»), adserit notam fuisse Christo superioritatem Joannis Baptistae, et manifeste fallitur, cum ***ibid.,*** c. 12, dicit Joannem Baptistam non agnovisse in Jesu legatum divinum, qui exsequi venit promissa Dei.

4 ***Matth.,*** 4, 12-17.

5 ***Luc.,*** 21, 31.

6 ***Matth.,*** 10, 7.

7 ***Matth.,*** 4, 23.

8 Nullum non movent lapidem hodierni rationalistae, ut ostendant nomine ***regni caelorum*** aut ***regni Dei*** nunquam Ecclesiam in praedicatione Christi significari. Sed, cum ipsi hujus nominis veram significationem tradere tentant, in mille abeunt sententias. Harnack ***(Das IVesen des Christentums,*** conf. 3-4); putat hoc nomine regnum pure internum animae intelligi; Renan, ***Vie de Jésus,*** ch. 17, «L'idée fondamentale», quandoque intelligendum ait regnum pauperum, interdum exsecutionem visionis Danielis et Henoch super promissionibus messianicis, et non raro regnum Dei in anima; A. Loisy ***(L'Évangile et L'Église,*** p. 1 sqq.), verba Christi exponit de regno, ut ajunt, ***eschatologico,*** quod futurum est post Christi gloriosum adventum in nubibus caeli. Hac super re legendum est opus Pominici Palmieri ***(Osservasioni sulla recrute of>era •L'Évangile et L'Église·).***

conservantur. Et cum regula providentiae sit finis, illa perfecte providentiae subsunt, quae jam in ipso fine collocantur; et ideo in eis nihil potest esse ab ordine providentiae a ienum. In aliis autem, quae a fine distant, secundum hoc magis vel minus divinae providentiae subsunt, secundum quod magis vel minus a fine elongantur; propinquissimi sunt fini, qui sunt in via ad finem. Via autem perveniendi ad finem est fides per dilectionem operans. Unde et *regnum Dei* quasi antonomastice dupliciter dicitur. Quandoque congregatio eorum, qui per fidem ambulant, et sic *Ecclesia militans* regnum Dei dicitur; quandoque autem illorum collegium, qui jam in fine stabiliti sunt, et sic ipsa *Ecclesia triumphans* regnum Dei dicitur, et hoc modo esse in regno Dei idem est ac esse in beatitudine»

Enimvero Christum Jesum in praedicatione sua nomine *regni caelorum* et *regni Dei* Ecclesiam militantem, quam ipse erat conditurus et cujus adventum annuntiavit, saepe intellexisse evidenter constat ex plurium locorum contextu. Nam apud *Lucam* dixit: *Lex et Prophetae usque ad Joannem, ex eo regnum Dei* (id est Ecclesia Dei) *evangelizatur* 1. Et rursus, ajebat ad pharisaeos: *A diebus Joannis Baptistae usque nunc regnum caelorum vim patitur, et violenti r.apiunt illud* 3.—*A diebus Joannis Baptistae,* id est, a prima Christi praedicatione, non antea, quia Ecclesia militans ante praedicationem Christi nondum fuerat annuntiata: *vim patitur:* quod proculdubio ad Ecclesiam militantem, non ad triumphantem refertur. Unde judaeis Evangelium repudiantibus ajebat Christus 4.* *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* 0.

Hoc regnum caelorum simile dicebat Christus a) *seminanti semen,* quod est *verbum regni* °, quod si secus viam ceciderit, rapit inimicus; si super petrosa, scandalizatur; si inter spinas, suffocatur; si in terram bonam fructum affert centesimum, sexagesimum vel trigesimum; b) *seminanti semen bonum in agro* 7, ubi agente inimico crevit triticus una cum zizania, et Dominus tempore messis collegit et adligavit zizania in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregavit in horreum suum. Sic etiam in regno Dei, quod est Ecclesia, sunt boni et mali tempore messis, id est, in morte separandi. Hunc parabolae sensum accepimus ab ipso Domino, qui ait: *Qui seminat bonum semen est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.*

1 ***In IV Sent.,*** dist. 49, q. 1, a. 2, q. 5, sol. 5.

2 ***Lue,,*** 16, 16.

3 ***Matth.,*** n, 12.

0 ***Matth.,*** 21, 43.

6 S. Augustinus, ***in Joan.,*** tr. 115, n. 2 (ML 35, 1939), illa verba ***regnum meum non est de hoc mundo... nunc autem regnum meum non est hinc,*** commentatur dicens: «Non ait regnum meum non est ***in hoc mundo,*** sed non est ***de hoc mundo...*** non ait: nunc autem regnum meum non est ***hic,*** sed non est ***hinc.*** Hic est enim regnum ejus usque in finem saeculi». Huic interpretationi consonat quod de se ipso dicebat Christus, ***Joan.,*** 10; ***Ego non sum de mundo.***

e ***Matth.,*** 13, 3-23.

7 ***Matth.,*** 13, 24-30.

Messis vero consummatio saeculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus (utique Ecclesia) *omnia scandala et eos qui jaciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Pairis eorum* 1. c) *Grano sinapis,* quod cum sit minimum ex seminibus, majus fit omnibus oleribus 2. Hoc applicari nequit regno caelesti in quo augmentum non habet locum; d) *fermento,* quod abscondit mulier in farina et fermentatum est 3; e) *negotiatori* quaerenti bonas margaritas et ex illis unam pretiosam ementi; f) *sagenae missae in mare,* et cum completur ex omni genere piscium, eliguntur boni in vasa et mali foras mittuntur; g) *ovili* denique in quo oves diversarum gentium sub uno pastore congregantur 4.

Haec omnia evidenter demonstrant Christum Dominum in sua praedicatione annuntiasse fundationem novae Ecclesiae.

303. 2) Ante mortem proxime praeparavit atque inchoavit institutionem Ecclesiae.

Hanc ipsam Ecclesiae institutionem fuisse a Christo in terris proxime praeparatam et inchoatam innumera demonstrant ipsius Christi facta et testimonia.

a) Se ipsum ostendit legatum divinum et Messiam a Deo missum, dicens: *Ego sum via, et veritas et vita* 56 Doctrinas fundamentales suae religionis tradidit, cum unius fidei semina diffudit.

b) Baptisma instituit ac ministravit. *Post haec,* ait Joannes, *venit Jesus et discipuli ejus in terram judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat* 0. Et rursus: *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt pharisaei, quod Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes..., reliquit Judaeam, et abiit iterum in Galilaeam* 7.

c) *Prima Ecclesiae membra elegit.* Ab initio suae praedicationis post reditum ex deserto elegerat Christus discipulos. Nam stetit in loco campestri *turba discipulorum ejus* 8. Unde dicitur: *Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit* 0. His constitutum est collegium apostolicum, quod, multis praerogativis decoratum, comitatum est Christum in praedicatione Evangelii. Hos *duodecim* erudivit Dominus singulari benevolentia ac sollicitudine, quippe qui dixit eis: *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem* (turbis) *non*

1 ***Matth.,*** 13, 37-43.
2 ***Matth.,*** 13, 31-32.
3 ***Matth.,*** 13, 33.
1 ***Joan.,*** 10, 16; Cfr. Franzelin, ***De Eccl. Chr.,*** th. 7.
s ***Joan.,*** 14, 6.
6 ***Joan.,*** 3, 22.
7 ***Joan.,*** 4, i.
8 ***Luc.,*** 6, 17.
0 ***Luc.,*** 6, 13. Notant hic commentatores primam discipulorum vocationem factam fuisse ante ***primum Pascha (Joan.,*** 1, 37 sqq.); electionem apostolorum eorumque missionem locum habuisse post ***secundum Pascha (Luc.,*** 6, 13); ac denique designationem et missionem septuaginta duorum factam fuisse ***post tertium Pascha.***

est datum 1. Et iterum: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* 2. Largitus est eis virtutem et potestatem super omnia daemonia 3 aliaque privilegia et munera extraordinaria non pauca.

Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus 4.

Eo jam tempore dignoscebantur a) *turba discipulorum* 5, qui Christum sequebantur; b) *septuaginta duo,* qui designati fuere ac missi bini ante faciem suam 6; ac c) *duodecim discipuli,* qui specialiter electi 7 comitabantur Jesum: *Ipse iter faciebat per civitates et castella praedicans et evangelizans regnum Dei et duodecim cum illo* 8.

d) *Primatum quoque Petri* fuisse a Christo Domino in vita praeparatum merito colligunt theologi ex S. Scripturae testimoniis. In prima Simonis vocatione *intuitus eum Jesus dixit: tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* 9. Idcirco Petrus in Evangelio primus in ordine semper nominatur, et speciali praerogativa decoratus est a Jesu dicente: *Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens* 10 11.

Hinc licet nemini voluerit Christus in vita supremam potestatem et primatum actu secundo conferre, proxime tamen Ecclesiam praeparavit atque inchoavit, quia, ut recte argumentatur *Billot,* «jam erant (eo tempore) instituta sacrificium N. L. et duo praecipua sacramenta, quae sunt baptismus et eucharistia; jam initiata societas regni caelorum in pusillo discipulorum grege; jam designata hominum universalitas, e qua per totum orbem erat evocanda; jam denique praeparata ejus hierarchia per promissiones factas duodecim apostolis et specialiter Petro» 11. Desiderabatur solummodo ultima constitutio, quam perfecit Dominus post suam e mortuis resurrectionem, ut constabit ex modo dicendis.

304. 3) A mortuis redivivus perfecte eam constituit.

a) - Christus post resurrectionem suam discipulis apparens omnia Ecclesiae elementa designavit. Nam, ut ait Lactantius, «diebus quadraginta cum his commoratus aperuit corda eorum... ordinavitque eos et instruxit ad praedicationem dogmatis ac doctrinae suae, disponens Testamenti novi solemnem disciplinam» 12. Hinc dicitur ipse fuisse *per dies quadraginta apparens eis* (apostolis) *et loquens de regno Dei* 13.

Arcana eis caelestia manifestavit et sacramenta confirmata reliquit.

1 ***Matth.,*** 13, 11.
2 ***Joan.,*** 15, 15.
3 ***Matth.,*** 10, 1.
4 ***Luc.,*** 10, 1.
5 ***Luc.,*** 6, 17.
6 ***Luc.,*** 10, 1.
7 ***Luc.,*** 6, 12 sqq.
8 ***Luc.,*** 8, 1.
9 ***Joan.,*** 1, 42.
10 ***Luc.,*** 5, 10.
11 ***De Eccl. Chr.,*** q. 1, th. 1. «Ergo, quando».
12 ***De mort, persecut.,*** lib. 1, c. 2; ML 7, 194.
13 ***Act.,*** 1, 3.

juxta illud S. *Leonis:* «Non ergo ii dies..., qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria» x.

b) Tunc etiam apostolis solemnem contulit missionem, ut in mundum Evangelii praedicandi causa pergerent. *Dixit eis iterum pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos* 2. Et in caelum jam jam abiturus ita eos affatus est: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi 3.*

c) *Primatum* denique, quem promiserat Petro collaturum, definitive constituit apud *Joannem* 21, 15-17, ubi trinae responsioni Petri insistens ter dixit ei: *Pasce agnos meos... pasce agnos meos... pasce oves meas.* Eumdem apostolum *principem* ac *caput* visibile nominavit societatis, ordinum et graduum varietate dispositae, et decoravit potestate ac magisterio infallibili super omnem Ecclesiam.

Ecclesia igitur, quae in vita Jesu fuerat adumbrata et proxime praeparata, post Christi gloriosam resurrectionem complementum accepit ac perfecte instituta est.

305. Scholion. Quae de nascentis Ecclesiae evolutione disputant nonnulli, magis ad historiographos et commentatores Scripturarum quam ad theologos spectare videntur. Nihilominus, ut quaedam difficultates, quae institutioni Ecclesiae a rationalistis opponi solent, facilius enodentur, tria veluti *stadia* in praefata Ecclesiae nascentis expansione cum cl. *Billot*l distingui valent.

306. **1.**"m stadium ab Ascensione Domini, vel, si mavis, a die Pentecostes, usque ad praedicationem Evangelii ad gentes5, quae ad annum circiter 41 aerae Christianae contigit, cucurrit. Hoc tempore praedicatum est Evangelium solummodo judaeis, ex quibus innumeri, audito verbo Domini, ad fidem conversi sunt et ad Ecclesiae unitatem coadunati. *Magis autem augebatur,* ait S. *Lucas, credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum e.* Et, *multitudinis credentium erat cor unum et anima una*l. Illi autem, qui in mysteriis fidei sic edocti baptizabantur, segregari debebant a synagoga juxta illud Petri: *Salvamini a generatione ista prava* 8. Haec fidelium a synagoga segregatio causa fuit dirae persecutionis contra Ecclesiam, quam ut vitarent, *omnes* (praedicatores scilicet non fideles °) *dispersi sunt per regiones Judaeae et Samariae praeter apostolos* 10. Petrus autem Pastoris ac Magistri officio fungi volens, illuc proficiscebatur, cunctosque visitabat, juxta illud: *Ecclesia quidem per totam Judaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddae u.*

Serm. 1, de Ascens., c. 2; ML 54, 395.
Joan., 20, 21.
3 ***Matth.,*** 28, 19-20.
De Eccl. Chr., th. 1, § 2.
& ***Act,*** 2, 9.
e ***Act.,*** 5. 14.
Act., 4. 32.
Act., 2, 40.
Cfr. Franzelin, ***Dc Eccl. Chr.,*** th. 14.
10 ***Act.,*** 8, I.
A Ct.. 9, 31-32.

307. 2.·'"« stadium expansionis Ecclesiae *. Admonitus fuit Petrus a Domino, ut nihil haesitans pergeret ad Cornelium Centurionem, qui vicissim, visione Angeli recreatus, nuntios ei miserat, ut in domum suam descendere dignaretur 1. Altera autem die, descendens Petrus cum illis in Caesaream, Cornelium ethnicum cum cognatis et amicis baptizavit. Cum autem fideles hierosolymitani, qui erant ex circumcisione, aegre id tulissent, data a Petro facti ratione, omnes *tacuerunt et glorificaverunt Deum dicentes: Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.* Exinde patuit aditus cunctis gentibus ad vitam. Hinc *loquebantur et ad graecos annuntiantes Dominum Jesum... multusque numerus credentium conversus est ad Dominum... et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli christiani 3.*

Paulo post dixit illis Spiritus Sanctus 4: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod adsumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes imponentesque eis manus 5 6 dimiserunt illos.* Protinus perrexerunt ambo in Cyprum et Asiam minorem insulasque adjacentes, et ubique constituerunt Ecclesias ex gentibus et judaeis indiscriminatim. Mox S. *Paulus* peragravit Macedoniam, Achaiam magnamquc partem Asiae omnibus praedicans verbum Dei °, ita ut mereretur appellari *Apostolus Gentium.* Ideo dicebat ad Romanos: *An judaeorum Deus tantum, nonne et gentium? Immo et gentium: quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem* 7. Et rursum: *Ipse enim* (Christus) *est pax nostra, qui fecit utraque unum... legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem... Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis* (ethnicis) *et pacem iis qui prope* (judaeis). *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem 8 9*

Omnes itaque unanimiter docebant Evangelium non solum judaeis sed etiam gentibus, et iis maxime, praedicandum esse.

Sed cum apostoli ex quadam prudentia eousque circumcisionem aliosque ritus mosaicos judaeis conversis permitterent observare, discussio orta est de legis mosaicae et circumcisionis observantia relate ad fratres antiochenos, quos nonnulli ex judaeis aspernabantur dicentes: *quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari* ". Tunc Paulus et Barnabas ascenderunt Hierosolymam, ubi erat Petrus cum aliis apostolis et presbyteris, et collectum est concilium in quo, facta super hoc magna conquisitione, surgens Petrus dixit: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelii, et credere... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* 10.1 Postea Petrus suprema sua auctoritate et infallibili magisterio solvit quaestionem, et declaravit nullam esse Christianis obligationem legis mosaicae adimplendae. Exinde statuit concilium epistola ad fratres Antiochiae, Syriae et Ciliciae data: *Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris praeter haec necessaria: Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato 11 et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis 12.*

1 *Act.,* io, 15.
2 *Act.,* 10, i sqq.
3 Hoc contingebat circa an. 41 aerae vulgaris.
1 *Ad.,* 13, 2-3.
8 Per hanc probabiliter manuum impositionem Paulus et Barnabas Episcopi consecrati fuere. Cfr. Franzelin, *De Eccl. Chr.,* th. 14, «Haud diu».
6 *Ad.,* 20, i sqq.
7 *Rom.,* 3, 29-30.
8 *Eph., 2,* 14-18.
9 *Ad.,* 15, i.
10 *Ad..* 15, 7.
11 Has exceptiones voluit concilium statuere, non in vim legis mosaicae, quae abrogata est, sed ut legem ecclesiasticam conderet.
12 Hoc concilium creditur celebratum anno circiter 53 aerae vulgaris.

Hic contendunt nonnulli rationalistae effectam fuisse separationem Ecclesiae a synagoga, et consequenter negant Ecclesiam fuisse societatem a Christo institutam. Sed immerito: quoniam ab Ascensione Domini Ecclesia habebat a) membra propria quae congregata fuisse vidimus in coenaculo, a synedrio judaeorum valde distincto, b) corpus integrum doctrinae a Christo traditum, c) ritus et sacramenta judaeis omnino ignota, et d) auctoritatem seu caput visibile, a judaeis repudiatum *.

308. 3.""" stadium nascentis Ecclesiae incipit a concilio Hierosolymis habito, et protenditur ad mortem usque apostolorum. Declaratis jam solemn! Ecclesiae judicio difficultatibus, quae exortae sunt circa Evangelium gentibus praedicandum et ritus mosaicos—circumcisionem praesertim—abrogandos, mirum in modum diffusa est per orbem Ecclesia. Apostoli, Domini praeceptum exsequi volentes, ubique praedicaverunt Evangelium et fundaverunt Ecclesias, non quidem a se invicem separatas, ut protestantes volunt, sed unitate et vinculo fidei ac professionis inter se valde conjunctas. Eamdem namque doctrinam tradebat S. *Paulus ubique in omni Ecclesia* *, et ad vocem ac praedicationem apostolorum *in universo mundo* fructificavit et crevit Evangelium 3. Unde: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum* 4.

Contigit tamen, et hoc est argumentum Aquiles rationalistarum, ut cum venisset Petrus Antiochiam, ubi Paulus et Barnabas erant *docentes et evangelizantes... verbum Domini* 5, reprehensus est a Paulo pro sua agendi ratione. Quod ab ipso Apostolo relatum est his verbis: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo (judaei christiani) cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt caeteri judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum judaeus sis, gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* °. Ex hoc *Baur, Salvador, Renan* et omnes rationalistae deducunt inter Petrum, qui Judaismo favebat, et Paulum, qui universalitatem religionis quaerebat, collisionem seu dissensionem exstitisse, et de Petrinismo ac Paulinismo loquuntur, imo et adserere non dubitant Evangelia *Matthaei* in defensionem Petri, *Lucae* in defensionem Pauli, *Marci* autem ac *Joannis* in conciliationem amborum scripta fuisse. Inde concludunt a) infallibilitatem non fuisse Petro collatam, b) Pauli opinionem praevaluisse, et c) Ecclesiam hodiernam non a Christo institutam sed evolutione quadam fuisse constitutam '.

1 Optime noverant apostoli Christianos a promulgata jam lege evangelica in die Pentecostes ad observantiam rituum mosaicorum minime fuisse adstrictos, sed quandiu pax et tranquillitas inter fideles viguit, prudenter consenserunt, ut religiose servarentur. At exorta semel turbatione veram doctrinam exposuerunt

2 ***I Cor.,*** 4, 17.

3 ***Coloss.,*** i, 6.

4 ***Rom.,*** 10, 18.

5 ***Aci.,*** 15, 35.

6 ***Gal.,*** 2, 11-14.

7 Nonnulli catholici, ut facilius ab hac difficultate sese expedirent, dixerunt Cepham a S. Paulo reprehensum non fuisse S. Petrum, Principem Apostolorum, sed unum ex 72 discipulis qui juxta Eusebium, ***Hist, eccl.,*** lib. 1, c. 12: MG 20, 118, et antiquas Constitutiones Apostolicas ***(Pitra,*** A. 15, 4, 1, 74) ita vocabatur. Sic Kilber, ***Theol. Wirceb.,*** t. 1, disp. 2, c. 3, a. 1, n. 159; et alii.

Probabilitatem hujus opinionis minime negaverim, sed nullatenus opus esse exsistimo a sensu obvio S. Scripturae a SS. Patribus, theologis et commentatoribus communiter admisso, recedere. Cfr. Passaglia, ***De praerogativis B. Petri,*** lib. 1, c. 24; Horgonrbther, ***Hist, ecl.,*** epoca i.*, per. i, c. i, observ. ad n. 28.

Rejicitur etiam hodie opinio S. Hieronymi, qui dixit tum causam reprehensionis tum ipsam reprehensionem ex conniventia quadam Apostolorum excogitatas

Sed falluntur maxime. Nunquam enim fuit inter Petrum et Paulum illa decantata dissensio, ut constat ex elogiis sibi invicem et Ecclesiis amborum tributis C Ad locum autem quod attinet *Gal.* 2 patet S. Petrum ejusdem ac S. Paulum fuisse opinionis. Princeps Apostolorum arbitrabatur licere Christianis cum judaeis et gentilibus conversis indiscriminatim conversari, siquidem *cum gentibus edebat;* sed ab eorum consortio discessit non ratione doctrinae sed specie prudentiae, ne scilicet offenderet eos, qui ex circumcisione erant. Non ergo agebatur de diversitate doctrinae inter ambos apostolos, sed de Petri agendi ratione, qui suo exemplo poterat alios compellere ad credendum legalia adhuc ex necessitate servanda esse. Hoc autem Paulus perniciosum putans et maxime cavere volens in faciem ei restitit. Hinc minime eum accusavit de erronea doctrina, sed allocutus est *si tu... gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* In ipsa, ut vides, reprehensione implicite confessus est conformitatem doctrinae [1][2][3]

ARTICULUS V

QUEM OB FINEM CHRISTUS IN TERRIS ECCLESIAM INSTITUERIT

309. Status quaestionis. 1) Finis dicitur *id cujus gratia aliquid fit.* Est *-primarius* vel *secundarius,* prout principaliter vel secundario aliquid fuerit appetitum. *Finem primarium* Ecclesiae esse aliquid supernatural patet ex ipsa Christi institutione, qui Petro praecepit, ut agnos pasceret et oves, et misit apostolos docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. *Finis secundarius* Ecclesiae sunt bona temporalia non pauca. Ecclesia enim, ut praeclare ait *Leo XIII* in Encyclica *Immortale Dei,* «in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitae quae in terris agitur prosperitatem» instituta.

2) Hic solummodo agitur de fine Ecclesiae *primario,* qui iterum ad praesens quod attinet triplex distinguitur, *proximus, remotus* et *ultimus. Proximus* est qui immediate attingitur; *remotus,* qui mediantibus aliis in se quidem attingitur, sed ad ulteriora ordinatur; *ultimus,* qui ad nullum alium finem ordinatur.

3) Jam vero, sicut vetus oeconomia introductio erat et poedagogus Ecclesiae Christi, ita etiam haec nostra Ecclesia praeparatio est ad Ecclesiam caelestem seu illam *beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* [4]. Unde finis Ecclesiae proprius dignoscendus est ex relatione quam Ecclesia militans habet in praesenti stadio ad Ecclesiam triumphantem, quae futura est in caelo. Quod Christus in terris agens molitus est efficere, quando *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* [4], recte dixeris Ecclesiae finem, ita ut finis missionis Christi in hac mortali vita idem fuerit ac finis Ecclesiae. Finis

fuisse; id est, cum Petrus et Paulus viderent reluctantiam cum gentibus agendi a judaeis Christianis nondum disparuisse, communi pacto convenerunt, ut Petrus judaizaret, et Paulus eum publice reprehenderet, et sic omnes indirecte docerentur.

1 Cfr. ***II Petri,*** 3, 15 sqq., et ***Rom.,*** 15, 20 sqq.

2 Cfr. Comely, ***ad Gal.,*** 2, 11-14.

3 ***Tit., 2,*** 13.

4 ***Hebr.,*** 10, 14.

autem *proximus* missionis Christi fuit sanctificatio hominum juxta illud Pauli: *Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret*[1]; *remotus,* salus aeterna hominum, ut *Paulus* egregie docuit, cum diserte ait Christum *glorificari in sanctis suis et admirabilem fieri in omnibus qui crediderunt*[2]; *ultimus,* gloria Dei juxta illud Apostoli: *Omnia vestra sunt..., vos autem Christi, Christus autem Dei*[2].

4) Ex his facile colligitur qualis a Christo in instituenda Ecclesia fuerit finis sibi praestitutus, continuatio scilicet suae missionis sub triplici munere gloriae Deo tribuendae, hominum salutis aeternae consequendae, et sanctitatis aut gratiae hominibus communicandae.

310. Errores, a) Protestantes, qui dicebant fidem sufficere ad sanctificationem animae consequendam, inutilem prorsus verterunt finem Ecclesiae, ejusque ministerium vocaverunt inane figmentum.

b) Increduli item et hodierni rationalistae ac politici, nonnisi fines politicos considerant in Ecclesia. Hinc dominium temporale quorumdam statuum et suprematiam moralem totius universi, divitias ac ministrorum magnificentiam volunt esse Ecclesiae finem.

311. THESIS. Finis 1) «proximus» ob quem Christus suam instituit Ecclesiam est sanctificatio animarum, 2) «remotus» salus hominum aeterna, et 3) «ultimus» gloria Dei et Christi.

Arg. I. Finis Ecclesiae proprius est continuatio missionis Christi, ita ut Christus per Ecclesiae institutionem voluerit suam in terris missionem perennem efficere juxta illud: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* 4. Quare apostolis contulit facultatem docendi et virtutem sanctificandi homines, et promisit se eis perpetuo adfuturum 5.* Sed finis missionis Christi fuit a) *proximus* quidem sanctificatio hominum, b) *remotus* salus eorum aeterna, et c) *ultimus* gloria Dei et Christi. Ergo.

Prob. Min. per partes.

a) *Finis proximus missionis Christi est sanctificatio hominum.* Christus Dominus nuncupatur *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi* [6], et venisse dicitur *quaerere et salvum facere quod perierat*[7]. Unde ait: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant* 3. Apostolus quoque inquit: *Apparuit... erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie, et juste et pie vivamus in hoc saeculo* 9.

b) *Finis remotus est salus aeterna hominum.* Vitam aeternam promisit Christus suis ovibus, iis scilicet qui Ecclesiam ingressi recte se gesserint: *Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum*[10]. Et

1 *Eph.,* 5, 25.
2 *II Thés.,* i, 10 sqq.
3 *I Cor.,* 3, 22.
4 *Joan.,* 20, 21.
5 *Matth.,* 28, 19-20.
6 *Joan.,* i, 29.
7 *Luc.,* 19, 10.
8 *Joan.,* 10, io.
9 *Tit.,* 2, ii.
10 *Joan.,* 10, 28.

alibi vitam aeternam dicuntur habituri, qui crediderint in nomine *Filii Dei*[1]. Hinc Apostolus ait: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* [2].

c) *Ultimus* denique *est gloria Dei et Agni.* Dicit enim Servator noster: *Pater... ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut laciam* [3]. Et *Paulus* omnia docet a Christo donari *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* [4].

Arg. II. *Ex historia totius Ecclesiae.* Idipsum patet clarissime ex historia Ecclesiae, quae tota a principio suae institutionis ad haec usque tempora ita sanctificationi et salvationi hominum ac glorificationi Dei incubuit, ut nihil aliud sibi visum fuerit efficiendum. Tot persecutiones per decem et novem saecula toleratae, innumerae missiones in terris infidelium institutae, martyrum sanguis abundanter effusus, ministrorum Christi labores perpetui, ac omnia opera vere stupenda, quae Ecclesia Dei in terris effecit, finem habuerunt et habent *proxime* sanctificationem hominum, *remote* eorum salutem aeternam, et *ultimo* gloriam Dei.

QUAESTIO XIV

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS VERAM INSTITUERIT IN ECCLESIA HIERARCHIAM PERENNITER DURATURAM

312. Status quaestionis. 1) *Nominalis definitio.* Hierarchia (ἱερο - sacer et ἀρχή-principatus), idem sonat ac sacer principatus, id est, personarum, quae ad Deum vel ad sacra referuntur, in diversos ordines distributio, adeo ut «sint alii praepositi, alii subditi, alii auctoritative docentes et praecipientes, alii ex obligatione audientes et obedientes» [5].

313. 2) *Definitio realis.* Hierarchia, quae in genere dicitur «multitudo ordinata sub principe» [6], quod ad praesens attinet definiri potest: *Coetus hominum, qui in diversos ordines distributi dignitate et potestate circa sacrum ministerium et gubernationem Ecclesiae prae caeteris fidelibus jure divino eminent.*

Dicitur 1.° .*Coetus hominum, qui in diversos ordines distributi:* «Una hierarchia, ait S. *Thomas,* est unus principatus, id est, una multitudo ordinata uno modo sub principis gubernatione; non autem esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent»[7].

1 ***Joan.,*** 3, 36.
2 ***Coloss.,*** 3, 1-4.
3 ***Joan.,*** 17, 4.
4 ***Eph.,*** 4, 12.
5 Pesch, ***Inst, propaed.,*** n. 334.
6 S. Thomas, ***I p.,*** q. 108, a. I.
7 ***I p.,*** q. 108, a. 2.

Horum ordinum diversitas attenditur penes diversa officia et actus, quatenus in multitudine sunt principium, medium et finis, seu *summum, medium* et *infimum.*

Dicitur 2.°: *qui... dignitate et potestate... prae caeleris fidelibus jure divino eminent.* Haec verba innuunt hierarchiam ecclesiasticam, de qua hic agimus, inter solos clericos constitui. «Unus principatus dicitur, ait S. *Thomas,* secundum quod multitudo uno et eodem modo potest gubernationem principis recipere. Quae vero non possunt secundum eumdem modum gubernari a principe, ad diversos principatus pertinent» 1. Clerici autem, qui magis accedunt ad Deum, non eodem modo ac laici gubernantur a principe eclesiastico. Unde concilium tridentinum declaravit: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s. 2.*

Dicitur 3.° *Circa sacrum ministerium et gubernationem Ecclesiae.* Potestas siquidem, qua viri ecclesiastici fidelibus praesunt, est duplex, sicut superius diximus, *ordinis* et *jurisdictionis,* prout ad sacramenta conficienda et administranda vel ad Ecclesiam regendam confertur 3. Hinc enascitur duplex hierarchia juxta duplicem potestatem Ecclesiae collatam, *ordinis* et *regiminis,* quae in definitione exprimitur illis verbis: *circa sacrum ministerium et gubernationem Ecclesiae.*

3) Quaerimus, an in Ecclesia sit hierarchia tum *ordinis* tum *jurisdictionis* divinitus instituta inter viros ecclesiasticos, qui ex oficio ordinantur ad sanctificandos dirigendosque homines.

314. Errores, a) *Marsilius Pataiinus* et *Joannes Jandunus* libro *Defensor pacis* docuerunt potestatem ecclesiasticam primo in coetu fidelium resedisse, deinde ad principes saeculares translatam fuisse, ab eisque ultimo ad Ecclesiam derivari cum facultate solummodo monendi, concionaridi, etc. Ex hoc consequitur hierarchiam ecclesiasticam esse ab hominibus introductam et posse ad libitum mutari vel abrogari 45

b) *Novatores* saeculi xvi acceptarunt doctrinam Marsilii. Negata distinctione inter *clericos* et *laicos* et rejecto sacerdotio catholico, dixerunt quemlibet esse jure divino sacerdotem, quatenus se offert Deo 6. Cum vero nequirent omnes per se ipsos muneribus sacris fungi, *ministros* deputaverunt, ut nomine populi officio verbi et sacramenti operam darent. Quae ministrorum deputatio, juxta *Calvinum* 6 et alios veteres, per electionem popularem, juxta modernos a principe saeculari fieri debet7.

c) *Edmundus Richerius,* doctor et syndicus sorbonicus, scripto libello *De ecclesiastica et politica potestate* (a. 1611), docuit plenitudinem potestatis

1 ***I p.,*** q. 108, a. I.

2 ***Sess.*** 23, can. 6; Denz-Bannw., 966. ***«Laici,*** inquit S. Bellarminus, ***De membris Eccl.,*** lib. i, c. i, dicti sunt quasi plebeii ac populares, quibus nulla pars functionis ecclesiasticae demandata est; ***clerici*** autem quasi Domini sors et haereditas, qui cultui divino consecrati, procurandae religionis ac rerum sacrarum, Deo ipso jubente, providentiam ac sollicitudinem susceperunt».

3 Cfr. S. Thomas, ***II-II,*** q. 39, a. 3.

4 Haec Marsilii doctrina damnata est ut haeretica a Joanne XXII. Cfr. Denz-Bannw., 496 sqq.

5 Docebat Lutherus «Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus laicus, nullus clericus, nullus rasus, nullus unctus, nullus monachus esse debeat». ***De abrog. missa priv.,*** p. 1; «Superest».

6 ***Inst.,*** lib. 4, c. 3, η. 15.

7 Cfr S. Bellarminus, ***De membris Ecclesiae,*** 1, c. 2.

toti corpori Ecclesiae docenti, quod episcopis et presbyteris constat, primo traditam esse; a quo deinde ad singulos sive episcopos—etiam Pontificem—sive presbyteros potestatem aequaliter derivari, ita ut quilibet ab Ecclesia universali in ministrum deputatus certum ambitum potestatis obtineat nemini in suo territorio inferior existens [1]. *Richerium* sequuti sunt *Marcus Antonius de Dominis*[2], *Van Espen, Febronius* [3], *pistorienses, gallicani, Josephistae* in Austria, etc.

d) *Juxta rationalistas* Christus nullam instituit Ecclesiam, sed discipuli, qui magistri sui opera viderant, enthusiasmo quodam religioso ducti, incepti sunt vocari *fratres, sancti, sacerdotes;* collegium vero appellarunt *regale sacerdotium.* Tunc nonnulli discipuli ex ferventioribus, et alii, qui se fingebant charismate Spiritus Sancti decoratos, praedicationis officium susceperunt, et nuncupati sunt doctores atque prophetae. Cum horum praedicatione plures converterentur, et fideles quae habebant ad pedes discipulorum deferrent, opus fuit in singulis communitatibus administratores bonorum, qui *episcopi* vocati sunt, adsignare cum quibusdam consiliariis, qui propter aetatem provectiorem *presbyteri* appellati sunt, et cum coadjutoribus qui *diaconi* nuncupati fuere.—*Episcopi* igitur ex primitiva institutione erant oeconomi seu administratores, *presbyteri* consiliarii eorum et custodes disciplinae, et *diaconi* coadjutores.—Cum autem discipuli et doctores tractu temporis disparuissent, *episcopi* in eorum locum suffecti sunt cum facultate praedicandi. Ita *Harnack* [4], *Pfleiderer* [5], *Renan* [6], *Reville* [7] et alii.

315. Thesis. Christus in Ecclesia a) «clericos» a laicis distingui voluit, et b) in ordine clericali veram instituit hierarchiam, quae episcopis, presbyteris et ministris constat.

Prob. 1.a pars. Clericos a laicis distinctos esse voluit.

Arg. I. *Ex S. Scriptura,* a) Ex innumeris S. Scripturae locis constat Christum Dominum per se ipsum immediate non omni populo, sed quibusdam personis, quas elegerat et speciali modo sibi devinxerat, potestatem ad sacra et in populum christianum dedisse. Solis enim apostolis facultatem contulit conficiendi Eucharistiam [8] et septuaginta duos designavit [9], ut potestatem ad sacra participarent; solis item apostolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [10]; et: *Euntes ergo docete omnes gentes* [11].

b) Apostoli deinde diserte docuerunt neminem posse, nisi fuerit a Deo vocatus, sacerdotio fungi. *Nec quisquam,* ait Apostolus, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. .Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum:*

1 ***De ecclesiastica et politica potestate,*** per totum, sed praesertim cc. x, 2 et 6. Libellus Richerii, tum a conciliis provincialibus tum a S. Congr. Indicis, tum denique ab Innocentio IX (a. 1681) damnatus est. Vide Hergenrôther, ***Hist, de la Iglesia,*** t. 5, p. 558; et Denz-Bannw., 1502 sq.

2 E Societate Jesu primo sodalis, episcopus dein seoniensis, ac denique archiepiscopus spalatensis. ***De republica eccl.,*** lib. 3, c. 1 sqq.

3 Hoc nomine venit Nicolaus Honteim, episcopus auxiliaris trevirensis.

4 ***Lehrbuch der Dogmengeschichte, 1,*** 204 sqq.

5 ***Religionsphil.,*** p. 303 sqq.

6 ***Les Apôtres,*** ch. 7.

7 ***Les origines de l'Episcopat*** (Paris, 1894).

8 ***Luc.,*** 22, 19.

9 ***Luc.,*** 10, i.

10 ***Joan.,*** 20, 22-23.

11 ***Matth.,*** 28, 19.

Filius meus es lu, ego hodie genui te x.—Attendite vobis, inquit episcopis, *et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* -. Unde Paulus et Barnabas independenter a populo potestate a Deo accepta constituerunt presbyteros per singulas Ecclesias [2] item Paulus in Oriente [4], Petrus in Occidente [5] [6] et Joannes in Asia [e], plures ecclesiis praefecerunt episcopos. Imo Apostolus commisit Tito [7], ut per civitates constitueret presbyteros.

Arg. II. Concilium Tridentinum disertis verbis hanc doctrinam tradidit dicens: *Quod si quis omnes Christianos promiscue 'Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud jacere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes apostoli, omnes prophetae, omnes sint doctores* [8]. Clerici igitur, utpote in sortem Domini vocati et divino cultui quodammodo mancipati, sunt laicis superiores.

Arg. III. Codex Juris Canonici confirmat hoc dicens: «Ex divina institutione sunt in Ecclesia *clerici* a *laicis* distincti» [9].

316. Prob. 2.a pars. Christus in ordine clericali veram instituit hierarchiam, quae episcopis, presbyteris et ministris constat.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* 1) Christus Dominus instituit in apostolis, quos sibi elegerat, sacrum quemdam principatum. 2) Hic sacer principatus ex ordinatione Christi perpetuo est duraturus. 3) In hoc sacro principatu diversi sunt gradus seu ordines, quos episcopos, presbyteros et diaconos sacer textus appellat. Ergo Christus in ordine clericali veram instituit hierarchiam, quae ex episcopis, presbyteris et ministris constat. Prob. ant. per partes.

1) *Christus Dominus instituit in apostolis, quos sibi elegerat, sacrum quemdam principatum.* Contulit siquidem apostolis potestatem baptizandi [10], [11] dimittendi et retinendi peccata [u], eucharistiam conficiendi [12], aliaque sacramenta administrandi (potestas ordinis), necnon facultatem docendi omnes gentes [13], [14] igandi atque solvendi [r], et in omnibus regendi populum Christianum (potestas jurisdictionis). Ergo Christus instituit in apostolis sacrum principatum.

1 ***Hebr.,*** 5, 4.
2 ***Ad.,*** 20, 28.
3 ***Ad.,*** 14, 22.
4 Cfr. ***Ad.,*** 14, 22.
6 Cfr. Tertull., ***De Praescript.,*** c. 32; ML 2, 52.
6 Cfr. Hieronymus, ***De viris illustr.,*** c. 9; ML 23, 655 sq.
' ***Tit.*** i, 5.
8 Sess. 23, c. 4; Deni-Bannw., 960.
° Can. 107.
10 ***Matth.,*** 28, 19.
11 ***Joan.,*** 20, 23.
12 ***Luc.***. 22, 19.
13 ***Matth.,*** 28, 18 sqq.
14 ***Matth.,*** 18, 18.

2) *Sacer principatus ex ordinatione Christi perpetuo est duraturus.* Apostolis in universum mundum ituris ad sanctificandos, docendos et regendos homines, ait Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* \ promisitque se Spiritum Sanctum missurum, ut maneret cum ipsis in aeternum. Unde apostoli constituerunt sibi successores non quidem populi electione sed manuum impositione, et singulis ecclesiis singulos praefecerunt episcopos, quorum munus fuit, juxta Apostolum, *Ecclesiae Dei diligentiam habere* 1.

3) *In hoc sacro principatu diversi sunt gradus sibi invicem subordinati* (supremi, medii et infimi), *quos sacer textus episcopos, presbyteros et diaconos appellat.* Compertum siquidem est et ex lectione S. Scripturae satis colligitur in hoc coetu electorum diversos gradus reperiri. Horum nomina in S. Scriptura potestatem supremam seu *episcopalem* quandoque, mediam seu *presbyteralem* interdum, infimam seu *diaconalem* non semel significant.

a) *Episcopi* erant illi, qui gregi cuidam particulari pascendo praepositi, acceperunt plenitudinem potestatis. Quare Timotheus ecclesiae Ephesi, et Titus ecclesiae Cretae praepositi, episcopali dignitate aucti dicuntur. Facta est eis ab Apostolo facultas ordinandi alios ministros per impositionem manuum 3.

b) *Presbyteri* appellati sunt illi, quibus ministerium aliquod inferius sub jurisdictione episcopi commissum est. Ad eos refertur Jacobus apostolus, cum ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum* 4. Paulus quoque de illis certissime agit, cum ad Timotheum scribens inquit: *Adversus presbyterum accusationen noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus* 5.

c) *Diaconi* denique constituti ac ordinati sunt per impositionem manuum, ut episcopis ministrarent in administratione praesertim rerum temporalium, servitio mensae 6, praedicatione Evangelii 7 et administratione sacramenti baptismi. Ordinati fuerunt et ad sacra destinati, ut ex munere praedicationis et administrationis baptismi, quo functi sunt, satis liquet. Hinc S. *Ignatius M.* ait: «Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Jesuchristi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiae Dei ministri» 89 Non a populo sed ab apostolis electi fuerunt juxta illud Petri: *Considerate ergo fratres viros... septem... quos constituamus stiper hoc opus* ".

Arg. II. Codex Juris Canonici recte hoc exponit dicens: «Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat episcopis, pre-

1 *Matth.,* 28, 20.
2 *I Tim.,* 3, 5.
3 *Tit.,* i, 5 sqq.; *I Tim.,* 5, 22.
4 *Jac.,* 5, 14.
5 *I Tim.,* 5, 19.
° *Act.,* 6, i sqq.
7 *Act.,* 6, 8 sqq.
8 *Ad Trallianos,* c. 2; MG 5, 676. Adscntire non possumus Vazquez dicenti *(III p.,* disp. 236, c. 4) septem illos viros de quibus *Act.,* 6, non suscepisse sacramentum diaconatus.
9 *Act., b,* 3.

sbyteris, et ministris; ratione jurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinate; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere»*.

Arg. III. *Ex SS. Patribus et veterum documentis,* a) *Clemens Romanus* sub finem saeculi i ajebat: «Cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus statutis temporibus peragere jussit; oblationes scilicet et officia perfici, nec temere vel inordinate fieri praecepit, sed praefinitis temporibus et horis; ubi etiam et a quibus celebrari vult, suprema sua voluntate definivit... Nam *summo sacerdoti* sua munera tributa sunt. *sacerdotibus* locus proprius adsignatus est, et *levitis* propria ministeria incumbunt, homo laicus laicis praeceptis constringitur» 1. Primo jam saeculo nominavit Pontifex *summum sacerdotem* (episcopum), *sacerdotes* et *levitas.*

b) S. *Ignatius M.* «hortor, inquit, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, *episcopo* praesidente loco Dei et *presbyteris* senatus apostolici et *diaconis* mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jesu Christi» 3.

c) Eamdem doctrinam tradiderunt S. *Polycarpus* 4, S. *Irenaeus* 5,* *Tertullianus* 8, *Clemens Alex.* 7, *Origenes* 8 et alii Patres.

d) In *Pastore Hermae* 9 satis clare nominantur *episcopi, presbyteri* et *diaconi.*

e) In *doctrina duodecim apostolorum* (circa an. 80-90 scripta) haec habentur: «Constituite ergo vobis episcopos et diaconos dignos Domino... nam ipsi exhibent ministerium prophetarum et doctorum» 10.11 Et rursus: «Nolite igitur eos contemnere; ipsi enim honorati inter nos sunt una cum prophetis et doctoribus». Presbyteros heic nomine prophetarum et doctorum expressos esse tuentur theologi.

Difficultatibus satisfit.

317. Obj. 1.° S. Petrus omnes fideles vocat sacerdotes, cum ait: Izos *autem genus electum, regale sacerdotium* u. Ergo clericos inter et laicos non datur distinctio.

Resp. S. Petrus in praefato loco et S. Joannes in Apocalypsi 12, omnes fideles vocant sacerdotes lato sensu, quatenus unusquisque per baptismum Deo dicatus debet hostias spirituales Domino offerre. Ita communiter Patres explicant praefatum locum.

Obj. 2.° *Tertullianus* haec habet: «Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: *Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit,* Ap., i, 6.

1 Can. io8.
2 ***Ep. I ad Cor.,*** c. 40-42; MG 1, 288 sq.
3 ***Ep. ad. Magnes.,*** c. 6; MG 5, 668. ***Ep. ad Philadelph.,*** c. 4; MG 5, 700; et ***ep. ad Sniyrn.,*** c. 8; MG 5, 713.
4 ***Ep. ad Philipp.,*** 5; MG 5, 1010.
6 ***Adi', haer.,*** lib. 4, c. 14, n. 2; MG 7, 914.
3 ***De Bapt.,*** c. 17; ML 1, 1326.
' ***Stromal,,*** lib. 6, c. 13: MG 9, 328.
3 ***In Cant.,*** lib. 2, 1, 5; MG 13, 107.
° Vis. 3, c. 5: MG 2, 903.
'° c 15 (Funk. p. 173; et Sohleoht, an. 1901, pags. 117-118).
11 ***I Petr.,*** 2, 9.
12 ***Apoc.,*** i, 6.

Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus; adeo ut ibi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers ct tingis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici» 1.

Resp. *Tertullianus,* cum adhuc causam catholicam ageret, hacreticale esse ajebat sacerdotalia munia laicis injungere 2; sed cum librum *De exhortatione castitatis* scriberet, ad montanistas deflectebat. Quare parum habet in eo auctoritatis, eo vel magis, quia montanista tandem effectus in libro *De Monogamia* verbo *sacerdotio laico* misere abusus est.

ARTICULUS II

AN ET QUOMODO EPISCOPI SINT EX CHRISTI INSTITUTIONE PRESBYTERIS SUPERIORES

318. Status quaestionis. 1) *Episcopus,* ex graeco nomine επίσκοπο , idem valet ac *inspector, praepositus, rector,* et non solum rerum materialium administratorem significat, ut rationalistae contendunt, verum etiam et maxime dignitatem et pastoralem sollicitudinem innuit. In tota antiquitate episcopi appellati sunt illi, quibus regimen cujusdam Ecclesiae cum plenitudine duplicis potestatis—ordinis et jurisdictionis—sub uno capite Romano Pontifice commissum est.

2) *Presbyter, ex* graeca voce πρεσβύτερο , idem sonat ac *senior.* Quamquam ex antiquis temporibus quandoque hoc nomine nuncupati fuerint, qui aetate, prudentia et integritate vitae prae caeteris eminebant, communius tamen illi significati sunt, qui per impositionem manuum episcopi sacerdotium susceperunt et ad ministerium apostolicum adsumpti sunt.

3) Quaestio est valde implicata, quid nominibus episcopi et presbyteri in libris N. T. significatum fuerit, an scilicet utrumque nomen promiscue usurpatum fuerit ad significandos sacerdotes tum primi ordinis, nempe *episcopos,* tum secundi ordinis, scilicet *presbyteros.*

Certum nobis videtur nomen *presbyteri* tum in Novo Testamento tum apud priscos Ecclesiae Patres promiscue adhibitum fuisse ad utrumque ordinem significandum. Nam episcopi, qui positi dicuntur 3 regere Ecclesiam Dei, *ibidem* v. 17, vocantur presbyteri; item S. *Petrus* 4 et S. *Paulus* 56episcopos diserte appellant presbyteros 0.

4) Non ita constat, an nomen *episcopi* commune fuerit episcopis et presbyteris proprie dictis in N. Testamento et antiquis Ecclesiae Patribus. Ratio hujus difficultatis habetur *Act.,* 20, 17-28, ubi majores natu, id est, presbyteros vocavit eos, quos deinde episcopos nominavit; et *Philip. I,* S. Paulus et Timotheus salutant omnes *sanctos, episcopos*

1 ***De exhort, cast.,*** c. 7; ML 2, 97t.
2 ***De Praescriptionibus,*** c. 41; ML 2, 69.
3 ***Act.,*** 20, 28.
1 ***I Petr.,*** 5, 1-2.
5 ***Tit.,*** I, 5-7.
6 Cfr. Eusebius, ***Hist. Eccl.,*** lib. 5, cc. 20-24; MG 20, 486, ct 506; Franzelin, ***De Eccl. Christi,*** th. 16.

et *diaconos,* qui sunt Philippis. Philippis autem plures episcopi fuisse non videntur [1].

a) *Nonnulli* dicunt simplices presbyteros in S. Scriptura interdum designari nomine episcopi. Ita S. *Joannes Chrysostomus* [2], S. *Hieronymus* [3], *Theophylaetus* [4], S. *Thomas* [5] et alii. Addit *Theodoretus* [6] primos episcopos vocatos esse apostolos, presbyteros vero sortitos esse nomen episcopi.

b) *Alii* contendunt omnes, qui nomen episcopi sortiti sunt in Scriptura, etsi in eadem civitate commorati fuerint, fuisse vere episcopos, quia apostoli pluribus sacerdotibus episcopatum conferre consueverant, ut copiam haberent episcoporum, «qui ad urbes et provincias christiano partas nomini cum potestate mitterentur». Ita *Petavius* [7] qui unum vel alium deinde adeptus est sectatorem.

c) *Alii* denique, tenentes nomen episcopi nunquam fuisse commune presbyteris, docent S. Paulum locutum fuisse de episcopis proprie dictis, qui ex proximis civitatibus Miletum vel Philippum adierunt, ut jam S. *Irenaeus* exposuit dicens: «In Mileto convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus» [8]. Ita *Franzelin* [9] et plures alii [10]. Haec interpretatio prae aliis probanda videtur.

5) Praefata nominum communis usurpatio et exorta inde controversia de mente Apostoli ansam dederunt gravissimae quaestioni *de aequalitate episcoporum et presbyterorum,* attenta ordinatione divina; quae ut resolvatur, sedulo investigandum est, an episcopi sint jure divino seu ordinatione Christi presbyteris superiores.

319. Errores, a) *Aerius,* primo monachus, deinde presbyter arianus, cum *Eustathium* sodalem suum conspiceret ad episcopatum evehi, aemulatione ductus negavit episcopos esse ordine, honore et dignitate presbyteris superiores [11]. Hunc errorem suscitarunt *waldenses, Marsilius Patavinus, Joannes de Janduno* [12], *Wiclejf* et *novatores* saeculi xvi necnon omnes hierarchiae ecclesiasticae hostes.

b) *Rationalistae* dicunt episcopos ab initio fuisse presbyteris aequales; at, ubi volunt originem principatus episcoporum supra presbyteros adsignare, in mille abeunt suppositiones ridiculas, *a)* Nonnulli volunt unum ex presbyteris, conventibus sociorum praesidere solitum, sensim sine sensu pro praeside sub nomine episcopi habitum fuisse. Ita *Neander* [13]. *b)* Alii conten-

1 S. Hieronymus, ait: «Certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant». ***In Titum,*** 1, 5; ML 26, 597.

2 ***In Philipp.,*** I, 1; MG 62, 183.

3 ***In Tit.,*** i, 5; ML 26, 597.

4 ***In Tit.,*** i, 5; MG 125, 148.

5 ***In Tint.,*** 3, lect. 1; § «Respondeo».

6 ***In Philipp.,*** 1, 2; et ***in I Tini.,*** 3, i; MG 82, 560: et ***in I Tini.,*** 3, 1; MG, 82, 804.

7 ***Disseri. Eccl.,*** lib. 1, c. 2; et ***De eccl. hierarchia,*** lib. 1, c. 4, n. 1.

8 ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 14, n. 2; MG 7, 914.

° ***De Eccl. Christi,*** th. 16.

10 Cfr. Horgenrôther, ***Hist, de la Igl.,*** t. 1, 406 sqq.

11 Cfr Epiphunius, ***Adv. haer.,*** lib 3, haer. 75, n. 1-4; MG 42, 504.

12 Donz-Bnnnw., 498.

13 ***Historia religionis et Ecclesiae Christianae.***

dunt ipsos presbyteros unum inter pares principem constituisse. Sic *Giesler* [1] et *Harnack* [2]. *c)* Alii censent episcopatum fuisse institutum ab Ecclesia, ut haeresum incursibus validius sese opponeret. Ita *Baur* [3].

320. Thesis. Fide tenendum est episcopos esse jure divino seu ex institutione Christi presbyteris superiores.

Arg. I. *Ex S. Scriptura,* a) Episcopi possunt presbyteros judicare juxta illud Apostoli ad Timotheum: *adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus* [4]. Sed nemo potest nisi inferiorem et subditum judicare. Ergo.

b) Juxta Apostolum episcopi habent potestatem ordinandi presbyteros [5]. Sed presbyteri hac potestate carent. Ergo episcopi sunt presbyteris superiores.

Arg. II. Concilium Tridentinum haec habet: *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem... a. s.* [6].

Arg. III. *Ex antiquissima traditione,* a) S. *Clemens Romanus* primum locum in ordine hierarchico tribuit *summo sacerdoti* seu episcopo, secundum *presbyteris* et tertium *lenitis* [7].

b) S. *Ignatius M.* hortatus est fideles, ut in *episcopis* personam Christi, in presbyteris personam apostolorum conspicerent [8].

c) Eamdem saepe doctrinam tradiderunt *Tertullianus* [9], *Clemens Alex.* [10], *Origenes* [11], *Cyprianus* [12] et alii communiter. Unde S. *Hieronymus* episcopos vocat *duces Ecclesiarum* [13].

d) *Pastor Hermae* hierarchiam ecclesiasticam sub symbolo matronae exponit dicens: «Hi sunt *apostoli* et *episcopi* et *doctores* et *diaconi* qui ambulaverunt in sanctitate Dei et episcopatum gesserunt, et docuerunt, et ministraverunt» [14]. Et rursum episcopos appellat *praesides Ecclesiarum* [15].

1 ***Kirchengesch,*** I, 1.

2 Domengesch. S. 182.—Hoc factum esse putat Harnack, postquam cessavit regimen extraordinarium prophetarum et doctorum charismaticorum (enthusiast!-eorum).

3 ***Das Christenlh. u. die christl. Kirche.***

4 ***1 Tim.,*** 5, 19.

5 ***1 Tini.,*** 5, ***22;*** et ***Tit.,*** 1, 5.

6 ***Sess. 23. De Ord.,*** can. 7; Denz-Bannw., 967.

7 ***Ep. ad Cor.,*** 1, 40; MG 1, 289.

8 ***Ep. ad Trail.,*** n. 2-3; MG 5, 676 sqq.

9 ***De Baptismo,*** c, 17; ML 1, 1326.

10 ***Strom.,*** 6. 13; MG 9, 328.

11 ***Contr. Celsum,*** 3, 48; MG 11, 984, et 8, 75; MG 11, 1629.

12 ***Ep.*** 32; MI. 4, 324.

13 ***In Is.,*** 13, 2; ML 24, 213.

14 Lib. i, vis. 3, n. 5; MG 2, 903.

15 Lib. 3, similit. 9, n. 27; MG 2, 1003. Qui plura hac super re velit, adeat Murillo, ***La Igl. Rom.,*** lib. 1, sec. 3, cc. 4-5; Willmers, ***De Christi Ecclesia,*** n. 181 sqq. aliosque.

Difficultatibus satisfit.

321. Obj. 1.° *Timotheus* episcopatum accepisse dicitur *cui» iinposi Hone manuum presbyterii* '. Ergo par est episcoporum presbyterorumque dignitas et jurisdictio.

Resp. In S. Scriptura et priscis Ecclesiae Patribus episcopi saepe designati sunt nomine presbyterorum, sicut ostendimus superius. Apostolus heic sub clausula *impositionis manuum presbyterii* innuisse videtur collationem episcopatus.

Obj. 2.° S. *Hieronymus* ait: «Idem est ergo presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent... communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur... Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse majores et in communi debere Ecclesiam regere» [2].

Resp. 1. Nonnulli theologi, ut *Michael de Medina*[3] et *Vazquez* [4], dixerunt S. Hieronymum in hac parte bona fide deceptum fuisse Aëriique haeresim incurrisse. Sed minime putamus necessarium ad hoc confugere.

Resp. 2.° a) S. *Hieronymus* non agit in loco citato de potestate *ordinis* sed *jurisdictionis.* Nam quantum ad potestatem ordinis episcopos esse presbyteris superiores expresse docet in epistola 146 ad Evangelum, n. i, dicens: «Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?... In episcopo et presbyter continetur». [5][6]

b) *Quoad jurisdictionem,* licet cum quadam exaggeratione locutus fuerit S. Doctor, solummodo voluit significare presbyteros aequandos esse episcopis non in auctoritate sed in qualitatibus [e]. Sub hoc scopo expendenda sunt Hieronymi verba.

a) *Idem est presbyter qui et episcopus,* integritate et sanctitate vel etiam ordinis potestate circa corpus Domini, conc.; principatu, auctoritate et ordinandi facultate, neg.

β) *Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent... communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur,* episcopis superiores partes tenentibus, conc.; episcopis ad aequalitatem presbyterorum reductis, neg. In primitiva Ecclesia, antequam contentiones, quas reprehendit Paulus [7], orirentur in populis, major participatio in regimine quam tempore Hieronymi tribuebatur presbyteris, quatenus ad congressus episcoporum vocati suis consiliis illustrabant praesentes.

γ) *Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse majores.* His verbis non alludit S. Doctor ad episcoporum dignitatem sed ad factum consuetudine introductum, quo post contentiones ortas non communi presbyterorum consilio sed per episcopos regimini ecclesiae consultum est.

322. Scholion. Hierarchia *ordinis* divinitus in Ecclesia instituta tres complectitur gradus, episcopatum, presbyteratum et diaconatum. Alii sunt inferiores ordines, nempe subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus, de quibus sermo erit Deo favente dum de sacramento ordinis.

In hierarchia *jurisdictionis* duo dumtaxat divinitus instituti sunt gradus, summus pontificatus et episcopatus. Reliqui omnes clerici, episcopo inferiores, jurisdictionem sive ordinariam sive delegatam non divinitus sed vi legis vel consuetudinis ecclesiasticae, aut etiam ex speciali commissione acceptam habent[8].

1 ***I Tim.,*** 4, 14.

2 ***In Tit., 1,*** 5; ML 26, 597 sq.

3 ***De Sacror, homin. origine et continentia,*** lib. 1, c. 5. Cfr. Hurter, ***Nomenclator,*** t. 3, p. 55.

4 ***In III p.,*** disp. 240, c. 1, n. 15.

6 ***Ep.*** 146, n. 1; ML 22. 1194.

6 Cfr. Horgonrathor, ***Hist, de la Igl.,*** t. I, p. 408.

7 ***I Cor.,*** 1, 12.

H Ex hoc facile deduces quam immerito Sorbona jusserit an? 1524, ut in scho-

QUAESTIO XV

DE REGIMINE ECCLESIAE

ARTICULUS I

QUAE SIT FORMA REGIMINIS ECCLESIAE

323. Status quaestionis. 1) *Triplex regiminis forma.* Triplex regiminis forma solet a philosophis et politicis distingui, *democratia, aristocralia* et *monarchia,* a) *Democratia,* si rigorose sumatur, est potentatus populi, seu *regimen plebeiorum per potentiam multitudinis divites opprimentium.* In hac forma ad populum spectat leges ferre aliaque reipublicae negotia moderari [1]. b) *Aristocratia* est potentatus optimatum, in quo pauci iique *primates* seu *optimi* adsumuntur ad gubernium. Si per abusum primates opprimant populum, constituunt *oligarchiam.* c) *Monarchia* est potentatus unius, quatenus uni tantummodo, sive jure haereditario sive per electionem ad supremam potestatem evecto, committitur regimen societatis. Vocatur rex, imperator, etc., qui, si potestate, abutitur et opprimit populum, nuncupatur tyrannus.

2) *Monarchia triplex.* Juxta diversitatem facultatum, quae uni principi a legibus conceduntur, monarchia potest esse *absoluta, temperata* et *repraesentaliva* seu *constitutionalis,* a) *Monarchia absoluta* est, in qua unus princeps plenariam et supremam nactus est potestatem per se ipsum leges ferendi et societatem gubernandi sine dependentia vel limitatione a legibus, ut ajunt, *fundamentalibus* civilibus vel consensu principum subalternorum [2]. b) *Temperata* proprie dicta habetur, quando unus imperat atque gubernat, habetque potestatem leges ferendi sub norma legum fundamentalium et adscitis principibus subalternis vel provinciarum delegatis, obtentoque eorum consensu. Ad rem S. *Thomas:* «Unus praeficitur secundum virtutem, qui omnibus praesit, et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem» [3]. Leges fundamentales civiles abrogari vel immutari nequeunt nisi communi consensu principis et populi [4]. c) *Repraesentaliva* seu *constitutionalis* ea dicitur in qua non princeps sed populus per deputatos a se electos, qui *corpus legislativum* constituunt, facit leges, quas princeps una cum mi-

lio defenderetur «triplicem esse hierarchicuni ordinem (jurisdictionis); et non modo Summum Pontificem, sed etiam episcopos et parochos esse a Christo immediate institutos».

1 Cfr. S. Thomas, ***De regimine principum,*** lib. i, c. I.—Sunt tamen democratic! moderatiores, qui volunt formam democraticam ad quosdam limites restringendam esse, quatenus ad populum solum pertineat, non leges ferre aut reipublicae negotia immediate gerere, sed eligere principes ex popularibus. Cfr. S. Th., ***I-II,*** q. 105, a. i.

2 Limitatur tamen a legibus naturalibus et divino-positivis.

3 ***I-II,*** q. 105, a. i.

4 Cfr. Aparisi et Guijarro, ***Cuestiôn dinâstica,*** op., t. 4.

nistris seu secretariis a se electis signat et exsequitur. Huic formae competit illud receptum adagium: *Rex regnat sed non gubernat*

3) Ex combinatione harum formarum possunt mixta regimina oriri [1]. «Possunt tamen, ait apposite S. *Bellarminus,* inter se illae quasi permisceri, ex qua permixtione quatuor aliae formae mixti regiminis producuntur: *una* temperata ex omnibus tribus; *altera,* ex monarchia et aristocratia; *tertia,* ex monarchia et democratia; *postrema,* ex democratia et aristocratia» [3]. Haec prae oculis habe, ut mentem quorumdam theologorum circa regimen Ecclesiae adsequi valeas.

4) Quaelibet regiminis forma est per se bona et utilis, potestque fini societatis ac bono communi sociorum respondere. Ad rem *Leo XIII:* «Nulla *per se reprehenditur* ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et juste, in optimo statu tueri civitatem» [4].

His breviter praemissis, quaeritur in praesenti, quam regiminis formam instituerit Christus in Ecclesia.

324. Errores, i) *Fautores regiminis democratici. Marsilius Patavinus* et qui cum eo dixerunt potestatem ecclesiasticam residere in populo, necnon novatores, qui docuerunt singulos fideles esse sacerdotes, voluerunt formam regiminis Ecclesiae esse democraticam.

2) *Fautores formae aristocralicae.* Regimen Ecclesiae esse aristocraticum dicunt: a) qui Romanum Pontificem episcopis aequalem vel ad summum primum inter pares esse contendunt [5]; b) Gallicani qui plenitudinem potestatis non in Romano Pontifice sed in corpore episcoporum esse defendunt, Romanum Pontificem concilio universali inferiorem faciunt, et a decisionibus Romani Pontificis ad universale concilium posse appellari tuentur; c) qui parochos dicunt esse in synodo una cum episcopis judices fidei.

3) *Fautores permixti regiminis ex democratia et aristocratia.* a) *Edmundus Richerius* [6] ostendere conatus est potestatem ecclesiasticam toti Ecclesiae immediatius a Christo quam Petro esse collatam, et Petrum ejusque successores esse Ecclesiae deputatos, potestatem habentes ministerialem, episcoporum auctoritate coarctatam [7]. b) *Febronius* [8] dixit Christum Dominum suam potestatem fidelium universitati tradidisse, et episcopos, qui a populo eligi debent, esse ministros a populo deputatos, inter quos primatum honoris et praesidentiae sine jurisdictione competit Romano Pontifici unitatis servandae causa [9].

1 Haec, ut vides, non est proprie ***monarchia*** sed potius ***democratia,*** quia princeps non est nisi mandatarius populi et executor legislationis popularis. Plerumque tamen habet speciem monarchiae, cum aliquis jure haereditario vel etiam electione adsumitur in regem, et dignitate regia insignitus leges ac jussa ***corporis legislaiivi*** signat atque exsequitur.—Quandoque nec speciem habet monarchiae sed praeses reipublicae pro quadam periodo electus exsequitur leges.

2 Cfr. S. Thomas, ***I-II,*** q. 95, a. 4.

3 ***De Romano Pontifice,*** lib. 1, c. 1.

4 Encycl. ***Immortale Dei;*** § «Haec quidem». ***Acta S. Sedis,*** vol. 18, p. 174. Cfr. Encycl. ejusdem Leonis XIII ***Diuturnum;*** § «Interest». ***Acta S. Sedis,*** vol. 14, p. 5.

5 Sic inter alios M. Antonius de Dominis, ***De republica Christiana,*** lib. 2, c. 6, etc., et graeci schismatici atque anglicani. Vid. Wouters, ***H. E.,*** epoch. 11, n. 86.

6 ***De eccl. et politica potestate,*** c. 1, 4, etc.

7 Vid. Wouters, ***Hist, eccl.,*** epoch, n, n. 86.

8 ***De praesenti Ecclesiae statu et legitima R. Pontificis potestate liber singularis.***

9 Vide Wouters, ***Hist, eccl.,*** epoch. 12, n. 64; Hergenrdther, ***Hist, de la Iglesia,*** t. 5, p. 748 sqq.

4) *Increduli* et *rationalistae* moderni, Ecclesiae constitutionem socialem negantes, nullam admittunt in Ecclesia regiminis formam proprie dictam sed directionem quamdam a christianis excogitatam [1].

5) *Catholici* communiter tenent formam Ecclesiae esse veram monarchiam [2], et quidem omnino singularem, cujus princeps, non rex sed vicarius sit regis [3]. Exstat tamen domestica lis de nomine potius quam de re, num haec monarchia sit *absoluta* vel *temperata, simplex* vel *mixta,* a) Nonnulli docent eam esse monarchiam temperatam, tum quia Romanus Pontifex, etsi plenitudine potestatis polleat respectu Ecclesiae, non tamen respectu Christi, tum quia Papa obstringitur ad instar principum monarchiae temperatae legibus fundamentalibus a Christo Domino latis et in N. Testamento atque traditione contentis. Ita S. *Bellarminus* [4], *Zigliara* [5] et alii, b) Aliqui volunt Ecclesiam esse monarchiam aristocratia et democratia temperatam; aristocratia quidem, quia praeter moncharn sunt alii principes subordinati, scilicet episcopi, ordinaria jurisdictione divinitus instructi [6]; démocratie vero, quia Romanus Pontifex per electionem ex populo adsumitur. c) Juxta alios Ecclesia est monarchia *absoluta* et *simplex,* quia in ea suprema imperii potestas, etiam in episcopos, residet in uno capite absque ulla divisione, cui omnia membra universaliter subjiciuntur. Leges autem Christi, quibus R. Pontifex obstringi dicitur, sunt alterius ordinis, non ab ipsa Ecclesia latae, quae non obstant Monarchiae absolutae, sicut non obstant leges naturales et divino-positivae, quibus principes absoluti obstringuntur. Ita *Card. Ursius* [7], *Zallinger* [8], *Devoti* [9] et alii bene multi.

325. Thesis. Regimen Ecclesiae est vera monarchia eaque simplex, et probabilius absoluta, a Christo Domino instituta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* 1) Christus Dominus unum principem, Petrum scilicet ejusque successores, Ecclesiae praeposuit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* [10] *Pasce agnos meos... pasce oves meas* [11]. 2) Hujus potestas nemini subordinatur in terris nec coarctatur aut restringitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* [12]. 3) Ipsi subjiciuntur omnia Ecclesiae membra: *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* 4) Hoc regimen est in Ecclesia duraturum ad finem usque saeculorum: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* [13]. Quid amplius ad regimen monarchicum simplex et absolutum requiratur? [14].

1 Ita Puliendorfius, Plaftius et alii hodierni statistae non pauci.

2 Cfr. S. Thomas, vel auctor libri III, ***De regimine principum,*** lib. 3, c. 10.

3 Christus in caelis regnans est hujus monarchiae Rex, habens vicarium in terris Romanum Pontificem.

4 ***De Romano Pontifice,*** lib. i. c. 9; «Ad illud».

5 ***Propaedeutica,*** lib. 4. c. n, n. 5.

6 Probabilius hanc jurisdictionem mediante Romano Pontifice a Deo accipiunt.

7 ***De Ponlif. potestate,*** 1 p., 2, 7.

8 ***Jure eccl. publico,*** § 362.

9 ***Inst. Can. Proleg.,*** c. 2, § 19.

10 ***Matth.,*** 16, 18 sqq.

11 ***Joan.,*** 21, 15 sqq.

12 ***Matth.,*** 16, 19.

13 ***Matth.,*** 16, 18.

14 Rationalistae cum Resoh Miohiels, etc., ut ab hoc argumento se expediant, negant authenticitatem w. 18-19, sed frustra.

Arg. II. *Ex Ecclesiae documentis.* Concilium Vaticanum huic doctrinae favet dicens: *Manifestae Sacrarum Scripturarum doctrinae... aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum prae caeleris apostolis, sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eumdem primatum non immediate directeque ipsi B. Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse\ Leo XIII* pariter haec habet: «Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus adsignavit, qui cum potestate praeessent, *unumque omnium principem* et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni caelorum commisit» 1.

Arg. III. *Ratione.* In Ecclesia 1) est unum caput seu principatus unius; 2) summum habens imperium; 3) excludens principis subalterni consortium. Ergo regimen Ecclesiae est monarchia simplex et absoluta. Prob. ant.

1) *Unum est in Ecclesia caput.* Christus Dominus unum Petrum constituit Ecclesiae principem, cui primatum jurisdictionis contulit perpetuo ad successores transmittendum 3.

2) *Summum habet imperium.* Omnia siquidem Ecclesiae membra gubernat, quin potestas ejus ab aliqua lege ecclesiastica limitetur.

3) *Excludit principis subalterni consortium.* Episcopi enim, qui habent potestatem jurisdictionis divinitus acceptam, nihil detrahunt supremae potestati Romani Pontificis, a quo dependent 4.*

326. Corollarium I. Ex hactenus dictis manifeste patet Ecclesiae regimen magis proprie appellari monarchiam absolutam, sed, si quis illud appellet cum *Zigliara*6 monarchiam temperatam, ex eo quod Romanus Pontifex teneatur legibus Christi, non est de nomine disputandum.

Coroll. II. Ecclesiam improprie dixeris monarchiam aristocratia mixtam, quia episcopi, etsi habeant potestatem divinitus acceptam, non sunt loco optimatum neque dividunt vel limitant potestatem Romani Pontificis in universam Ecclesiam.

Coroll. III. Falso dicunt aliqui Ecclesiam esse monarchiam democratia mixtam ex eo quod Romanus Pontifex ex qualibet classe populari adsumatur electione; democratia enim supponit potestatem in populo; populus autem potestate ecclesiastica caret.

1 ***Sess.*** 4, C. i; Denz-Bannw., 1822. Cfr. ***Sess.*** 4, can. 1; Denz-Bannw., 1825.

2 Nihil refert quod Petrus et Romani Pontifices non reges sed vicarii dicantur regis, qui est Christus, quia potestate suprema investiti fuerunt.

3 Cfr. Murillo, ***La Iglesia Romana,*** lib. 2, secc. 1.

4 Cfr. Mazzella, ***De religione et Ecclesia,*** n. 542.

6 ***Propaedeutica,*** lib. 4, c. 11, n. 5.

ARTICULUS II

UTRUM SOLUS BEATUS PETRUS DIRECTE ET IMMEDIATE A CHRISTO DOMINO ACCEPERIT PRIMATUM VERAE PROPRIAEQUE JURISDICTIONIS IN UNIVERSAM ECCLESIAM

327. Status quaestionis. 1) Primatus Romani Pontificis juxta S. *Bellarminuml* est «summa rei christianae», et juxta Concilium Vaticanum in eo *totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit* 1. Exinde patet ratio hujus articuli.

2) *Caput Ecclesiae.* Duplex est Ecclesiae caput, unum *primarium* et *invisibile* Christus Dominus, alterum *secundarium* et *visibile* Romanus Pontifex. Christus in caelum jam ascensurus voluit vicarium, non successorem 3, in terris sibi constituere ita tamen ut ipse in caelis regnans praecipuas teneret partes, et invisibiliter regeret Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo 45

3) *Notio primatus. Primatus* in genere dicitur illa praerogativa, qua quis aliis quodammodo praesidet. Potest esse *honoris* et *jurisdictionis.*

a) *Primatus honoris* est praeeminentia quaedam honorifica competens ei qui primus dicitur inter *aequales auctoritate,* puta qui primo sedet. Ad hunc facile reducuntur a) primatus *directionis* (improprie a quibusdam dicitur *auctoritatis),* v. gr., praesidentia senatus, et β) primatus *excellentiae,* qui ratione qualibet, scientiae, artium, etc., alicui competit.

b) *Primatus jurisdictionis* est praeeminentia, qua quis potestatem adipiscitur regendi atque gubernandi subditos. Non est ad modum primatuum, qui honoris causa quibusdam Metropolitis in singulis nationibus tribuuntur, ut primas Hispaniae, Angliae, etc., sed complectitur vere et proprie jurisdictionem in foro interno et externo, atque confert potestatem legiferam, judiciariam et coactivam.

4) Quaeritur hic, an Christus soli Petro primatum *honoris* et *jurisdictionis* per se ipsum immediate contulerit.

328. Errores, i) Quoad personam a) *nonnulli* arbitrantes omnes clericos et laicos esse jure divino aequales, inficiantur institutionem primatus in uno Petro. Sic plerique novatores, b) *Alii* volunt apostolos omnes esse vocatos ad regimen Ecclesiae, ita ut non uni Petro sed collegio apostolorum collatus fuerit primatus. Ita *Marsilius Patavinus* 5, *schismatici* plures6, et nonnulli *protestantes* c) *Quidam* contendunt Petrum et Paulum aequalem

1 ***De Summo Pontifice,*** praef.; «Et quidem».

2 ***Sess.*** 4, praef.; Denz-Bannw., 1821. Patres Concilii Vaticani egregiam de hac re tradidere doctrinam in quatuor capitibus distributam.

3 Vid. Valentia, ***in II-II,*** q. 1, p. 7, § 27 sqq.; et ***in III p.,*** disp. I, q. 8, p. 4. Tanner, ***De fide,*** disp. I, q. 4, dub. 2.

4 ***Act.,*** 20, 28. Vid. Dominicus a Ssma. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. 4, c. 2.

5 Propositio ejus damnata est a Joanne XXII ***(Licet juxta,*** 1327); Denz-Bannw., 496.

6 Sic inter alios Macarius Vinnic., ***Theol. dogm. orth.,*** t. 2, p. 3, sect. 2, c. 1.

7 Cfr. F. W. Puller, ***The Primitive Saints and the See of Borne.***

in omnibus habuisse potestatem unumque effecisse caput. Ita nonnulli *jansenistae,* quorum propositiones proscriptae sunt ab *Innocentio X* x. d) Putat denique *Friedrick* 1 primatum a Christo collatum fuisse non Petro sed Jacobo Justo, fratri Domini, Hierosolymorum primo episcopo.

2) Quoad ipsum primatum, a) *Aliqui* nec nomen primatus in Petro patiuntur, b) *Alii* contendunt primatum dumtaxat *honoris* fuisse Petro divinitus collatum. Ita antiqui protestantes et plures anglicani 3;* *Marcus Antonius de Dominis*, L: Dupin*5Øetc. c) *Quidam* cum *Febronio e, Tamburini* et *catholicis veteribus* Germaniae 89 nonnisi primatum *directionis* Petro tribuunt, d) *Plures protestantes hodierni* contendunt primatum Petri non fuisse auctoritatem supremam, sed positionem et praerogativam personalem ejusdem, in quantum erat primus confessor Christi et praedicator ejus nominis ad judaeos et gentiles. Sic inter alios *Stronq* ·.

3) Quoad auctorem hujus collationis erraverunt a) *protestantes* et *graeci* schismatici dicentes primatum non divinitus sed jure ecclesiastico esse introductum 10IIet b) *Richerius 11, Marcus A. de Dominis 12, jansenistae, Riccius* 13, et alii haeretici volentes primatum immediate a Christo corpori Ecclesiae et mediante corpore Ecclesiae Petro collatum fuisse.

329. Thesis. Dogma catholicum est solum S. Petrum, omnium apostolorum principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, verae propriaeque jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam a Christo Domino directe et immediate accepisse 14.

Arg. I. *Ex S. Scriptura. (Ex promissione primatus).* Christus Dominus interrogavit discipulos dicens: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?...* Pos *autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona* (fili Jonae), *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (Kepha), et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodeumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodeumque solveris super terram, erit solutum et in caelis 15.*

Duo ex his certe colligimus: 1) Verba Christi ad solum Petrum re-

1 S. Congr. Inq. 24 Jan. 1647. En duae Arnauld propositiones: «S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt». «Sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput efficiunt». Denz-Bannw., 1091.

2 ***Zur altesten Geschichte des Primates in der Kirche.***

3 Cfr. Melanchthon, ***Brev. Comment, in Matth.,*** c. 16, De secundo art.;'et Enarratio in ps. 118, ***De capite Eccl.:*** Salmasius, ***De primatu Papae;*** Forbesius, ***Inst. hist, theol.,*** lib. 15, c. 1.

I ***De republica ecclesiastica,*** lib. 1, c. 5 sqq.

6 ***De ani. Ecclesiae disciplina:*** diss. 4, c. 1.

° ***De Statu Ecclesiae et legitima potestate*** R. P., t. 2, c. 1. Cfr. Denz-Bannw., 1500.

7 ***Vera idea de S. Sede,*** p. 2. Ejus propositio damnata est n Jan. 1796.

8 Cfr. Hergenrbther, ***Hist, de la Igl.,*** t. 6, p. 539 sqq.

9 ***Systematic Theology,*** vol. 3, p. 809.

10 Ita defendit etiam auctor operis ***Traité de l'autorité du Pape,*** lib. 1, ch. 6. (Haya 1720).

11 ***De ecclesiastica et politica potestate,*** c. 1.

12 ***De republica ecclesiastica,*** lib. 1, c. 5 sqq.

13 Synodus pistoriensis, prop. 2 et 3; Denz-Bannw., 1502 sq.

14 Concil. Vat., ***Sess.*** 4, c 1; Denz-Bannw., 1822 sq.

13 ***Matth*** , 16, 13-19.

ferri, et 2) primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam sub duplici metaphora *petrae* seu fundamenti et *clavium* regni caelorum eidem polliceri.

330. 1.° Verba Christi ad solum Petrum referuntur.

a) Christus in primo inciso omnes apostolos in communi, in secundo solum Petrum respondentem intuitus et affatus est, uti solet fieri in omni hominum concursu, b) Manifeste Petrum designavit nomine natali *Simon,* adjuncto nomine patris *Bar-Jona* (fili Jonae). c) Remunerationem confessionis ipsi pollicitus est verbis *tu es, tibi dabo.* d) Nomen *Petri Simoni* impositum est non sine alta significatione. Intuitus enim Jesus Simonem, quasi praesagiens ejus missionem ait: *Tu es Petrus* (id est *Kepha,* saxum, petra, crepido) *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* hoc est: *Tu es Kepha et super hunc kepha aedificabo Ecclesiam meam.* Quae interpretatio clara est ex studio linguae aramaicae seu syro-chaldaicae, qua usus est Christus. Nomen enim proprium *Petrus* et apellativum *petra* eadem voce *Kepha* aramaice exprimitur, sicut contingit in lingua gallica: *Tu es Pierre et sur cette pierre* x. In versionibus pariter armena, aethiopica, arabica, chaldaica, coptica, persica, syriaca, etc., idem nomen venit in utroque inciso 1 e) Hunc esse sensum genuinum verborum deprehenditur ex toto contextu. Nam Petro loquenti ait Christus *beatus es,* promisitque primatum sub metaphora fundamenti Ecclesiae et potestatis clavium.

331. Objicies. *Veteres protestantes* vim hujus argumenti eludere volentes, ridiculas finxerunt interpretationes.

1) *Nonnulli* dixerunt nomine *petrae* populum fidelem vel etiam singulos fideles, quorum Petrus gerebat vices, significari. Quod confirmatum voluerunt auctoritate *Origenis,* qui ait: «Nomen enim trahunt a petra omnes imitatores Christi» 3.

Sed hoc absurdum esse ex eo constat, quod a) in praefato loco nulla fit populi mentio, et b) populus fidelis ipse est Ecclesia, quae supra se ipsam aedificari non potuit. Origenes autem non sensum verborum Christi interpretari sed morales applicationes afferre voluit4.

2) *Alii* putaverunt vocabulo *petrae* collegium apostolicum, cujus nomine Petrus locutus est, designari.

At fundamento destituitur haec interpretatio. Non enim nomine apostolorum sed a Patre caelesti illustratus emisit Petrus fidei confessionem; et quidem juxta S. *Hilarium* 5 «ignorantibus caeteris primus respondit *Tu es Filius Dei vivi».* Unde soli Petro confitenti dictum est a Domino: *Tu es Kepha et super hunc kepha,* etc.

3) *Alii* verba Evangelii intelligenda volunt de *fide Petri,* vel de *ejus confessione,* supra quam promisit Christus se aedificaturum Ecclesiam, quasi

1 Rosenmüller, ***Scholia in N. T.,*** t. i, ait ad rem: «Dominus syriacc loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit ***Cephas,*** quemadmodum gallicum ***Pierre*** tam de proprio quam de appellativo dicitur».

2 Si rationem quaeras, cur interpres latinus vocibus masculina et feminina usus fuerit, responsio in promptu est; quia versionem graecam secutus est. Interpreti autem graeco «visum est, ait S. Bellarminus, ***De Ilom. Pont.,*** lib. i, c. io «At cur», commodius homini nomen masculinum quam femininum tribuere»; vel, ut ait Rosenmüller, «Christus imposuit ipsi nomen Petri, non petrae, quia terminatio feminina non videbatur conveniens viro».

3 ***In Maith.,*** t. X2, n. ii; MG 13, 1004.

4 Cfr. Franzelin, ***De Eccl. Christi,*** th. io.

5 ***In Matlh.,*** c. 14, n. 17; ML 9, 1002.

dixerit: 7'w *es kepha per fidem tuam in me, et super· hanc fidem aedificabo Ecclesiam meam.* Ita *Launojus* [1] cum quibusdam protestant!bus.

Sed nimis violenta videtur haec interpretatio et sensui verborum genuino aliena. Christus siquidem fidei Petri non meminit in praefato loco, sed totum discursum ad personam Petri retulit [2] Patres autem, qui a *Launojo* et *Natali Alexandro* in favorem suae sententiae referuntur, personam Petri in ipsa fide comprehenderunt [3].

4) *Alii* nomine petrae Christum intellexerunt, qui est *petra* et *fundamentum* Ecclesiae juxta illud Apostoli: *Petra autem erat Christus* [4] *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus* [5]. Commentum ad hoc finxerunt dicentes Christum inter loquendum se digito designasse, sicut etiam se designasse volunt, cum ait: *solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud* [6]. Ita *Schoettgen, Schultz* et alii.

Gratuita prorsus est haec interpretatio. Nihil obstat, quominus Christus sit *petra principalis* et *fundamentum primarium* Ecclesiae, Petrus vero *secundarium*. Commentum de digito nullum habet in Scriptura fundamentum [7].

5) *Hodierni rationalistae,* ut a catholicorum argumentis facilius se expediant, negant textum S. *Matthaei,* 16, 15 sqq. esse genuinum. Ita *Harnack* [8], *A. Resch* [9] et alii.

Sed arbitrarie nunc negatur, quod ab omnibus et ubique indiscriminatim admissum est, ut strenue probat *C. A. Kneller* [10] adversus rationali-

1 ***Lib.*** 5, ***ep.*** 7 ***ad Hadrian.' Voellum.***

2 Ipse Kuinoel, Comment, in Evang. ***Matth.*** hanc interpretationem ut absurdam rejecit.

3 Cfr. Knabenbauer, ***Comment, in Matth.,*** i6, 18.

4 ***1 Cor.,*** 10, 4, et 3, **n.**

5 ***I Cor.,*** 3, **ii.**

6 ***Joan.,*** 2, 19.

7 Hoc de digito commentum respuerunt ipsi protestantes Marsh, ***Comparative Wiew, app. not. D.***. Michaolis et alii.

Nullam meretur refutationem opinio vere singularis Christiani Stock, ***Clavis linguae Sanctae N. T. s.*** v. Petros, qui contendit Petri nomine significari lapidem «qui projici vel provolvi vel quacumque ratione e loco in locum moveri potest», quia Petrus «officio suo futurus erat lapis in omnes mundi partes projiciendus». Juxta hoc Christus diceretur Ecclesiam suam super lapidem volitantem aedificasse.

8 ***Dogmengeschichte,*** 1, 69, not. 1.

9 ***Paralleltexte zu Matthaus und Marcus,*** p. 187 sqq.

10 ***Stimmem aus Maria-Laach,*** L. 129 sqq.—Non diffitebimur verba ***super hanc petram*** nunc de omnibus fidelibus, nunc de collegio apostolico, nunc de fide et confessione Petri, nunc de ipso Petro a quibusdam SS. Patribus exposita fuisse. In opusculo ***Quaestio,*** quod tempore Concilii Vaticani pervulgatum est, ***nonnulli Patres*** recensentur, qui ea de populo fideli intellexerunt: ***octo,*** qui de collegio apostolico exposuerunt; ***quadraginta quatuor*** qui de fide vel confessione Petri interpretati sunt; ***sexdecim*** qui ea Christo applicuerunt, et ***septemdecim*** qui de Petro intellexerunt. At pace auctoris illius libelli plures quam ***septemdecim*** sunt Patres, qui nomine petrae Petrum intellexerunt. Cfr. Origenes, ***Hom. ƒ in Ex.,*** n. 4; MG 12, 329; Tertullianus, ***De Praescriptionibus,*** c. 22; ML 2, 39; S. Cyprianus, ***De Unitate Eccl.,*** n. 3; MI. 4, 513; S. Basilius, lib. 2. ***Contr. Eunomium,*** n. 4; MG 29, 577; S. Hilarius, ***in Matth.,*** c. 16, n. 7; ML 9, 1010; S. Ambrosius, hymno ***Aeterne rerum Conditor;*** Brev. Rom., ML 16, 1473; S. Hieronymus, ***in Matth.,*** c. 16, v. 18; ML 26, 121; S. Chrysostomus, ***Horn, 3 in Matth.,*** n. 2; MG 58, 534; et alii praesertim ante saeculum iv.—Testimonia eorum, qui in contrarium afferuntur, explicanda sunt in bono sensu, ***a)*** Qui cum Origene, l. c. de omnibus fidelibus vel cum S. Augustino, ***De agone chr.,*** c. 30; ML 40, 308; de collegio apostolico ea exposuerunt, sensum moralem et allegoricum quaesierunt, ut zelum pro unitate servanda omnibus inculcarent. ***b)*** Qui cum S. Hilario, ***De Trinitate,*** lib. 6. n. 36; ML 10, 186, videntur ea de fide vel confessione Petri intelligerc, personam Petri non excludunt, sed confessionem) t fidem tu concreto pro Petro confitente accipiunt, «ita ut, inquit Billuart,

stas. Sensum verborum Christi authentice declaravit Concilium Vaticanum *sess. 4, c. i.*

6) *Moderni* tandem *protestantes* desperatione acti quod catholicorum argumenta nimis urgeant, dicunt verba Christi *super hanc petram* praerogativam personalem Petri significare, ad successores minime transmittendam. Ita *Stronq* '.

At inferius demonstrabitur S. Petrum perpetuos habere in primatu successores.

332. 2.° Primatus verae propriaeque jurisdictionis in universam Ecclesiam illis verbis promittitur.

a) *Sub metaphora petrae.* Petrus seu petra rupem hic significat seu crepidinem ac firmam basim; et docemur per Petrum id Ecclesiae conferri, quod per saxum aedificio. Quid saxum seu fundamentum praebet aedificio? Totam aedificii structuram sustentat, corroborat, ac, omnes ejus partes connectendo, a ruinae periculis praeservat. Sic Petrus Ecclesiam Christi corroborat atque incolumem servat, ut nulla possit adversa fortitudine everti aut demoliri: *portae inferi non praevalebunt adversus eam* 1. Porro Ecclesia est societas seu coetus hominum, cui firmitatem et unitatem conferre non potest nisi auctoritas suprema, a qua omnia membra societatis diriguntur. Ergo Christus sub metaphora petrae pollicitus est Petro auctoritatem supremam, id est, primatum verae propriaeque jurisdictionis in universam Ecclesiam 3.

b) *Sub metaphora clavium.* Verba Christi *tibi dabo claves regni caelorum, et quodeumque ligaveris super terram,* etc., promissionem continent supremae potestatis in universam Ecclesiam, a) *Supremae* quidem *potestatis,* quia claves ex more tum sacro tum profano, apud omnes gentes recepto, auctoritatem seu potestatem in suo genere supremam significant. Unde summum sacerdotium in Veteri Testamento 4, suprema Christi potestas in Novo 5 6 et sacerdotissa apud graecos, clavium symbolo designabantur; victoribus in bello claves civitatis, et administratori in domo claves rei familiaris in signum potestatis traduntur 8.

diss. 4, a. i, confessio sit ratio propter quam promittatur haec praerogativa, Petrus vero persona cui promittitur». Cfr. Franzelin, ***De Eccl. Chr.,*** th. 10. *c)* Qui cum S. Augustino, ***Serm.*** 76, c. 2; ML 38, 480; et ***Retract.,*** lib. 1, c. 21; ML 32, 618, nomine petrae Christum intelligunt, significationem verborum mediatam et implicitam non immediatam et explicitam exposuerunt, verba non ad ipsam petram sed ad auctorem petrae referendo. Cfr. ***Hom. de poenitentia,*** n. 4; MG 31, 1483, inter opera S. Basilii; S. Maximus Taur., ***Hom. I in natali SS. Petri et Pauli,*** ML 57, 394, hanc interpretationem expressis fere verbis proposuit.

1 ***Systematic Theology,*** vol. 3, part. 7, chapt. 1, § III, B.

2 Aliqui recentiores volunt per ***portas inferi*** domum mortuorum significari, adeo ut Ecclesia non possit morte destrui. Verius tamen videtur per haec verba significari arcem diaboli, ex qua inimicus Ecclesiam saepe impetit. Cfr. Knabenbauer, ***in Matth.,*** 16, 18.

3 Perperam hic adserunt nonnulli protestantes cum Carolo Hase, ***Handb. d. protest. Polemik*** in Petri primatu nullam includi regiminis potestatem, sed solum primas in Evangelii praedicatione partes. Primatus siquidem promittitur Petro analogia eptrae, quae soliditatem aedificio communicat. Soliditas autem aedificii socialis provenit ex regiminis potestate. Cfr. Wisseman, ***Collât.*** 8.

4 ***Is.,*** 22, 22.

5 ***Apoc.,*** 3, 7.

6 Referunt antiquitatum periti apud romanos et germanos maritum uxori

Christus itaque promittens soli Petro *claves regni caelorum,* potestatem supremam ipsi pollicitus est in res ecclesiasticas, ut non obscure declaravit statim his verbis: *Quodeumque ligaveris super terram, erit ligatum,* etc.1. β) *In universam Ecclesiam,* quia nomine *regni caelorum* hic venit Ecclesia militans, in qua pollicetur Petro universalis jurisdictio his verbis: *Quodeumque ligaveritis super terram,* etc.

Nec refert, si cum quibusdam protestantibus objicias hanc clavium potestatem non fuisse Petro propriam sed omnibus apostolis communem juxta illud Salvatoris: *Arnen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram,* etc. 2.

Hoc inquam non refert, quia inter promissionem Petro factam et facultatem aliis apostolis collatam adest differentia non modica. Petro promittuntur claves et earum exercitium, munus scilicet ligandi atque solvendi, apostolis vero solum exercitium. Claves important jurisdictionis principium, quod penes unum Petrum residet, ut significetur potestatem apostolorum semper exercendam esse dependenter a Petro, qui a Christo constitutus est claviger regni caelorum 3.

333. Arg. II. *Ex institutione primatus.* Servator noster e mortuis jam redivivus ait Petro: *Simon Joannis, diligis me plus his?... Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me?... Petrus... dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas 4.*

Christus hic 1) solum Petrum affatus est, 2) primatum jurisdictionis ei contulit, 3) in universam quidem Ecclesiam.

1) *Solum Petrum affatus est,* a) quia affirmat evangelista: *Dicit Simoni Petro;* b) quia natali nomine *Simon Joannis* illum appellat; c) quia solum Petrum interrogat, an plus quam alii discipuli ipsum diligat: *Diligis me plus his?* 5, et d) quia praenuntiavit ei, *qua morte clarificaturus esset Deum.*

2) *Contulit ei primatum jurisdictionis.* Christus Dominus Ecclesiam suam ovili comparaverat, seque nuncupavit pastorem. Cum autem esset ad Patrem suum reversurus, accepta prius trina singularis erga eum amoris significatione, commisit Petro universi gregis pascendi munus dicens: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Porro pastoris officium est

. claves in signum regiminis domus in connubiis tradere et in divortio reclamare solitum fuisse. Cfr. Graninus, ***Aut. jurid. Germaniae,*** p. 276.

1 Optime demonstravit Murray, ***De Ecclesia,*** 2, p. 289, gratuitam prorsus esse suppositionem quorumdam, qui dixerunt portas apud hebraeos non clavi sed funibus et loris claudi solitas fuisse, et clavium nomine apud Matthaeum instrumentum quo funes illi solvebantur, non symbolum auctoriattis significari. Cfr. Wiseman. ***Collai.*** 8.—Leo X Bulla ***Exurge Domine*** damnavit hanc propositionem: «Verbum Christi ad Petrum ***Quodeumque ligaveris super terram*** extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro». Denz-Bannw., 766.

" ***Matth.,*** 18, 18.

3 Cfr. Billot, ***De Eccl. Christi,*** th. 25; et Tanquerey, ***De Eccl.,*** n. 691 sqq.

' ***Joan.,*** 21. 15-17.

Risu excipienda est interpretatio cujusdam protestantis, qui dicit particulis ***plus his*** non fieri comparationem inter Petrum caetcrosque apostolos, sed inter Christum et objecta circumstantia, adeo ut sensus sit: «Diligis me plus quam navigium, retia, pisces?»

oves ad pascua ducere, unitatem gregis custodire et a lupis hostibusque aggredientibus tueri: et ubi de grege rationali agitur, sacramentis ipsum munire, potestateque jurisdictionis authentice docere, regere atque gubernare. Unde episcopi et a fortiori Romani Pontifices, cum jurisdictionem accipiunt, dicuntur munus *pastorale* adsumere, dum populus Christianus vocatur *grex.* Ergo Christus soli Petro munus pascendi gregem commisit et veram potestatem jurisdictionis verumque primatum contulit 1.

3) *In universam Ecclesiam.* Christus contulit Petro munus pascendi universim *agnos et oves.* Per *agnos* autem et *oves* universa Christi Ecclesia significatur, per *agnos* scilicet fideles, per *oves* vero pastores 2, quos etiam regendi potestas data est Petro. Unde S. *Eucherius lugdunensis* ait: «Prius *agnos* deinde *oves* commisit ei, quia non solum pastorem sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, regit et subditos et praelatos. Omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est» 3.

334. Arg. III. *Ex jactis et dictis Christi,* a) Christus non sine speciali significatione nomen Petri imposuit Simoni, ut dictum est arg. I.

b) S. *Petrus in primo loco semper refertur* ab evangelistis 4.

c) *Hominum piscatio* non sine mysterio commissa est singulariter Petro his verbis: *Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens* 5;* quasi diceretur ipsum fore in hominum conversione et regimine, qualis erat inter discipulos in piscium captura. Petrus autem creditur in piscatione princeps omnium fuisse, ex eo quod Christus ipsi navem in altum ducere et laxare rete praecepit.

d) *Christus semper Petrum sibi comitem adjunxit,* et quando aliquid apostolos interrogavit, a Petro nomine omnium responsum accepit 6.

e) *Petrus jubetur* ad mare pergere, manum mittere et ex ore piscis statere sumpto tributum pro Christo et se ipso solvere 7. Ex quo suspicati discipuli Petrum ipsis praefectum iri, accesserunt ad Jesum dicentes: *Quis putas major est in regno caelorum? 8*9

f) *Oravit Dominus* singulariter pro Petro juxta illud: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non dejiciat jides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* 6. Ex quo constat a) omnes fuisse expetitos, sed pro uno Petro

1 Ita Patres communiter verba Christi intellexerunt, ut videre est apud Franzelin, ***De Eccl. Christi,*** th. io.

2 Alii ***agnorum*** et ***ovium*** distinctione intelligunt judaeos et gentiles, alii perfectos et imperfectos.

3 Serm. de nat. SS. Apost. ***Primus*** quidem fuit non ***vopatione*** neque ***provectiori aetate,*** ut plures protestantes dixerunt, sed praeeminentia et auctoritate; duo siquidem discipuli ante ipsum vocati sunt (***Joan., i,*** 35 sqq.); et Andreas fuit aetate provectior, teste S. Epiphanie, ***Haer.,*** 51, n. 17; MG 41, 922.

4 ***Matth.,*** 10, 2.

5 ***Luc.,*** 5, 2-10.

6 ***Matth.,*** 19, 27; ***Luc.,*** 12, 41; ***Joan.,*** 6, 69.

7 ***Matth.,*** 17, 26.

8 ***Matth.,*** 18, i.

9 ***Luc.,*** 22, 31.

Christum orasse, et β) Petro fuisse commissum, ut post conversionem suam confirmaret in fide fratres[1].

g) *Post Domini Ascensionem* Petrus in coenaculo unum ex praesentibus in locum Judae substituendum edixit[2]; Evangelium judaeis promulgavit et miraculis confirmavit[3]; collegii apostolici defensionem apud principes et seniores suscepit[4]; admonitus fuit divinitus, ut gentes in Ecclesiam admitteret[5]; visitavit cunctas Ecclesias[6]; in Concilio Hierosolymitano, cum magna conquisitio oriretur, quasi definiens doctrinam proposuit; quo locuto *tacuit* (consentiens) *omnis multitudo*[7]. Haec et alia Petri gesta plane ostendunt primatum in universam Ecclesiam fuisse a Christo Petro concessum.

335. Arg. IV. *Ex traditione.* Universalis traditio 1) communi Patrum testimonio suffulta et 2) vetustissimis incisa monumentis docet S. Petrum in Ecclesia universa primatum tenuisse.

1) Petrus appellatur a SS. Patribus *primus apostolorum*[8], *caput et princeps apostolorum*[9], *Ecclesiae petra et fundamentum*[10],[11] *Pastor Ecclesiae*[11], *petra, quae rumpi non potest*[12], *caput totius fidei quin etiam apostolorum*[13], *clavigerarius et janitor caeli*[14]. Haec omnia veluti complectens ait S. *Joannes Chrysostomus*[1]. «Petrus itaque chori illius coryphaeus, os apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum Ecclesiae, ardens Christi amator»[15]. Item S. *Ambrosius* primatum diserte tribuit Petro dicens: «Prior secutus est Andreas Salvatorem quam Petrus, sed primatum non accepit Andreas sed Petrus»[16]. S. *Ephraem syrus* sic exhibet Christum loquentem: «Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae, petram vocavi te antea, quia tu sustinebis totum meum aedificium, tu es inspector eorum, qui aedificant mihi Ecclesiam in terris; si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprimas eos; tu es caput fontis, a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum... te elegi, ut sis in mea institutione vehit primogenitus, et haeres efficiaris the-

1 Cfr. Theophilactus, in h. I.; MG 123, 1073,
2 ***Act.,*** i, 15 sqq.
3 ***Ad.,*** 2, 14 sqq.
4 ***Ad.,*** 4, 8 sqq.
5 ***Ad.,*** 10, i sqq.
6 ***Ad.,*** 9, 32.
7 ***Ad.,*** 15, 7, 12.
8 S. Augustinus, ***In Joan*** , tr. 66, 2; ML 35, 1811.
9 Origenes, ***In Luc., hom.*** 17; MG 13, 1845. Optatus Milev., ***De schism, donat.,*** lib. 2, n. 2; ML 11, 947; S. Cyrillus Hieros., ***Catech. myst.,*** 2, 19; MG 33, 407; S. Hilarius, ***In Matth.,*** 7, 6; ML 9, 956.
10 Tertullianus, ***De Praescript.,*** c. 17; ML 2, 39. Origenes, ***In Exod., hom.*** 5, 4; MG 12, 329: S. Chrysostomus, ***De eleemos., hom.*** 3, n 4; MG 49, 298. S. Ambrosius, ***In Ps.*** 43, 40; ML 14, 1163.
11 S. Augustinus, ***C. Faust.,*** 22, 70: ML 42, 445; s. Ambrosius, ***In Ps.*** 43, 40· ML 14, 1163.
12 S. Gregorius Naz., ***Poem, mor.,*** v. 489; MG 37, 559.
13 ***Concit, ephes., Ad.*** 3.
14 S. Hilarius, ***in Ps.*** 131, n. 4: ML 9, 730; ***in Matth.,*** 16, 7; ML 9, 1010; S. Ephraem, ***Or. in SS. Ap.,*** etc.
15 ***Horn in v.*** «Hoc scitote·, η. 4; MG 5β, 275.
16 ***In II Cor.,*** '12; Ml, 17, 351.

saurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes thesauros meos»[1].

2) *Monumenta item vetustissima* exhibent nobis Petrum principatus praerogativa insignitum. Plures picturae, sculpturae et inscriptiones, quae inveniuntur in catacumbis, museis et sarcophagis orbis Christiani, produnt S. Petrum *clavibus* vel *virga* in signum supremae potestatis insignitum, aut Moysis qui populi israelitici dux fuit typum gerentem[2]. Unde merito Petrus appellatur *Princeps apostolorum.*

336. Arg. V. *Ex Ecclesiae definitionibus.* Jam olim *Concilium ephesinum* a. 431 haec scripsit: «S. Petrus, apostolorum princeps et caput fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo... claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata ipsi data est». *Denz-Bannw.,* 112. *Chalcedonense,* a. 441 addidit: «Leo per praesentem sanctam synodum una cum ter beatissimo et omni laude digno B. Petro, qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae et rectae fidei fundamentum». *Nicaenum II* a. 787 ait: «B. Petrus... ubique primatum obtinuit et obtinet». *Florentinum* a. 1439, *Definimus,* inquit,... *ipsum R. Pontificem esse successorem B. Petri principis apostolorum... et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Denz-Bannw.,* 694. Concilium denique *vaticanum* hanc solemnem emisit definitionem: *Si quis igitur dixerit B. Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput, vel eumdem honoris tantum non autemver ae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse, anathema sit*[3].

337. Scholion. Tria sunt in Petro relate ad alios apostolos consideranda: i) potestas ordinis; 2) ratio apostolatus, et 3) ratio primatus.

1) *Potestate ordinis* omnes apostoli erant inter se pares. Omnes immediate a Christo sacerdotio aucti sunt in ultima coena illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*[4]; et episcopi consecrati sunt, Petrus quidem immediate a Christo et caeteri a Christo vel a Petro[5].

2) *Ratio apostolatus* tria praecipue complectitur; a) *missionem* immediate a Christo acceptam; b) *infallibilitatem* personalem in proponenda doctrina fidei et morum; c) *jurisdictionem* in universam Ecclesiam[6]. Licet omnes et singuli apostoli has praerogativas a Christo acceperint[7], diversa tamen fuit ratio infallibilitatis et jurisdictionis in Petro et aliis apostolis. In Petro siquidem erat potestas *ordinaria* ratione primatus, et qua talis

1 ***Orat, de Sacerdotio,*** seu ***serm.*** 4, ***in hebd. sanct.,*** n. 1. Legitur inter hymnos et semi. S. Ephraem, a Th. Joseph Lamy nuper editos, t. 1, p. 412. (Mechliniae 1882): et apud Rouël de Journel, ***Ench. Patr.,*** n. 706.

2 Cfr. De Rossi, ***Inscriptiones Christianae Urbis Romae; Roma sotterranea; Bull, di archeol. cristiana;*** Martigny, ***Diction des antiq. chrét.*** «Pierre et Paul».

3 ***Sess.*** 4, c. i; Denz-Bannw., 1823.

4 ***Luc.,*** 22, 19.

5 Nonnulli putant solum Petrum immediate a Christo, reliquos a Petro episcopos consecratos fuisse. Cfr. S. Bellarminus, ***De Rom. Pont*** , lib. 1, c. 23.

6 Cfr. Passagiia, ***De Ecclesia Christi,*** lib. 3, c. 9.

7 Matthias quoque sorte in apostolatum vocatus divinitus adnumeratus est undecim apostolis: et Paulus de se ipso ait ***Gal.,*** 1. 1; ***Paulus apostolus non ab hominibus neque per homines sed per Jesum Christum.*** Cfr S. Bellarminus, ***De Rom. Pont.,*** lib. 4, c. 23.

transmissibilis ad successores, in aliis vero *extraordinaria,* qua poterant doctrinam catholicam authentice tradere ac ubique praedicare, ecclesias fundare, etc., juxta Domini mandatum *docete omnes gentes* J, non tamen leges pro universa Ecclesia edere. Potestas igitur apostolorum, utpote extraordinaria, nullatenus erat ad episcopos suos successores transmittenda

3) *Primatus* importat potestatem ordinariam regiminis et jurisdictionis in universam Ecclesiam, in ipsos quoque apostolos 3. Quare Petrus ratione primatus jurisdictionem in universam Ecclesiam exercuit, ad suos successores transmittendam.

ARTICULUS III

UTRUM EX INSTITUTIONE ET VOLUNTATE CHRISTI B. PETRUS IN PRIMATU JURISDICTIONIS IN UNIVERSAM ECCLESIAM PERPETUOS HABEAT SUCCESSORES

338. Status quaestionis. 1) Omnibus compertum est facultates extraordinarias, quibus apostoli investiti erant ad Ecclesiae propagationem, mortuis ipsis apostolis penitus cessasse.

2) An jurisdictio immediate a Christo apostolis collata fuerit, et an in omnibus adeo extraordinaria fuerit, ut nihil ad episcopos eorum successores transmissum fuerit, controvertitur inter theologos, ut suo loco videbimus.

3) Movetur hic quaestio magni momenti, an scilicet Christus voluerit primatum verae propriaeque jurisdictionis, quem in Petro instituit, esse ad successores perpetuo transmittendum.

339. Error. Plures protestantes et schismatici docent primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, quem Christus instituit, esse privilegium personale Petri, ad ejus successores minime transmittendum.

340. Thesis. Dogma catholicum est B. Petrum jure divino perpetuos habere in primatu successores.

Arg. I. Veritas hujus theseos constat 1) ex promissione institutionis Ecclesiae, 2) ex ipsa natura Ecclesiae.

1) *Ex promissione,* quia Christus Dominus declaravit portas inferi nunquam esse praevalituras adversus Ecclesiam, quam erat super Petrum aedificaturus. Ex quo sequitur Ecclesiam per Petrum fore perpetuo stabilem ac firmam. Sed non est stabilis ac firma per Petrum qua individuum, quia decessit. Ergo per suos successores.

2) *Ex natura Ecclesiae,* quia Ecclesia est societas perfecta, perpetuo habens in uno primate auctoritatem supremam. Ergo Petrus habet perpetuos successores in primatu Ecclesiae,

Arg. II. *Ex SS. Patribus. S. Petrus Chrysologus* haec habet: «In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaeren-

1 ***Mattii.,*** 28, 10.

J Cfr Dominion» a SSma. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. 4, c. 2. Cfr Cajat anu», ***De comparatione auctoritatis Papae et Concilii,*** c. 3.

tibus fidei veritatem»[1]. Patres concilii ephesini dixerunt: «Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet»[2]. Concilium Chalcedonense addidit: «Petrus per Leonem ita locutus est»[3].

Arg. III. *Ex Concilio Vaticano.* Concilium Vaticanum solemniter decrevit: *Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione sen jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuas successores... anathema sit*[4].

Arg. IV. *Ratione.* «Ut princeps, ait *Wilmers,* quae jura acquirit, regno acquirit, quae autem regni sunt, principe defuncto non intercidunt, ita Petrus primatus jura accipit pro Ecclesia, hinc duratura, quandiu Ecclesia durat»[5].

QUAESTIO XVI

DE QUALITATIBUS ECCLESIAE

ARTICULUS I

UTRUM ECCLESIA CHRISTI SIT ESSENTIALITER VISIBILIS

341. Status quaestionis. 1) Duo sunt in Ecclesia, quatenus societas est, consideranda, compago nimirum externa, quae *corpus* dicitur, et elementum internum quod *anima* audit. Ecclesia vocatur et est *corpus Christi mysticum,* ut diserte docet Apostolus[6], non quidem mortuum sed vivum. Quemadmodum autem homo, dum vivit ex anima et corpore coalescit, et habet utriusque operationes proprias, ita a pari Ecclesia, quae est vera societas religiosa et corpus Christi vivum, duplici constat elemento. *Corpus* Ecclesiae constituunt externa fidei professio, sacramentorum administratio, cultus externus, hierarchia, visibile regimen, et, uno verbo, quidquid oculis corporeis conspicitur vel visibiliter apparet[7]. Ad *animam* spectant gratia sanctificans, virtutes theologicae (fides, spes et caritas), dona Spiritus Sancti, virtutes morales, quae a gratia supernatural! ad modum proprietatum profluunt, et quidquid confert, ut membra societatis vivant vita capitis, quod est Christus.

2) Haec autem anima potest dupliciter considerari: 1) *in se solitarie,* prout conflatur ex diversis qualitatibus et donis supernaturalibus, 2) quatenus influit in corpus Ecclesiae, cui vitam sub influxu Christi capitis communicat.

Ex corpore quod diximus et anima, hoc secundo sensu considerata, coalescit *corpus Ecclesiae vivum.* Sicut enim homo, qui anima et corpore

1 ***Ad Eutichen. haereticum;*** ML 52, 71.
2 ***Act.*** 3; Mansi, 4, 1295.
3 ***Act.*** 2; Mansi, 6, 971.
4 Sess. 4, C. 2; Denz-Bannw., 1825.
5 ***De Christi Ecclesia,*** n. 112.
6 ***Ephes.,*** i, 23.
7 Cfr. Casanova, n. 188.

constat, vivit et operatur, ita etiam Ecclesia ex anima et corpore constituitur *corpus sociale vivum.* «Decor Ecclesiae, ut praeclare ait S. *Thomas,* principaliter in interioribus consistit; sed etiam exteriores actus ad euindcm decorem pertinent, in quantum ab interiori progrediuntur, et in quantum interiorem decorem conservant»1. Est igitur commercium quoddam inter corpus et animam Ecclesiae. Anima utpote pars principalis corpus vivificat, et corpus sua operatione animam commonstrat, et ambo per mutuum nexum unam personam moralem efficiunt.

3) In hoc corpus sociale influit efficienter Christus, caput Ecclesiae, ut satis frequenter docuit S.· *Paulus* 2 Unde S. *Bonaventura* ait: «Ipse Jesus Christus, qui interius ipsam Ecclesiam regit, vivificat et fecundat» 3.

Haec paucis accipe:

a) Ecclesia constat corpore et anima, ex quibus coalescit una persona moralis seu societas.

b) Corpus Ecclesiae per animam vivificatur et ex ambobus fit *corpus sociale vivum.*

c) Anima, in se invisibilis exsistens, ratione corporis manifestatur et quodammodo fit visibilis per effectus.

d) Christus, qui est caput Ecclesiae, influit in *corpus sociale vivum,* illud per fidem compaginans, per caritatis administrationem connectens, et per verum influxum ad operationem movens et spiritualiter augens.

e) Nomine corporis Ecclesiae saepe intelligitur ipsa Ecclesia seu totum compositum ex anima et corpore, id est, non elementum exterius solitarie sumptum, sed corpus ab anima vivificatum et in societatem coadunatum.

4) In Ecclesia, sicut et in qualibet societate, quemadmodum superius dictum est, distinguuntur *materia* et *forma. Materia* Ecclesiae sunt membra, quibus constat, *forma* vincula seu nexus, quibus illa inter se connectuntur et unum corpus efficiunt. Haec materia cum Ecclesiae corpore similitudinem habet, et a nonnullis confunditur, sed, si verius loquamur, corpus Ecclesiae latius patet quam materia, et complectitur, non solum membra quae materiam constituunt, sed etiam plures characteres ipsius formae, omnes scilicet manifestationes exteriores societatis.

342. *Quaeritur hic, an et quomodo Ecclesia sit visibilis.* Quod ut clarius determinetur, duplex visibilitas consideranda est, *per se* et per *accidens* 4, prout aliquid immediate per suam naturam, vel mediantibus aliis signis manifestatur.

Ecclesiam *materialiter* sumptam, imo et quoad omnia, quae ejus corpus constituunt, per se visibilem esse, sicut corpus visibile est in homine, nemo, ut putamus, dubitat. *Animam* quoque Ecclesiae signis exteriori-

1 ***In IV Sent.,*** dist. 15, q. 3, a. 1, sol. 4 ad 1.

2 Cfr. ***Ephes.,*** 4, 15.

3 0?· ***disp. de perfeci, evang.,*** q. 4, a. 3, «Requirit etiam hoc unitas».

4 Hottingor, ***Theol. fund.,*** p. 2, § 2, ***immediatam*** et ***mediatam*** appellat; Billot, q. i, th. 2, ***quoad esse intrinsecum*** et ***quoad esse revelatum;*** alii ***humanam*** et ***divino-humanam*** vocant.

bus *per accidens* manifestari, sicut anima hominis suis actionibus ostendi solet, facile comprobatur.

Sed cardo difficultatis est, an Ecclesia *formaliter,* ut societas est et corpus Christi vivum, ita nexibus externis colligatur, ut sit coetus visibilis seu sensibus perceptibilis.

343. Errores, a) Imprimis donatistae, pelagian! ct waldenses, qui Ecclesiam *Congregationem justorum,* et deinde fraticelli, albigenses, wicleffistae et hussitae, qui *Congregationem praedestinatorum* appellavere, visibilitatem Ecclesiae inficiati sunt.

b) Reformatores saeculi xvi contenderunt Ecclesiam Christi esse invisibilem et occultam. Hinc *Lutherus* petulanter quaerebat: «Quis enim Ecclesiam illam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu et solum credatur, sicut dicimus: *credo Ecclesiam sanctam?»* [1]. Item *Calvinus* ait: «Nobis invisibilem, solius Dei oculis conspicuam, Ecclesiam credere necesse est» [2]. Verum *Lutherus,* ut ab aliorum haereticorum importunitate se expediret, novam molitus est theoriam dicens Ecclesiam posse esse visibilem, non quidem essentialiter sed accidentaliter, et ad tempus *quandoque* fieri invisibilem, sicut accidit saeculo iv vel v ineunte[3][4] *Alii* ex protestantibus duplicem Ecclesiam, unam *visibilem,* alteram *invisibilem* posuerunt, quarum unam externe fidem profitentibus, *alteram* solis justis et praedestinatis constitui dixerunt

c) Catholici omnes unanimi consensu tenent Ecclesiam duplici quidem elemento, uno visibili et altero invisibili, constare, sed, quatenus ambo unam societatem efficiunt, totam visibilem reddi. Unde recte *Franzelin* hanc regulam statuit: «Brevissime dici potest: Ecclesia *tota* quidem sed non *secundum totum* visibilis» [5].

344. THESIS. Ecclesia Christi est societas essentialiter visibilis et ut talis certo cognosci potest.

Arg. I. Ecclesiam Christi semper visibilem et perspicuam esse sacrae litterae saepe testantur, a) Jam olim *Isaias* [6], *Micheas* [7] et *Malachias* [8][9]diserte praenuntiarunt aliquando paratum iri *montem domus Domini in vertice montium* ad quem *fluerent omnes gentes.* Hic porro *mons domus Domini* juxta Sanctos Patres *Augustinum* [10], *CyriUum Alex.*[10][11] *Thomam*[11] et alios, quibus subscribunt interpretes rabbini et commentatores, significat Ecclesiam Christi. Sed mons, ad quem gentes confluunt, semper visibilis est. Ergo et Ecclesia Christi. Hinc ipse *Isaias* addit:

1 ***Lib. de abroganda mis. priv.,*** p. i, «Quod vero dicunt».

2 ***Insl.,*** lib. 4, c. 1, n. 7.

3 Cfr. Protestantes Winer, ***Comparatio professionum diversarum Ecclesiarum,*** § 19; et Palmer, ***A treatise an the Church of Christ,*** p. 1, c. 3.

4 Plures protestantes aegre tulerunt effugium Lutheri, et non obstante articulo fundamentali suae sectae de sufficientia solius fidei ad sanctificationem, visibilitatem Ecclesiae palam professi sunt. Ita Gerhard, c. 7; Field, lib. 1, c. 10, et alii.

De hac opinionum protestantium varietate cfr. Murray, ***De Eccl.,*** disp. 5, sect, i, n. 15 sqq.; S. Bellarminus, ***De Concil. et Eccl.,*** lib. 3, c. 11, et alii.

5 ***De Eccl. Christi,*** th. 21, III, «Longe illud»,

6 ***Is., 2, 2.***

7 ***Mich.,*** 4, i.

8 ***Malach.,*** 1, xi.

9 ***Serm.*** 45, n. 6; ML 38, 267.

10 ***In Isaiam,*** orat. 2; MG 70, 69.

11 ***In Isaiam,*** c. 2; § «Secundo salvantis virtus».

Ambulabunt gentes (utique in Ecclesia Christi congregatae) *in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui*[1].

b) In novo Testamento comparatur Ecclesia *civitati supra montem constitutae,* quae non potest abscondi, et *lucernae super candelabrum positae,* quae lucet omnibus, qui in domo sunt [2]; *areae,* in qua sunt grana et paleae [3]; *agro,* in quo sunt frumenta et cizania [4]; *sagenae* missae in mare, quae bonos et malos capit pisces [5]. Appellatur quoque *regnum* [6], *domus Dei* [7], *ovile* [8,9] *grex* [10], etc. Haec autem omnia visibilia sunt et Ecclesiam Christi visibilem esse luculenter demonstrant.

Arg. II. Universalis et antiqua traditio eamdem veritatem confirmat. S. *Irenaeus* [11] *ubique praeclaram* ait esse *Ecclesiam,* lucique solis comparandam. S. *Joannes Chrysostomus:* «Ipsa rerum natura, inquit [12], tuba clariorem emittet vocem, *splendorem ostendens Ecclesiae». S. Augustinus* donatistas urget dicens: «Non estis in montibus Sion, quia non estis in civitate super montem constituta, quae certum signum hoc habet, quod abscondi non potest. Nota est ergo cunctis gentibus; pars autem Donati ignota est pluribus gentibus; non est ergo ipsa»[13]. Ac iterum lepide ait «quando volunt homines videre lunam novam, dicunt: ecce luna, ecce ubi est: et, si sunt ibi, qui non valeant intendere aciem et dicant, ubi? intenditur illis digitus, ut videant. Aliquando, dum erubescunt, ne caeci putentur, dicunt se vidisse, quod non viderunt. *Numquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est?. nonne manifesta?, nonne tenuit omnes gentes?...,* ecce civitas, de qua dictum est: non potest civitas abscondi super montem constituta. Illi autem offendunt in montem» [13].

Arg. III. *Ratione et indole Ecclesiae.* Ingressus, magisterium, ministerium, regimen pluraque alia elementa Ecclesiae sunt visibilia, quibus interna etiam elementa patefiunt. Ergo Ecclesia est visibilis.

Prob. Ant. a) *Ingressus* quidem visibilis est, quia per Baptismum, qui sacramentum visibile est, unusquisque Ecclesiam Dei ingreditur, et ita ingressi efficiunt *corpus compactum et connexum per omnem functuram subministrationis* [14].

b) *Magisterium;* Petrus siquidem ejusque successores, Romani Pon-

1 ***Is.,*** 60, 3. Hunc locum non ad regnum millenarium, quod ultimis temporibus fore nonnulli catholici et plerique protestantes adseruerunt, sed ad praesentem Ecclesiae statum referri patet ex S. Luca, 4, 21, ubi Christus lecto c. 61, 1. Isaiae.quod intime connectitur cum capite 60, dixit: ***Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris.***

2 ***Matth., 5,*** 14-15.

3 ***Matth.,*** 3, 12.

4 ***Matth.,*** 13, 25 sqq.

5 ***Matth.,*** 13, 47.

6 ***Matth.,*** 21, 43.

7 ***I Tim.,*** 3, 15.

8 ***Joan.,*** 10, 16.

9 ***Act.,*** 20, 28.

10 ***Adv. haer.,*** lib. 4, c. 36, n. 2; MG 7, 1091.

11 ***In Is.,*** 2, 2; MG 66, 29.

12 ***Contr. Iit. Petii.,*** 2, 104, n. 239; ML 43, 343.

13 ***Tr. i, in ep. S. Joan*** , n. 13; ML 35, 1988.

14 ***Eph.***. 4. 10.

tifices, visibiliter exercuerunt et exercent munus a Deo acceptum pascendi gregem doctrinis fidei.

c) *Ministerium;* sacramenta visibilia omnibus Ecclesia dispensat, praedicationi operam dat, et alia permulta administrat, quae natura sua perspicua sunt et visibiliter apparent.

d) *Regimen* quoque Ecclesiae visibile est, quia hierarchia ecclesiastica, diversis ordinibus conspicuis constituta, cunctos fideles visibiliter dirigit ac gubernat.

e) *Plurimi tandem ritus,* sacramenta, professio fidei, etc., quibus vita socialis Ecclesiae disponitur et ordinatur, visibilia sunt.

His visibilibus elementis manifestantur etiam mediate interna Ecclesiae elementa. Quare analogiam merito statuunt nonnulli inter visibilitatem Christi et Ecclesiae. «Sicut in Christo, ait *Hurter*[1], duplex secernitur visibilitas, *humana* qua apparebat homo; et *divino-humana,* quatenus divinitas vel saltem divina ejus missio mediate per effectus in oculos incurrentes, ex quibus illa immediate potuit colligi et inferri, se prodebat miraculis, vita plane caelesti etc.;... ita in Ecclesia duplicem licet secernere visibilitatem, *humanam,* de qua imprimis loquimur, et *divino-humanam,* quatenus vita ejus supematuralis et praesentia Sancti Spiritus miris sed visibilibus se prodit modis, miraculis, sanctitate membrorum, etc.»[2]. Quam analogiam ipse Dominus confirmat dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*[3].

Solvuntur difficultates.

345. Obj. 1.° Scriptura sacra ubique nos docet Ecclesiam, spiritualem esse et occultam. Ergo frustra defenditur visibilitas Ecclesiae.

Prob. Ant. i) Regnum caelorum comparat Christus *grano sinapis* quod seminatur «; *fermento* quod mulier abscondit °; ac tandem diserte ait: *simile est regnum, caelorum thesauro abscondito in agro* [6]. Nomine autem regni caelorum Ecclesia intelligitur.

2) Item Christus *interrogatus... a Pharisaeis: Quando venit regnum Dei? Respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos est*[7]. Huc proculdubio referuntur illa verba Jeremiae: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam* [8].

3) Mulierem Samaritanam his verbis affatus est Dominus: *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* °. Quam doctrinam confirmatam habemus a *Petro: Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spi-*

1 ***Theol. dogm. Comp.,*** n. 198, nota.

2 Cfr. Hettinger, p. 2, § 2; Palmieri, ***Prolegom. de Ecclesia,*** § 10.

3 ***Joan.,*** 20, 21: Solemnem visibilitatis Ecclesiae definitionem paraverat idem Concilium Vaticanum in schemate his verbis: «Si quis dixerit divinarum promissionum Ecclesiam non esse societatem externam ac conspicuam, sed totam internam et invisibilem, a. s.». Schema const, dogm. ***De Eccl. Christi,*** c. 3-4, et can. 3; ***Coll. Lac.,*** vol. VII, p. 568 et 577.

4 ***Matth.,*** 13. 31.

5 ***Matth.,*** 13. 33.

6 ***Matth.,*** 13, 44.

7 ***Luc., iq,*** 20-21.

8 ***Jer.,*** 31, 33.

° ***Joan.,*** 4, 23-24.

ritualis *; et a *Paulo: In quo* (Christo) *omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* 1.

4) Denique ait Christus: *Pegnum meum non est de hoc mundo* 3.

Ergo Scriptura sacra saepius nos docet Ecclesiam spiritualem esse atque occultam.

Resp.—Neg. Ant. Sacrae litterae luce meridiana clarius nos docent Ecclesiam Christi visibilem esse ac perspicuam.

Ad dicendum est in praefatis et aliis, si quae sint, similibus parabolis non perspicuitatem Ecclesiae negari, sed magnum ejus pretium ac valorem celebrari. Verbum igitur *absconditum* non invisibilitatem Ecclesiae significat, sed pretium magnum ad instar thesauri absconditi innuit.

Ad 2.""i Regnum Dei non venit *cum observatione,* id est, cum splendore regio ac mundano. Voluit enim Christus ut Ecclesia in simplicitate potius quam in ostentatione appareret ac propagaretur.

Textus vero *regnum Dei intra vos est* dupliciter potest intelligi: a) quatenus innuit Ecclesiam inter judaeos tunc temporis jam inchoatam esse, quasi diceret; *regnum Dei in medio vestrum est*4. Quam interpretationem ipsi insigniores protestantes, ut *Rosenmuller* et alii, non reprobant, b) In quantum Ecclesia dicitur in affectu cujuslibet et facultate esse. Hoc sensu S. *Thomas* memoratum locum exponit dicens: «*Ecce regnum Dei intra vos est;* id est, in vestris affectibus et in potestate vestra id capere; potest enim quilibet homo justificatus per fidem Christi et virtutibus ornatus, regnum obtinere caelorum» 5:* Hoc, ut patet, non excludit visibilitatem Ecclesiae 8.

Ad 3."m Verba Christi a Joanne relata nullatenus, ut superius dictum est7, visibilitatem Ecclesiae ejusque opera externa in cultu Deo exhibendo excludunt. Significavit Dominus cultum Dei in nova Ecclesia magis spiritualem fore quam apud judaeos, eumque potius in operibus internis animae quam fuco externo exerceri debere, quin tamen opera externa Ecclesiae ullo unquam tempore damnari videantur. Cum autem Petrus apostolus hortatur fideles, ut fiant *lapides vivi* et *domus spiritualis,* loquitur de fine Ecclesiae proximo, qui, ceu probavimus, est interior hominis sanctificatio8. Vel, si mavis, potest dici *spirituale* opponi quidem *carnali* sed non *visibili.* Ita *Groot '.*

Ad 4.'"n Christi verba intelligenda sunt hoc modo: regnum meum non est de hoc mundo, id est, temporale ac mundanum. Hoc tamen non impedit quominus visibile sit atque perspicuum.

Obj. 2.° Ecclesia est objectum fidei juxta illud Symboli *Credo... sanctam Ecclesiam.* Objectum autem fjdei invisibile est. Ergo.

Resp. Ecclesia est objectum fidei sub uno conceptu, quatenus est institutio divina seu opus Domini N. Jesu Christi, Cone.; sub altero conceptu, in quantum est societas fidelium, Neg. Ecclesia enim, ut societas est et coetus fidelium, vere conspicitur. Eodem fere modo Christi incarnatio et divinitas invisibiles sunt, sed ipse Christus, natura divina et humana constans, visibilis est, quem motiva credibilitatis ostendunt Deum esse.

1 ***I Petr.,*** 2, 5.
2 ***Eph.,*** 2, 21.
3 ***Joan.,*** 18, 36.
4 Cfr. Murillo, ***La Iglesia Romana,*** lib. 1, secc. 3, c. 3, § 4.
5 ***Catena aurea in Luc.,*** 17, 20-21, n. 6.
8 Cfr. Franzelin, ***De Eccl. Chr.,*** th. 21.
7 Cfr. n. 70.
8 Cfr. Murillo, ***La Iglesia Romana,*** lib. i, secc. 3, c. 3, § 4.
° ***Summa apolog.,*** q. 3, a. 2.

ARTICULUS II

UTRUM ECCLESIA SIT SOCIETAS PERFECTA

346. Status quaestionis. 1) Quid et quotuplex sit societas et quid ad eam requiratur declaratum est superius quaest. 1, a. 3. Uberius nunc explicandum est, in quo consistat perfectio societatis, ut inde clarius pateat status quaestionis.

2) *Societatem perfectam* eam esse diximus, quae per se sola ad modum unius entis moralis uniformiter subsistit, et sibi sola sufficit pro fine suo consequendo. Unde *persona moralis,* cujus conditionem sortitur, quandoque recte appellatur. Est sui juris et non alterius. Quo igitur societas sit magis sui juris et ab aliis independens, eo erit perfectior, ut patet in *domo, civitate et regno.* Ex hac brevi notione fluunt conditiones *perfectae societatis,* nempe.

a) *Ut perfecte in se constituatur;* quod fit quando *a)* non est pars alterius societatis, et *b)* media habet in se pro conservatione propria suoque fine adipiscendo sufficientia (Independentia intrinseca).

b) *Ut sit ab omni alia societate vel potestate independens;* id est, ut finem habeat alteri non subordinatum \ et possit per se sola subditos seu membra in finem proprium mediis adaequatis ordinare.

3) Jam vero Ecclesia est societas religiosa, quae finem habet supernaturalem, ut supra satis ostensum est; consequenter, ut sit societas perfecta, media debet habere, independenter a qualibet alia societate, ad hunc finem adsequendum necessaria.

Hinc quaeritur, utrum Ecclesia sit societas a) *in se completa* seu *sui juris,* nullius alterius societatis partem constituens, id est, per se subsistens tum in esse tum in operari; b) *in ordine suo per se sufficiens,* id est, in ordine spirituali et religioso media habens sufficientia pro sociorum fine adipiscendo; et c) *a qualibet alia societate independens,* ita ut finis ejus alteri non subordinetur, et possit per se sola consequi finem proprium 1.

347. Errores, a) *Marsilius Patavinus, Joannes Jandunus,* et *Fr. Ubertinus de Casate* (Ordinis S. Francisci sodalis), saeculo xiv, ut *Ludovici Bavari* benevolentiam captarent, scripto opere *Defensor pacis,* docuerunt Ecclesiam civili potestati subjici debere3. Huic doctrinae subscripserunt *Gulielmus Ockam* et alii non pauci.

Eidem theoriae affine fuit systema regalistarum, qui, ut plures praerogativas principibus saecularibus tribuerent, jura libertatemque Ecclesiae non parum adstringere conati sunt 4.

b) *Protestantes,* Patavinum plerumque sequuti. Ecclesiam esse docuerunt principibus saecularibus subjectam; quod ut ostenderent, triplex systema excogitaverunt, *episcopale, territoriale* et *collegiate,* a) Juxta *systema*

1 S. Thomas, ***I-II,*** q. 90, a. 3 ad 3.

2 Cfr. Zigliara, ***Propaedeutica,*** lib. 4, c. 4, ŋ. IV.

3 Cfr. Mansi, vol. 25, col. 573 sqq.; et Hergenrather,* ***Hist, de la Igl.,*** per. 6, c. i, § 2, n. 20, 21.

1 Vide Hergenrather, ***Hist, de la Igl.,*** per. 8, c. 1, § 2.

episcopale jurisdictio a Christo episcopis collata suspensa est tractu temporis quoad exercitium, et dein omnino *subtracta,* principibusque saecularibus quoad omnia jura plene devoluta, b) Juxta *systema territoriale* princeps saecularis jure naturae habet plenam potestatem, etiam spiritualem, in suo territorio ex illo principio *cujus est regio illius est religio,* c) *Systema collegiale* docet Ecclesiam esse liberam fidelium adsociationem in qua omnes sunt aequales. Sed quia hujusmodi adsociationes formantur intra fines Status civilis, principi agnoscuntur jura *protegendi, invigilandi, imperandi, coercendi,* etc. Non pauci hodierni *liberales* et *rationalistae,* ut effrenatam cujusque licentiam foveant, hoc systema collegiale amplectuntur.

348. Thesis. Ecclesia est societas perfecta.

Arg. I. *Ex Christi institutione.* Satis perspicue colligitur ex sacris litteris voluntas clara et expressa Christi qua voluit Ecclesiam suam fore societatem perfectam. Ut suam Ecclesiam esse societatem a civili distinctam ostenderet diserte ait: *regnum meum non est de hoc mundo*[1]; ideo praecepit, ut quae essent Caesaris Caesari, et quae essent Dei Deo redderentur[2]. In hac societate seu regno habuit Christus supremam ac independentem potestatem, sicut ipse confessus est dicens: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* [3]. Porro in caelum jam jam reversurus reliquit Ecclesiam, eadem potestate quam acceperat a Patre munitam juxta illud: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*[4]. Petrum dein constituit Principem Ecclesiae suprema ac independent! fretum potestate: *Tibi dabo,* inquit, *claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* [5]. Per verba *quodcumque,* etc., significatur, ut vides, potestas suprema, cui competit media excogitare ad finem spiritualem necessaria. Jam vero Romanus Pontifex, Vicarius Christi, et Episcopi successores apostolorum, eamdem, quam Christus contulit Petro et apostolis, habent potestatem in ordine ad regimen Ecclesiae: *Attendite vobis,* ait Apostolus, *et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* [6]. Ergo manifestum est Ecclesiam ex sua institutione esse societatem perfectam.

Arg. II. *Ex indole Ecclesiae.* Societatem perfectam diximus esse quae a) sui juris est, b) in ordine suo per se sufficit, et c) a nulla alia pendet societate. Talis autem est Ecclesia Christi. Ergo.

Prob. Min.

a) *Sui juris est.* Non enim est alius societatis pars, sed ipsa subsistit per se, habet finem proprium, et operatur in ordine spirituali independenter ab omni elemento extraneo, ut natura et historia Ecclesiae satis nos docent. Sui ergo juris est et gaudet independentia intrinseca.

1 *Joan.,* 18, 36.
2 *Matth.,* 22, 21.
3 *Matth.,* 28, 18.
4 *Joan.,* 20, 21.
5 *Matth.,* 16, rg.
6 *Act.,* 20, 28.

b) *In ordine suo per se sufficit.* Christus Ecclesiam constituens finem ei praestitit spiritualem, ut supra dictum est. Hic autem finis, utpote spiritualis, independens est a qualibet societate civili. Ergo Ecclesia in ordine suo per se sufficit.—Praeterea, media debent esse fini proportionata. Finis autem Ecclesiae est spiritualis. Ergo et media oportet esse spiritualia. Media autem spiritualia nonnisi in societate spirituali inveniri possunt. Ergo in sola Ecclesia inveniuntur. Hinc S. *Thomas* ait: «Haec sufficientia (mediorum) est in Ecclesia; quia, quidquid necessarium est ad vitam spiritualem, invenitur in ea (Ps. 64): *Replebimur in bonis domus tuae*»[x].

c) *A nulla alia pendet societate.* Haec dependentia, si daretur, foret vel a) *indirecta,* in quantum finis ejus alteri subordinaretur, vel β) *directa,* quatenus potestas ipsius alteri subdita esset. At neutrum plane contingit. *Non primum,* quia finis Ecclesiae est ultimo gloria Dei, quae, utpote finis supremus, ulterius subordinari non potest. *Non alterum,* quia potestas Ecclesiae est supernaturalis divinitus ipsi collata; potestas vero civilis est naturalis. Supernaturale autem et divinum non potest naturali ac humanae potestati subordinari. Hinc Pius IX in encyclica *Quanta cura* damnavit quorumdam errorem, qui dicebant *ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili.*

Arg. III. *Ex documentis Ecclesiae.*

Pius PP. IX alloc. *Multis gravibusque,* 17 Dec. 1860 ait: «Id porro ex falsa protestantium doctrina derivatum intelligimus, qui autumant Ecclesiam in civili imperio quoddam vehiti collegium exsistere, nullisque proinde pollere juribus praeter ea, quae concessa illi sint atque attributa a civili potestate. Id autem quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Ecclesia nempe *ut vera et perfecta societas* a divino auctore suo fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac jura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat». Similia hahet in alloc. *Singulari quadam,* 9 Dec. 1854, et *Maxime quidem,* 9 Jun. 1862.

Jure etiam damnavit idem Pontifex propositionem 19 Syllabi: «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites intra quos eadem jura exercere queat». Confer quoque propositiones 20, 24, 28, 34, 41 et 44 ejusdem Syllabi, quae hanc materiam non parum illustrant[1].

Item *Leo XIII* in lift. encycl. 1 Nov. 1885 ait «Ecclesiam societatem esse non minus quam ipsam civitatem genere et jure perfectam». Ac

[1] ***In Ps.*** 45, 3.

[2] ***In Schemate Constitutionis dogm. «De Ecclesia Christi»,*** c. 3, Concilii Vaticani haec leguntur: «Docemus autem et declaramus Ecclesiae inesse omnes verae societatis qualitates. Neque societas haec indefinita vel informis a Christo relicta est; sed quemadmodum ab ipso suain exsistentiam habet, ita ejusdem voluntate ac lege suam exsistendi formam suamque constitutionem accepit. Neque eadem membrum est sive pars alterius cujuslibet societatis, nec cum alia quavis confusa aut commiscenda, sed adeo in semetipsa perfecta, ut, dum ab omnibus humanis societatibus distinguitur, supra eas tamen quam maxime evehatur». ***Coli. Lac., 7,*** 568.

in encyclica *Libertas,* 20 Jun. 1888 docet «divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quae ad naturam ac jura pertineant legitimae, summae et omnibus partibus perfectae societatis»[1]. Cfr. *Sapientiae Christianae,* 10 Jan. 1890.

Arg. IV. *Ex traditione.* Taediosus profecto forem, si longa SS. *Patrum* testimonia in confirmationem hujus veritatis proferre vellem·, duo tamen, quae celebriora sunt, nolim praeterire. Magnus Hossius Cordubensis ad *Constantinum* Imperatorem ajebat: «Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit»[2]. Et S. *Ambrosius* ait: «Tributum Caesaris est, non negatur: Ecclesia Dei est; Caesari utique non debet addici, quia jus Caesaris esse non potest Dei templum... Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est»[3].

349. Dices. Ad societatem perfectam requiritur determinatum territorium, ut omnes Statuum moderatores docent. Sed Ecclesia non habet territorium determinatum. Ergo.

Resp.—Neg. maj. Ad perfectionem siquidem societatis religiosae non requiritur determinatum territorium, sed sufficit potestas spiritualis in membra. Potestas autem spiritualis non continetur limitibus regionum sed ad totum mundum se extendit. Potest tamen dici Ecclesiam habere quidem determinatum territorium, idque esse universum mundum. Hinc graviter errant et vehementer falluntur, qui Ecclesiam volunt limitibus contineri, et docent Romanos Pontifices non posse suas Constitutiones ac documenta in locis temporali principum saecularium ditioni sujectis publicare sine revisione ac examine principum saecularium.

Quod si urgeas Statum in Statu esse non posse juxta commune juris naturae proloquium, respondetur *Statum in Statu* repugnare circa eumdem finem non circa diversos fines diversaque media[4].

ARTICULUS III

UTRUM ECCLESIA SIT SOCIETAS LEGALIS

350. Status quaestionis. 1) Juxta legisperitos et moralistas duplex ratione auctoris distinguitur lex, *divina* et *humana.* Divina potest esse *naturalis* vel *positiva.* Quatenus societas aliqua approbatur his legibus, nuncupatur *legalis.*

2) Ecclesia potest dici *legalis* juxta legem naturae dupliciter: *a)* in quantum est honesta et licita institutio, et *b)* quatenus, facta hypothesi de exsistentia institutionis, lex naturalis, quae praecipit legitimo superiori esse obtemperandum et media ad salutem necessaria esse quaerenda, adstringit nos ad Ecclesiam amplectendam.

3) Quoad legem *positivo-divinam* manifestum est Ecclesiam esse societatem legalem. Siquidem ab ipso Unigenito Dei, qui auctor est

1 Encycl. ***Libertas,*** 20 Jun. 1888, § «Alii». ***Acta S. S.,*** vol. 20, p. 612.
2 Apud S. Athanasium, ***Hist Arian.,*** η. 44; MG 25, 745.
3 ***lip 21 contra Auxent.,*** n 35; ML 16, 1061.
4 Cfr Ziitllnra, ***I'ropaedeutica,*** lib. 4, c. 5, obj. 3.

legis *positivo-divinae* instituta est. Christus autem, cum se ipsum negare non possit. Ecclesiam instituens juri positivo-divino derogare noluit.

4) Quaestio est de legalitate Ecclesiae quod *legem humanam.*

5) Ut punctum difficultatis melius intelligatur observandum est Ecclesiam non semper et ubique fuisse *de facto* introductam juxta leges particulares nationum, si leges dicendae sunt quae contra bonum reipublicae feruntur; quia, ut notum est, plerumque datae sunt et nunc dantur contra Ecclesiam in nationibus leges. Sed inquiritur, an Ecclesia, attentis constitutione, legibus fundamentalibus et consuetudinibus justis societatum civilium, sit perfecte legalis, ita ut possit ubique jure propagari, et, quidquid in contrarium fiat a potestate civili, inane sit atque irritum.

351. Errores, a) *Naturalislae,* praesertim *radicales* seu *absoluti,* qui volunt, ut Status in rebus ecclesiasticis se immisceat, legalitatem Ecclesiae magis vel minus directe negant.

352. Thesis. Ecclesia Christi est societas ubique legalis.

Arg. I. Christus Dominus jure divino Ecclesiam suam in terris instituit eamque per orbem terrarum legitime propagandam edixit: *Euntes,* inquit apostolis, *in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* 1. Quod autem jure divino constitutum est nequit per legem humanam legitime impediri, quia jus divinum semper praevalet dispositionibus humanis. Hinc *Leo XIII* egregie inquit: «Unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates *continuandum* transmisit, quod ipse a Patre accepit» 2. Ecclesia ergo potuit legitime se propagare.

Arg. II. Veritatem hujus theseos inductione probant theologi: a) *Jus hebraicum* nullatenus fuit per Ecclesiae constitutionem et propagationem violatum, quia lex hebraeorum utpote praeparatio et paedagogus ad Christum, cessavit Messia praesente, b) *Jus paganorum* omnes religiones, non excepta catholica, admittit ut veras, c) *Protestantes* admittunt religionem Christianam esse unice veram, cui principio innixa potest Ecclesia catholica, quae sola vere Christiana est, ubique propagari. d) *De schismaticis,* qui Ecclesiam catholicam ut veram habent, et aliquod dogma particulare inficiantur, idem dicendum est. e) *Mahumetismus* introductus est in locis, in quibus Ecclesia catholica erat in pacifica possessione, f) Neque tandem *nationes catholicae,* quae a veritate deflectentes in purum naturalismum vergunt, possunt Ecclesiam jure legitimo, quod acquisierat, privare 3. Hac de causa *Leo XIII* scribebat die 1.° Febr. 1885 ad Sinarum imperatorem, die 12 Maji 1885 ad imperatorem Japoniae, die 14 Aprilis 1895 ad anglos, et non semel ad ecclesias schismaticorum, sacerdotes catholicos, qui apostolico muneri propagandae Ecclesiae insistebant, nunquam potestati publicae rebusque

1 *Mare.,* 16, 15.

2 Encycl. *Immortale Dei,* 1 Nov. 1885; § «Nam Unigenitus»; *Acta S. Sedis,* vol. 18, p. 164.

3 Cfr. Mazzella, *De religione et Ecclesia,* n. 498 sqq.

civilibus quidquam attulisse incommodi, sed plurimas potius utilitates omnium consensu peperisse.

353. Si *dicas* ex concessa Ecclesiae legalitate et ubique se propagandi libertate plures inter auctoritates oriri conflictus et inter cives dissensiones, *respondetur* hujusmodi conflictus et discordias nunquam ex Ecclesiae legalitate et independentia *per se,* sed *per accidens,* malitia scilicet hominum, quandoque oriri, sicut ex auctoritate civili et judiciaria, quae ordinem natae sunt in civitate servare, non *per se* sed *per accidens* non leves quandoque civium lites et animorum agitationes solent oriri. Unde *Leo XIII* apposite ajebat ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae: «Sine causa civilia imperia suspicionem et offensionem capiunt de libertate Ecclesiae, quum demum vel civilis vel sacrae potestatis idem sit principium, unice a Deo. Ideoque non possunt inter se aut discrepare aut impediri aut elidi, cum neque Deus constare sibi non possit, neque opera ejus queant inter se pugnare; quin etiam miro commendantur causarum rerumque concentu» [1]. Et in encyclica *Arcanum* 10 Febr. 1880 aequiorem dicebat et sanctiorem per religionem Christianam effici principum auctoritatem.

ARTICULUS IV

UTRUM CHRISTUS INSTITUERIT ECCLESIAM INFALLIBILEM IN CONSERVANDO ET PROPONENDO DEPOSITO REVELATIONIS

354. Status quaestionis. 1) Sicut diximus superius, oportet, ut apologeta catholicus demonstret Christum instituisse Ecclesiam in conservando et proponendo deposito revelationis infallibilem, et quamvis haec materia magis dilucidabitur ex principiis revelationis, dum agendum erit de constitutione Ecclesiae, probandum tamen est in praesenti lumine naturali rationis, ex historia et exigentiis ipsius Ecclesiae, Christum instituisse Ecclesiam in conservando et proponendo deposito revelationis infallibilem.

2) Infallibilitas non est impeccabilitas, ut aliqui protestantes immerito dixerunt[2], neque simplex ignorantia de facto, sed inerrantia juris [3], et definiri potest: *Privilegium a Christo concessum, quo quis errare non possit.*

Ex parte Dei importat adsistentiam Spiritus Sancti, quae ab errore quempiam reservat, et ex parte Ecclesiae denotat praerogativam, quae tribuit jus non errandi.

3) In Ecclesia considerandi sunt Pastores, qui veritatem docent atque exponunt, et dicuntur habere infallibilitatem *activam,* et fideles, qui res fidei credunt, et ipsis convenit infallibilitas *passiva.* Omnes suo modo concurrunt ad conservationem et explicationem revelationis, sed praecipue consideranda est infallibilitas activa, quae est in Ecclesia docente.

4) Objectum infallibilitatis in praesenti est custodia et expositio depositi revelationis.

[1] Encycl. ***Officio Sanctissimo,*** 22 Dec. 1887, § *In bonis autem»; ***Acta S. Sedis,*** vol. 20, p. 270.

[3] Cfr. Hervé, vol. I, η. 435·

[8] Cfr. Boulonner, ***Manuel d'Apologétique,*** n. 330.

Quaeritur, an Ecclesia Christi docens polleat praerogativa infallibilitatis in custodiendo et exponendo deposito revelationis.

355. Errores, i) Protestantes *orthodoxi* contendunt depositum revelationis sola interpretatione et examine individual! custodiri atque exponi, dum protestantes *liberales* et *rationalistae* negant absolute in Ecclesia dari auctoritatem infallibilem.

2) *Jansenistae* ac *pistorienses* dixerunt infallibilitatem in custodiendo et exponendo deposito revelationis solo coetui fidelium immediate fuisse concessam, et a communitate fidelium ad Pastores derivari *.

3) Juxta modernistas docenti Ecclesiae in hac re nihil superest, nisi communes discentis Ecclesiae opinationes sancire 1.

356. Thesis. Christus instituit Ecclesiam infallibilem in custodiendo et exponendo deposito revelationis.

Arg. 1) Christus expresse ait Petro: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non pravalebunt adversus eam* 34 Praecipua autem soliditas Ecclesiae attendenda est penes unitatem doctrinae revelatae. Ergo Christus annuntians Ecclesiam suam nunquam fore demoliendam, docuit eam nunquam amissuram depositum revelationis. Unde Apostolus vocat Ecclesiam *columnam et firmamentum veritatis* i.

2) Dominus misit apostolos eorumque successores docere omnes gentes doctrinam revelationis, et promisit eis adsistentiam in docendo dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* 56

3) Natura ipsius Ecclesiae hoc exigit. Est enim societas a Christo instituta, ut in ea fideles omnium saeculorum sua doctrina imbuti salvi fiant. Si autem Ecclesia in custodiendo et exponendo deposito revelationis falleretur, fideles per doctrinam ipsius non possent salvi fieri. Ergo.

ARTICULUS V

UTRUM ECCLESIA CHRISTI SIT INDEFECTIBILIS

357. Status quaestionis. Indefectibilitas est *dos seu qualitas, qua Ecclesia Christi est perenniter usque ad finem mundi falis duratura, qualis a Christo fuit instituta.* 1) Significat Ecclesiae durationem a Christo usque ad finem mundi. 2) Excludit variationem essentialem in notis Ecclesiam constituentibus, unitate, sanctitate, etc. 3) Respicit societatem ecclesiasticam universim non singulos homines aut societates particulares 6.

1 Denz-Bannw., 1502.
2 Decr. ***Lamentabili,*** prop. 6; Denz-Bannw., 2006.
3 ***Matth.,*** 16, 18.
4 ***I Tim.,*** 3, 15.
5 ***Matth.,*** 28, 20.
6 Non obstat quominus ecclesiae particulares aliquando deficiant, vel ipsa Ecclesia catholica in accidentalibus mutetur.

358. Errores, a) *Donatistae* olim docuerunt Ecclesiam catholicam esse defectibilem, et extra Africam defecisse; imo et in Africa in Donati tantummodo parte contineri *.

b) *Ex protestantibus. a)* Nonnulli dixerunt Ecclesiam non solum esse defectibilem sed et olim absolute defecisse, novamque exspectari oportere oeconomiam quam vocant Spiritus Sancti. Sic anabaptistae et adventistae seu milleritae a duce W. Miller. Nova haec oeconomia, quam vocant Spiritus Sancti, anno 1770 juxta swedenborgianos et anno 1830 juxta irvingianos advenit 5. *b)* Alii docuerunt Ecclesiam ad tempus defecisse; sic sociniani, arminiani, etc.[2] *c)* Alii denique voluerunt Ecclesiam defecisse quoad visibilitatem, et permanere invisibilem. Ita *Lutheries* *, *Calvinus*[7] et alii.

c) *Quesnellus* jactabat *senectutis Ecclesiae* signa manifesta se conspicere [8] et *synodus pistoriensis* sparsam esse docuit generalem obscuritatem eorum, quae sunt basis fidei et doctrinae moralis Jesu Christi [9].

d) *Naturalistae* denique, *rationalistae* et *increduli* blaterant sese Ecclesiam Christi brevi demolituros ejusque funus decantaturos [8].

359. THESIS. Fide catholica tenendum est Ecclesiam Christi esse indefectibilem.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Christus in terris vivens hanc veritatem passim tradidit. *Tu es Petrus,* ait Principi apostolorum, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [10]. Promisit deinde se Ecclesiae adfuturum *usque ad consummationem saeculi* [11], necnon Spiritum Sanctum a Patre daturum, *ut maneat vobiscum in aeternum* [12]. Unde Paulus Ecclesiam vocat *columnam et firmamentum veritatis* [13]; et adserit nos, quotiescumque manducamus panem eucharisticum et calicem bibimus, mortem Domini annuntiaturos *donec veniat*[13], «id est, addit Angelicus, usque ad ultimum ejus adventum» [14].

Arg. II. *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «Inter tot mundi freta Ecclesia Domini tanquam supra apostolicam aedificata petram immobilis manet, et inconcusso adversum impetus saevientis sali perseverat fundamine. Alluitur undis, non quatitur; et licet frequenter elementa mundi hujus magno illisa resulent fragore, habet tamen quo laborantes

1 Cfr. S. Augustinus, ***De haeres.,*** c. 69; ML 42, 43; et Hergenrôther, ***Hist, de la Igl.,*** per. 2, n. 37.
2 Cfr. Hergenrüther, ***Hist, de la Igl.,*** t. 6, p. 71 et 497.
3 Cfr. Crosta, n. 488.
4 ***De abrog. miss, prie.,*** «Quod vero dicunt».
5 ***Inst.,*** 4, c. i, n. 3.
6 Vid. Const. ***Unigenitus*** Clem. XI, 8 Sept. 1713, prop. 95; Denz-Bannw., 1445.
7 Vid. Const. ***Auctorem fidei*** Pii VI, 28 Aug. 1794, prop. 1; Denz-Bannw., 1501.
8 Cfr. opera Harnack, Pfleiderer, Rossenmuller (Ernesto), Strauss, Voltaire, Wellhausen, necnon sectae massonicae coryphaeorum scripta.
9 ***Matth.,*** 16, 18.
10 ***Matth.,*** 28, 20.
11 ***Joan.,*** 14, 16.
12 ***I Tim.,*** 3, 15.—Cfr. Bossuet, ***Première instr, past, sur les promesses de l'Église,*** «Ailleurs».
13 ***1 Cor.,*** 11, 26.
14 ***Exposit. in I Cor.,*** c. 11, loot. 6 in fine.

excipiat, tutissimum portum salutis» x. Rursum: «Ecclesia... obumbrari potest, deficere non potest»2.

S. *Joannes Chrysostomus* inquit: «Ecclesia... nunquam senescit, sed semper viget. Quamobrem ejus firmitatem stabilitatemque demonstrans Scriptura *montem* illam vocat» 3.

S. *Augustinus:* «Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus saeculi finis» 45

Arg. III. *Ex Ecclesiae documentis.* Concilium oecumcnicum Vaticanum de perpetuitate primatus agens ait: «Quod autem in beato Apostolo Petro Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium, Dominus Christus, *in -perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae* instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est» s.

360. Obj. Diserte Christus praenuntiavit defectionem Ecclesiae dicens *(Luc.,* 18, 8): *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra·'*

Resp. Per haec verba non totalis fidei et Ecclesiae extinctio sed particularium defectio significatur. Egregie *Suarez* hunc locum explicat dicens: «Dicendum est per hanc persecutionem majorem fortasse fidelium partem a Christo defecturam; militantem tamen Ecclesiam non esse vi persecutionis exstinguendam. Postrema pars de fide est, ut notavit *Augustinus, De Civit. Dei,* 20, 11; dicit enim Christus: *Propter electos breviabuntur dies illi»e.* Addi potest cum S. *Bellarmino* «Christum non loqui *de fide simpliciter,* sed de eximia quadam fide, quae in paucis reperitur, et in paucissimis reperietur in ultimis his diebus» '.

1 ***Ep. 2,*** n. 1; ML 18, 917.

2 Hexaem., lib. 4, n. 7; ML 14, 204.

3 ***Hom. de capi. Eutropii,*** n. 6; MG 52, 402.

1 ***Enarrat, in Ps.*** 60, 6; ML 36, 726.

5 ***Sess.*** 4, c. 2; Denz-Bannw., 1824. Expressius hujus doctrinae definitionem paraverat concilium ***in Schemate Const, dog. de Ecclesia Christi,*** c. 8, rationemque adjunxerat dicens: «Declaramus insuper Christi Ecclesiam, sive exsistentia sive constitutio ejus spectetur, societatem esse perennem atque indefectibilem, nullamque post illam neque pleniorem neque perfectiorem salutis oeconomiam in hoc saeculo exspectandam esse. Etenim, cum ad finem usque mundi qui in terris peregrinantur mortales Christo auctore salvandi sint, Ecclesia ipsius, quae sola est salutis societas, ad finem usque mundi in sua constitutione immutabilis semper et immota persistet. Quare Christi Ecclesia nunquam potest excidere suis proprietatibus et dotibus, sacro suo magisterio, ministerio et regimine, ut Christus per corpus suum visibile perpetuo sit omnibus hominibus via, veritas et vita». Duosque proposuit canones his verbis: 7: «Si quis dixerit eamdem Christi Ecclesiam posse offundi tenebris aut infici malis, quibus a salutari fidei morumque veritate aberret, ab originali sua institutione deviet, aut depravata et corrupta tandem desinat esse, a. s.» 8: «Si quis dixerit praesentem Christi Ecclesiam non esse ultimam ac supremam consequendae salutis oeconomiam, sed exspectandam esse aliam per novam et pleniorem divini Spiritus effusionem, a. s.». ***Coli. Lac., 7,*** 569, et 577.

° Vid. S. Thomas, ***I-II,*** q. 106, a. 4.

' ***De Eccl. mil.,*** lib. 3, c. 16, «Ad illud».

ARTICULUS VI

UTRUM ECCLESIA CHRISTI PROGRESSU SUCCESSIVO IN MELIUS SIT MUTANDA

361. Status quaestionis. 1) Progressus Ecclesiae potest supponi *subjectivus* vel *objectivus.* Nihil obstat, quominus *status subjectivus,* qui Ecclesiae membra afficit, melior in dies evadat, quatenus gratia et dona Spiritus Sancti perfectius et abundantius quibusdam communicantur. De *statu objective,* qui ipsam Ecclesiae naturam, et quae ex ea consequuntur proprietates, characteres, circumstantias, etc., respicit, difficultas manet, an tractu temporis progredi valeat.

2) Hic *status objectivus* Ecclesiae considerari potest a) *quoad ea quae sunt Ecclesiae essentialia,* ut dogmata, sacramenta, proprietates, dotes, potestas, etc., b) *quoad ea quae sunt ipsi accessoria,* ut modus penitior vel magis scientificus exponendi dogmata, ritus administrationis sacramentorum, modus jejunandi, etc.

Compertum est Ecclesiae statum objectivum in rebus accessoriis mutari ac perfici posse. Quaeritur hic, an in rebus essentialibus pariter progredi valeat objective.

362. Errores, a) Almarici quidam discipuli, qui *exspectatores Spiritus S.* appellati sunt, ineunte saeculo xm, dixerunt tres religionis status seu regna esse distinguendos, «Patris sub Lege Veteri, Filii sub Lege Nova usque ad saeculum xm, et exinde Spiritus Sancti, in quo postremo statu, abrogatis sacramentis, sacrificio, omnique cultu externo, quisque sola interna Spiritus gratia salvaretur» L Deinde *joachinistae,* ab abbate Joachim Floriensi, hanc religionis divisionem in tres status seu regna ab *exspectatoribus* inductam admiserunt, et dixerunt in regno Patris, id est, in Veteri Testamento regimen ecclesiasticum esse commissum conjugatis, et homines vixisse secundum carnem; in regno Christi, quod ab initio Novi Foederis ad annum usque 1260 protractum est, regimen ecclesiasticum demandatum esse viris ecclesiasticis, fidelesque vitam traduxisse secundum carnem et spiritum in familiari consortio; in regno denique Spiritus Sancti, quod ab anno 1260 ad finem usque saeculorum durabit, Ecclesiae regimen fore apud monachos, hominumque vitam fore pure spiritualem.

Huic theoriae subscripserunt aliqui franciscani rigoristae dicentes regnum Spiritus S. et Evangelii aeterni incepisse a S. Francisco. Petrus Joannes de Olivi et Ubertinus de Casale septem Ecclesiae epochas distinxerunt *.

b) *Irvingiani* et *millenaristae,* sicut dictum est, necnon pseudo-prophetae, qui ex sectis protestantium in Anglia et Statibus Foederatis Americae his temporibus pullulant, novum adventum Domini exspectant. Sionque renovandam promittunt s.

c) *Kationalistae* et *increduli* clamant hodie contra praesentem Ecclesiae constitutionem, et volunt aliam statuendam esse, quae, abrogatis sacramentis, sacerdotio et cultu externo, in cultu interno cordis consistat, et

1 Wouters, ***Hist. Eccl.,*** epoch. 8, n. 5.

3 Cfr. Horgonrttther, ***Hist, de la Igl.,*** t. 4, pag. 92-94, (ed. Matrit. 1887), et Holzapfel, ***Man. Hist. Ord. Er. Min.,*** p. 45 sqq.

3 Vid Eduard Irving, ***Oracles of God, et sermons, lectures and apeches.***— Newman, ***Loss and Gain,*** p 3, c. 7.

progressui moderno respondeat. Hanc dicunt esse a Christo institutam [1]. Ipsi tamen cordis puritatem cultumque internum, quos tantopere jactitant, omnino negligunt [2].

d) *Güntherus* et, qui ipsum sequuti sunt, discipuli, contendunt dogmata catholica non recte interpretari in theologia, et aliquando fore, ut aliter interpretentur [3].

e) *Americanistae* demum retroactis annis docuerunt et *modernistae* hodie putant doctrinam Ecclesiae esse perfectibilem et progressui philosophico subjectam [4].

363. Thesis. Ecclesia Christi quoad essentialia nunquam progredi vel in melius mutari valet.

a) Diserte Christus promisit suam Ecclesiam usque in finem mundi immutabilem fore, cum ait: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe... et tunc veniet consummatio* [5]. b) Oeconomia praesentis Ecclesiae in essentialibus est perfectissima et fini adsequendo proportionata. c) Concilium Vaticanum ait: *Sensus (sacrorum dogmatum) perpetuo est retinendus, quem semel declaravit S. M. Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum* [6]. Rursus: *Si quis dixerit jieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s.* [7]

ARTICULUS VII

UTRUM ECCLESIA ITA SIT NECESSARIA, UT EXTRA EAM NEQUEAT OBTINERI SALUS

364. Status quaestionis. 1) Loquimur hic de necessitate non *absoluta* sed *hypothetica,* quae est in ordine ad finis consecutionem [8]. Porro necessarium hypotheticum duplex distinguitur a moralistis, aliud *medii,* aliud *praecepti. Primum* est id, sine quo, etiamsi inculpabiliter omittatur, finis obtineri nequit. *Alterum* dicitur, quod ita praeceptum est a superiore, ut si inculpabiliter omittatur, potest sine eo finis adipisci [9].

2) Dupliciter potest aliquis ad Ecclesiam pertinere: a) *in re,* quando baptismo initiatus doctrinam Ecclesiae profitetur, b) *in voto,* et quidem *explicite,* si baptismum suscipere cupiens aliquo detinetur impedimento, vel *implicito,* cum bona fide extra Ecclesiam manens habet propositum jussa Dei exsequendi.

1 Renan, ***Vie de Jésus,*** ch. 5. blasphemat de more circa hoc.
2 Cfr. De Broglie, ***Le progrès religieux.***
3 Ephem., ***Lydia*** et aliis operibus.
4 Cfr. Leonis XIII, ep. ad Em. Card. Gibbons, 22 Jun. 1899; ***Acta S. Sedis,*** vol. 31, p. 470 sqq.; et Pii X, encycl. ***Pascendi, § Evolvi*** et ***Porro;*** Denz-Bannw., 2080, et 2094.
5 ***Matth.,*** 24, 14.
6 ***Sess.*** 3, C. 4; Denz-Bannw., 1800.
7 ***Sess.*** 3, C. 4, »De fide et ratione», can. 3; Denz-Bannw., 1818.
8 Cfr. superius ***Prolegom.,*** a. 3, n. 12.
9 Cfr. Moralistas.

3) Item nonnulli pertinent *ad corpus Ecclesiae,* ut omnes baptizati, qui, nulla censura irretiti, doctrinam catholicam profitentur; alii ad ejus *animam,* ut illi qui nondum baptizati gratiam sanctificantem per actum contritionis vel amoris divini adepti sunt.

4) *Ignorantia* qua quis ab Ecclesiae sinu avertitur, alia est *vincibilis,* quae morali adhibita diligentia superari potest, alia *invincibilis,* quae moraliter superari non potest[1].

365. His ita praelibatis, statuenda sunt quaedam principia.

1."m principium. *N'ecessarium est, necessitate medii ad salutem, pertinere saltem ad animam Ecclesiae.* Ratio est, quia nemo potest salutem aeternam consequi, nisi sanctitatem vitae, gratiam scilicet habitualem, per fidem, spem et caritatem supernaturalem adeptus fuerit. Hinc nullus peccato mortali infectus intrabit in regnum caelorum.

2.l,n' principium. *Necessarium pariter est, necessitate medii ad salutem, pertinere in voto explicito vel implicito ad corpus Ecclesiae.* Quia ad salutem necesse est propositum habere exsequendi mandata Dei. Deus autem praecipit Ecclesiam ingredi. Omnes, qui per actum contritionis sanctificantur et Deum diligunt, dicendi sunt hoc votum habere.

3.“"' principium. *Non est necessarium, necessitate medii ad salutem, pertinere in re ad corpus Ecclesiae; idcirco, plures, qui ad corpus Ecclesiae in re non pertinent, revera salvantur.* Fieri enim potest et de facto saepe contingit, ut plures in errore bona fide versantes parati sint mandata divina exsequi, et superno lumine perfusi actum contritionis emittant; hi sanctitatem in hac vita et salutem aeternam in altera consequi possunt[2]. Hinc damnata est ab Ecclesia Baji 68 propositio: «Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est».

Duplici autem capite possunt homines ab Ecclesia amplectenda excusari.

a) *Ignorantia invincibili;* quando aliquis vel revelationem Christianam vel obligationem eam amplectendi invincibiliter ignorat. Unde non sunt a salvatione excludendi plures ethnici, protestantes, judaei, schismatici, etc., qui, bona fide in errore manentes, honestam traducunt vitam[3].

b) *Impotentia,* in quantum nonnulli ab ingressu Ecclesiae, quam cognoscunt esse veram, aliquo impedimento detinentur, ut catechumeni, qui, si caritate perfusi ante baptismum moriantur, revera salvantur.

Quaestio est de necessitate *praecepti,* et inquiritur, an sit ita neces-

1 Cfr. Raphael a S. Joseph, ***De actibus humanis,*** n. 108.

2 Vid. S. Bellarmin., ***De Eccl.,*** lib. 3, c. 3: Manterola, ***Afirmaciones catblicas,*** i.a p., c. I.

3 Vehementer circa hoc errasse videntur Müller—***The Cathol. Dogma, Extra Ecclesiam non est salus***—et alii qui, opinati sunt protestantes bona fide extra Ecclesiam versantes salvari non posse. Ad rem Pius PP. IX in encycl. ad Card. Archiep. et Episcopos Italiae 10 Augusti 1863: «Notum Nobis Vobisque est eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant... posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam; cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis qui voluntarie culpae reatum non habeat». Denz-Bannw., 1677. Eadem docuit Innocentius III, lib. 3, Decret, tit. 42, c. 2.

sariüm ad *corpus* Ecclesiae in re pertinere, ut nemo, scienter et libere extra eam manens, salvus esse possit.

366. Errores. *Indifferentistae,* tum *absoluti,* quibus de religione inutilis est quaestio, tum *relativi* seu *mitiores,* qui omnium religionum (universales) vel saltem omnium sectarum Christianismi (particulares) agnoscunt utilitatem; *tolerantistae* saltem *dogmatici* qui, non secus ac indifferentistae universales, ajunt omnes religiones esse aeque bonas; et *protestantes liberales,* qui articulis uti ajunt fundamentalibus [1] sunt contenti, contendunt posse quemlibet salutem consequi aeternam, quamvis scienter et libere extra Ecclesiam versetur.

367. Thesis. Jure divino positivo praeceptum est, ut omnes ad Ecclesiam pertineant. Quare nemo scienter et libere extra eam manens salutem aeternam consequi potest.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.*

a) Christus Dominus, jactis semel Ecclesiae fundamentis, expresse praecepit, ut rebelles fratres Ecclesiae denuntiarentur, et illico ait: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [2]. Quo significare voluit eos, qui Ecclesiam audire renuunt, extra viam salvationis versari. Et apostolis in praedicationem et Ecclesiae propagationem ituris diserte inquit: *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* [3]. Hinc manifeste sequitur eos, qui praedicationi apostolorum et Ecclesiae doctrinae non adsenserint, condemnatum iri.

b) Nemo potest salvus fieri nisi per Christum, qui est *via, et veritas et vita* [4], quia sicut ipse ait: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* [5]; et Paulus *non est,* inquit, *in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* [6]. Hinc omnes salvandi vivificari debent vita et influxu Domini nostri Jesu Christi. Qui autem sciens et volens extra Ecclesiam versatur, non vivificatur a Christo, quia sponte se subtrahit a corpore ejus mystico, quod est Ecclesia. Ergo. *Minorem* hujus argumenti confirmasse videtur Christus, cum apostolis eorumque successoribus ait: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me* [7].

Arg. II. *Ex traditione.* Traditio universalis, inde ab apostolis ad haec usque tempora, eamdem nos docet veritatem. Apostoli enim semper hoc et ubique praedicaverunt. Deinde SS. Patres gravissimis verbis docuerunt neminem posse extra Ecclesiam salvum fieri. Unde S. *Cyprianus* ait: «Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi... Habere jam non potest Deum Patrem, qui

1 Vid. Jurieu, ***Traité de l'Église,*** tr. 6, c. 2, qui Erasinum sequutus hoc systema proposuit.

2 ***Matth.,*** i8, 16-17.

3 ***Marc.,*** 16, 15.

4 ***Joan.,*** 14, 6.

5 ***Joan.,*** 14, 6.

6 ***Act.,*** 4, 12.

7 ***Luc.,*** 10, 16.

Ecclesiam non habet matrem»1. Et S. *Augustinus* de quodam Emerito, episcopo donatista, ajebat: «Extra Ecclesiam catholicam totum potest (habere) praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare alleluia, potest respondere amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fidem et habere et praedicare, sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire» 2. Evolve, si vis aliorum Patrum volumina, et Ecclesiam invenies arcae Noe comparatam extra quam nemo salvari potuit tempore diluvii. Hinc Concilium Lat. IV c. *Firmiter* hanc doctrinam confirmavit his verbis: «Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur». Haec fuit formula fidei quam *Innocentius III* waldensibus subscribendam profitendamque proposuit, haec doctrina, quam *Eugenius IV in Decreto pro jacobitis* tradidit, haec tandem veritas, quam Ecclesia universalis semper professa est ac tenuit.

Arg. III. *Ex Romanorum Pontificum documentis.* Romani Pontifices hanc semper thesim docuere. Hinc *Pius PP. IX* in alloc. *Singulari quadam* 9 Dec. 1854 haec habet: «Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum» 3.

368. Scholion. a) Ipsi protestantes, saltem vetustiores, hanc doctrinam loquendo de Ecclesia Christi in genere professi sunt. Unde *confessio altera helvetica* haec statuit: «Communionem vero cum Ecclesia Christi vera tanti facimus, ut negemus eos coram Deo vivere posse, qui cum vera Dei Ecclesia non communicant, sed ab ea se separant» 4. Id ipsum decernunt *articuli anglicani,* aliaeque confessiones fidei, cathe-

1 ***De unit. Eccl.,*** n. 6; MI- 4, 519.

2 ***Serm. ad Caes. eccl. plebem.,*** n. 6; MI. 43, 695. Cfr. etiam ipse Augustinus, ***De Baptismo,*** lib. 4, c. 17; MI- 43, 170.

3 Idem Pontifex damnavit in Syllabo sequentes propositiones: 15: «Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit». 16: «Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt». 17: «Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur». 18: «Protestantismiis non aliud est quam diversa verae ejusdem Christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est». 77: «Aetate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis». 79: «Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum inores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam». Et schema Const. Dogm. ***De Ecclesia Christi,*** c. 7, Concilio Vaticano exhibitum haec habet: «Porro dogma fidei est extra Ecclesiam salvari neminem posse. Neque tamen, qui circa Christum ejusque Ecclesiam invincibili ignorantia laborant, propter hanc ignorantiam poenis aeternis damnandi sunt, cum nulla obstringantur hujusce rei culpa ante oculos Domini, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quique facienti, quod in se est, non denegat gratiam, ut justificationem et vitam aeternam consequi possit; sed hanc nullus consequitur, qui a fidei unitate vel ab Ecclesiae communione culpabiliter sejunctus ex hac vita decedit. Si quis in hac arca non fuerit, peribit, regnante diluvio». ***Coli. Lac.,*** 7, 569.

1 Apud Sohalt, ***Creeds 0/ Christendom,*** vol. 3.

chismi, etc., protestantium, ut videre est apud *Fratres Walenburch* S *Schajff* 1, *Hettinger* 3*et alios. Diximus loquendo *de Ecclesia Christi in genere,* quia, ubi venitur ad designationem Ecclesiae catholicae, ad quam oportet quemlibet pro salute consequenda pertinere, exprobrant Ecclesiae Romanae intolerantiam, clamant contra horrores, quos fingunt, inquisitionis, et accusant nos de persecutionibus innumeris contra haereticos promotis. Sed qui haec et alia catholicis objiciunt, deberent prius illud considerare Christi Salvatoris dictum: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* «Nunquam enim, ait apposite *Hurter* 5, ita persecuta est (Ecclesia) haereticos, ut reges et reipublicae protestantes, catholicos. Prae oculis habeantur tantum, non dico poenae, sed crudelitates anglorum, batavorum, russorum, etc., qui vexarunt catholicos. De solo Henrico VIII constat, eum morti tradidisse plerumque ob religionis motivum duas reginas, duos cardinales, 12 duces et marchiones, 18 barones et equites, 77 abbates et priores, et fatentibus ipsis protestantibus e plebe 72.000, cum tamen ejus regnum sat parvum esset, quod numeraret tantum c. 4.000.000 subditorum»6.

b) Item *rationalistae* et *politici* non pauci accusant Ecclesiam de nimia intolerantia ex qua saepe persecutiones ortae sunt et non semel sequuta sanguinis effusio. Sed haec retorqueri possunt contra ipsos. Notum enim est hodiernas populorum constitutiones ita ansam praebere socialistis, communistis, et aliis societatibus, ordinem socialem subvertentibus, ut tumultus populares non raro concitent, quibus coercendis auctoritas, impar cum sit, opus habet armorum apparatu et copiosa saepe sanguinis effusione. His in perturbationibus major proculdubio sacrificatur hominum numerus, quam in antiquis carceribus inquisitionis, a quibus tantum abhorrent politici moderni. Melius foret etiam hodie, statutis legibus, et sancitis, ubi opus fuerit, salutaribus poenis, unitatem religiosam debite custodire, et conflictus, prius quam eveniant, praecavere, quam exortas perturbationes cruento certamine cohibere. Ecclesia nunquam haereticos ad poenam capitalem damnavit, sed interdum brachio saeculari tradidit; Statuum vero moderatores puniebant poenis corporalibus haereticos, quia crimen haereseos non solum religiosum sed etiam civile erat delictum contra leges civiles unitatem religiosam civibus praescribentes.

1 ***Oe controversiis,*** tr. 3, s. 18. Migne, ***Theol. Cursus compl.,*** 1, 852.
2 ***Op. citato.***
3 ***Theol. fund.,*** part. 2, § 4.
1 ***Matth.,*** 7, 3.
5 ***T)e Eccl.,*** n. 223, nota.
6 Hac de re omnino consulendi sunt Newman, ***Present Position of Catholics in England,*** lect. 5; Balmes, ***El Protestantisme comparado con el Catolicismo,*** cc. 34-37 et alii.

QUAESTIO XVII

DE PROPRIETATIBUS SEU NOTIS VERAE ECCLESIAE

ARTICULUS I

QUAE SINT IN GENERE PROPRIETATES SEU NOTAE ECCLESIAE

369. 1) Proprietates Ecclesiae dicuntur characteres seu attributa, quae ex ipsa Ecclesiae essentia enascuntur vel dimanant. Quatuor solent numerari juxta illud symboli nicaeno-constantinopolitani: *Credo... in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam*. Ut ratio formalis *proprietatum* et *notarum* apprime cognoscatur, animadvertendum est cum *Mazzella* 1 characteres Ecclesiae dupliciter posse considerari: a) prout sunt quaedam attributa Ecclesiae intrinseca a cujus essentia ut perfectiones intrinsecae profluunt, et sic appellantur *proprietates,* quibus Ecclesia Dei nobis innotescit *in abstracto;* b) quatenus extrinsece ostendunt vel manifestant Ecclesiam Christi *in concreto,* ab omnibus sectis adulterinis discretam, et vocantur *notae* 2. *Proprietates* igitur et *notae* Ecclesiae sunt idem, aliter tamen et aliter consideratae. Prout significant attributa essentialia Ecclesiae in abstracto *proprietates* dicuntur, prout Ecclesiam in concreto manifestant, *notae* vocantur.

2) Hae notae possunt esse *negativae* vel *positivae* eo modo quo dictum est supra de criteriis seu notis revelationis 3. *Negativae* Ecclesiam in concreto a falsitate esse immunem ostendunt, et possunt ad arbitrium pro cujusque necessitate multiplicari; *positivae* de quibus hic agitur Ecclesiae veritatem manifestant.

Notae positivae, ut apposite ait *Bellarminus,* «non quidem efficiunt *evidenter verum* ipsam esse veram Dei Ecclesiam, sed tamen efficiunt id *evidenter credibile;* nec enim est idem evidenter verum et *evidenter credibile*... Apud eos autem, qui admittunt Scripturas divinas et historias ac Patrum veterum scripta, faciunt etiam evidentiam veritatis. Tametsi enim articulorum fidei veritas non potest nobis esse evidens absolute, tamen potest esse evidens ex hypothesi, id est, supposita veritate Scripturarum» 4.

In hoc articulo investigabimus, quae sint proprietates et notae verae Ecclesiae Christi; in sequentibus de illis in particulari acturi.

1 ***De Religione et Ecclesia,*** n. 625.

2 «Imprimis quaeritur, ait Mazzeila, ***De Religione et Ecclesia,*** n. 625, quaenam proprietates competant verae Christi Ecclesiae, et respondetur ipsam debere esse ***unam, sanctam, catholicam*** et ***apostolicam:*** deinde vero quaeritur, cuinam ex tot societatibus, quae se veram Christi Ecclesiam jactant, dictae proprietates competant; et respondetur ipsas nonnisi uni convenire posse; ac eam, quae illis praedita est, esse ***in concreto*** veram Christi Ecclesiam».

3 ***De Relig.,*** n. 117.

4 ***De Eccl.,*** lib. 4, c. 3.

370. Placita theologorum, a) Protestantes imprimis, qui visibilitatem Ecclesiae plerumque inficiati sunt, duas tantummodo notas posuerunt. *sinceram* nempe *praedicationem verbi Dei* et *rectam sacramentorum administrationem* '. Verum his notis doceberis potius, ut recte ait S. *Bellarminus*[1]: «ubi lateat Ecclesia, quam quae sit»; non enim sunt ipsa Ecclesia clariores.

b) *Schismatici* docent unam esse tantummodo notam Ecclesiae, *conservationem* scilicet *sine variatione infallibilis doctrinae antiquae 'Ecclesiae, prout invenitur in professionibus fidei septem priorum conciliorum oecumenicorum et unanimi consensu Patrum s.*

c) *Catholici* nunc plures nunc pauciores juxta diversos modos, quibus Ecclesiam considerarunt, notas posuere [4]. Communiter tamen doctores quatuor proponunt, quae in symbolo nicaeno-cp. recensentur his verbis: *Credo... in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* Ad rem apposite S. *Thomas:* «Ecclesia sancta habet quatuor conditiones, quia est una quia est sancta, quia est catholica, id est universalis, et quia est fortis et firma» [5].

Harum convenientiam suadet ratio, quia *a)* nonnisi uni Ecclesiae conveniunt, *b)* utpote signa extrinseca societatis, cognitu faciliorem reddunt Ecclesiam, et *c)* veram Ecclesiam *in concreto* manifestant [*].

ARTICULUS II

DE NOTIS ECCLESIAE IN PARTICULARI

§ 1

Utrum et quomodo Ecclesia Christi sit una.

371. Status quaestionis. 1) *Unum* non est idem ac *unicum*. *Unum* refertur ad elementa intrinseca quibus res constituitur, et excludit partium dispersionem seu inconnexionem. *Unicum* dicitur de numero, et excludit multiplicitatem. Sic homo individuus est *unus,* quia ejus partes vinculo uniuntur communi, non tamen *unicus,* quia sunt alii homines.

[1] Quamquam Lutherus apud S. Bellarminum, ***De Ecclesia,*** lib. 4, c. 2, septem Ecclesiae notas numeraverit, inter caeteros protestantes praevaluit sententia Calvini, qui ***(Inst.,*** lib. 4, c. 1. n. 9) duas in textu memoratas dumtaxat proposuit. Idem docet ***Confessio Augustana,*** a. 7. Vide Murray, ***De Ecclesia,*** torn. 3, disp. 21, n. 25; Groot, q. 3, a. I, n. 5, et alios.

[2] ***De Conciliis et Ecclesia,*** lib. 4, cap. 2.

[3] Cfr. Macaire, ***Introduction a Ia Théologie Orthodoxe,*** traduit par un russe, 2.“ part., sect. 3, § 144.—Non dicunt schismatici quaenam fuerint Ecclesiae notae, priusquam concilia oecumenica celebrarentur.

[4] S. Hieronymus, c. ***Lucif.,*** n. 28, ML 23, 190, catholicitatem et apostolicitatem recensuit; Vinoentius Lirin., ***Commonitor.,*** c. 3, ML 50, 640, universitatem, antiquitatem et consensionem numeravit; Petrus Soto, ***Defensio fid. Concil. Trid.,*** c. 44, tres notas; Card. Hossius, ***Explicatio Symbol,*** quatuor; Michael Medina, ***De recta fide,*** lib. 2, decem; S. Bellarminus, ***De Concil. et Eccl.,*** lib. 4, c. 3, quindecim proposuerunt; sed omnes possunt ad illas quatuor quae a Concilio nicaeno-cpolitano numeratae sunt revocari, ut expresse fatetur S. Bellarminus, l. c.

[5] ***Opusc.*** 7 ***de Symb.,*** a. 9; § «Circa quod».

[°] Vide Hettinger, ***Theol. fundam.,*** p. 2, § 7; Billot, ***De Ecclesia Christi,*** q. 2, § 3·—In schemate Conc. Vat., ***De Ecclesia Christi,*** paratus erat canon 13 his verbis: «Si quis dixerit veram Christi Ecclesiam, ***extra*** quam nemo salvus esse potest, aliam esse praeter unam, sanctam, catholicam et apostolicam romanam, a. s.» ***Coli. Lac.,*** 7, 577.

2) Ecclesiam Christi esse *unicam* clarissime patet ex institutione Christi, qui unicam esse voluit salvationis arcam. Unde in singulari de ea locutus est Dominus in Evangelio dicens: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* 1. Et S. *Paulus* non semel docet Ecclesiam esse corpus Christi mysticum; sicut autem Christus unum habet corpus reale, ita et unum corpus mysticum. Quare ostensum est superius extra unicam Christi Ecclesiam non esse salutem.

3) Minime dubitandum, quin Ecclesia Christi, utpote rationem habens societatis, quodammodo sit *una.* Omnis enim societas constat pluribus individuis colligatis in ordine ad consecutionem finis, quae faciunt unum totale, cui tanquam personae morali referuntur actiones et gesta.

4) At Ecclesia non est utcumque societas, sed est *fidelium baptizatorum coetus pro fine supernaturali consequendo coadunatus,* cui certe non sufficit unitas illa socialis, quae ex membrorum uni capiti subjectione exsurgit in societate, sed est necessaria ulterius unitas proveniens ex vinculo supernaturali. a) Quatenus est fidelium baptizatorum congregatio, postulat *unitatem fidei* et *professionis;* b) quatenus tendit in finem supematuralem, exigit *unitatem cultus* et mediorum, quae sunt ad vitam aeternam adipiscendam necessaria; c) in quantum est societas visibilis, requirit *unitatem regiminis* 2,3.

5) Juxta hoc unitas ecclesiastica recte describi potest: *Proprietas seu nota quaedam, qua Christi Ecclesia una in fide ejusque professione* (unitas symbolica), *in cultu et sacramentorum participatione* (unitas liturgica), *et in regimine omnium membrorum sub uno capite* (unitas hierarchica) *dignoscitur,* a) Unitas *fidei et professionis* habetur, cum omnia indiscriminatim dogmata a Deo revelata explicite vel implicite profitentur. b) Unitas *cultus* servatur, cum eadem sacramenta participantur idemque substantialiter ritus exercentur, c) Unitas regiminis custoditur, cum omnes fideles uni supremo capiti subjiciuntur.

His ita praelibatis, superest heic investigare, quae sit unitas characteristica verae Ecclesiae Christi.

372. a) *Schismatici,* tum moscovitae tum graeci aliique orientales, nonnisi unitatem fidei, quae in septem prioribus conciliis oecumenicis continetur, admittunt 3.

b) *Protestantes* divisi sunt: *a) Nonnulli* dixerunt unitatem Ecclesiae consistere in imitate S. Scripturae juxta liberam cujusque interpretationem. *b) Jurieu,* minister calvinista 4, *Nicolaum Hunnium* sequutus 5, novum sy-

1 *Maith.,* 16, 18.

2 Hanc triplicem Ecclesiae unitatem satis expressit S. Thomas, dicens: «Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur; scilicet, in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione (quae per unitatem fidei et cultus obtinetur), et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput». *II-II,* q. 39, a. I.

3 Omnes posteriores Ecclesiae declarationes ipsumque depositum revelationis respuunt. Unitatem autem regiminis volunt consistere in humili subjectione auctoritati civili.

4 *Le vrai système ile VÉglise. traité de l'Église,* tr. 6, c. 2, ed. 1688.

5 Hminius (an. 1626), scripto opere *De fundamentali dissensu doctrinae lutheranae et calvinianar,* distinctionem inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales* excogitasse videtur.

stema excogitavit articulorum *fundamentalium* et *non fundamentalium*. *Fundamentales* dicuntur «qui explicite credendi sunt ab omnibus, si salvi esse velint» [1]. *Non fundamentales* sunt «illae partes doctrinae Christianae, quae citra jacturam salutis ignorari et negari possunt». Magna contentio orta est inter theologos protestantes circa numerum et naturam articulorum fundamentalium. Nonnulli eos reducunt ad Symbolum apostolorum, alii ad fidem SSmae. Trinitatis et Christi [2]. *Jurieu* loco citato ait ad rem: «Unum esse Deum, timentibus se remuneratorem, unum esse Redemptorem Jesum seu Messiam, per quem remissionem peccatorum, gratiam et vitam aeternam consequimur, hi sunt articuli fundamentales». Juxta hoc systema, *unitas fidei* reducitur ad admissionem articulorum fundamentalium. *Unitatem regiminis* respuit omnino *Jurieu*.

c) *Gulielmus Chillingwort, Thomas Hobbesius,* et *Joannes Lockius,* quos deinde sequuti sunt *Wegscheider, Harnack* et plures rationalistae, putant ad unitatem fidei sufficere fidem in Jesum Christum [3]. Alii rationalistae docent unitatem Ecclesiae consistere in admissione exsistentiae Dei.

d) *Puseistae* aliud unitatis fidei specimen tentaverunt: theoriam articulorum *fundamentalium* et *non fundamentalium* respuentes, fidem integram *Ecclesiae universalis* admittendam esse dixerunt. Sed *Ecclesiam universalem* communionibus Romano-Catholica, Graeco-Schismatica, et Anglicana constitui docuerunt. Quare unitatem *regiminis* et exinde consequentem omnium fidelium Romano Pontifici subjectionem optandam quidem et suadendam, non tamen *essentialem* esse, praedicaverunt. Imo, ut unitatem Ecclesiarum sub his auspiciis consequerentur, anno 1857 constituerunt Londini *societatem pro procuranda christianitatis unitate* [4], cujus scopus erat omnes tum catholicos, tum graeco-schismaticos, tum anglicanes, qui aequo jure catholicum sibi nomen arrogabant, ad unum corpus efficiendum coadunare. Quod ut obtinerent, omnibus sociis preces recitandas et sacerdotibus sacrificia offerenda indixerunt [5].

e) *Americanismus* denique, paucis abhinc annis ab Ecclesia proscriptus, docet ad captandam benevolentiam rationalistarum oportere quaedam dogmata catholica praetermittere aut ita moliri ac temperare, ut non amplius retineant sensum Ecclesiae, prudensque silentium servandum esse circa principia catholica, quae rationalistae admittere detrectant[6].

373. Thesis. Ecclesia Christi est una, triplici unitate, symbolica scilicet (fidei et professionis), liturgica (cultus), et hierarchica (regiminis).

Prob. 1.° in genere.

Arg. I. *Ex S. Scriptura,* a) Christus Dominus rogavit Patrem [7], ut omnes essent unum, sicut ipse et Pater unum sunt; et passim in Evangelio Ecclesiam appellavit regnum [8], civitatem [9], ovile [10], etc., quae procul dubio unitatem significant.

1 Fundamentales in ***primarios*** et ***secundarios*** dividunt nonnulli. ***Primarios*** dicunt, qui nec ignorari nec rejici possunt citra salutis jacturam. ***Secundarii,*** si ignorentur, non sunt necessarii ad salutem, sed, si cognoscantur, respui non possunt.

2 Cfr. Hettinger, ***Theol. fundam.,*** p. 2, § 9.— Anno 1899 variae sectae evangelicales catechismum ediderunt Londini, qui 52 responsis summam continebat eorum quae quasi symbolum commune constituebant, sed vix in lucem editus rejectus fuit a plerisque.

3 Fides in Jesum Christum in ore rationalistarum non est fides in divinitatem nostri Servatoris, sed in Christum symbolicum ad modum modernistarum.

4 ***Association for Promoting the Union of Christendom.***

5 Vid. epist. S. Off. 16 Sept. 1864: Denz-Bannw., 1685.

6 Cfr. Casanova, ***Theol. fund.,*** n. 451.

7 ***Joan.,*** 17, 11-20.

8 ***Matth.,*** 25, I.

9 ***Matth.,*** 5, 14.

10 *Joan., to,* 16.

b) Item Apostolus hortatur ephesios dicens: *solliciti (sitis) servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae* x. Item Ecclesiam nominavit *domum*1, *gregem* 3 et *corpus Christi* 4, quae pariter unitatem manifestant.

c) Ipse etiam Caiphas dicitur prophetasse 5, *quod Jesus,* qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo 6, *moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Hinc unam esse Ecclesiam solemniter canimus et profitemur in Symbolo. Quam doctrinam confirmat S. *Bernardus,* cum de tunica Christi inconsutili loquens ait: «Tunica haec unitas est Ecclesiae, quae scissuram ignorat, divisionem non recipit. Quod enim desuper contextum est, quod a Spiritu Sancto compactum est, non dissolvetur ab hominibus» 7.

Arg. II. Ecclesia instituta est a Christo, ut veram divinamque religionem profiteretur ac custodiret. Vera autem religio non est nisi una. Ergo nec Ecclesia, quae eam profitetur ac custodit, est aut esse potest nisi una.

Prob. 2.° per partes.

374. Pars 1.a Ecclesia Christi est una unitate symbolica seu fidei et professionis.

Arg. I. 1) *Unitas fidei.* Unitatem fidei esse in Ecclesia liquido demonstrant sacrae litterae, a) Promisit Christus Ecclesiam fundatum iri *supra petram* 8, immobilem scilicet crepidinem veritatis. Unde Apostolus vocat eam *columnam fundamentumque veritatis* 9. b) *Unus Dominus,* ait S. Paulus, *una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium... Ipse dedit quosdam quidem apostolos... in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes* in unitatem fidei, *ad agnitionem Filii Dei... ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur* omni vento doctrinae *in nequitia hominum, m astutia ad circumventionem erroris* 10.11 Hinc una sit oportet in Ecclesia fides et unus Dominus, ne simus *parvuli fluctuantes* nec *circumferamur omni vento doctrinae,* c) Idem Apostolus Satanae tradidit eos qui circa fidem naufragaverunt u; et alibi ait: *Licet angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*12.

Hanc doctrinam confirmatam voluit S. *Irenaeus* dicens: «Etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et

1 ***Ephes.,*** 4, 3-4.
2 ***I Tim.,*** 3, 15.
3 ***Act.,*** 20, 28.
4 ***Ephes.,*** i, 22.
5 ***Joan.,*** i i, 51.
8 ***Act.,*** 20, 28.
' ***Pp*** 334 ***ad Guidonem pisanum;*** ML 182, 538.
8 ***Matth.,*** 16, 18.
° ***I Tim.,*** 3, 15.
10 ***Ephes.,*** 4, 5-16.
11 ***/ Tim.,*** t, 20.
'· ***Gai..*** 1, 8.

eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae, aliter credunt aut aliter tradunt; neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi constitutae... cum una et eadem fides sit... universa Ecclesia unam et eamdem fidem habet in universo mundo» *.

2) *Unitas professionis.* Unitas fidei non solum efflagitat actum internum intellectus quo veritates revelatae creduntur, verum etiam unitatem professionis externae juxta illud Apostoli: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio jit ad salutem* 1. Unde idem Apostolus ait: *Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* 3.

Hujus fidei profitendae ratio est, quia Ecclesia duplici constat elemento, interno et externo, et utriusque actus conferunt ad integritatem fidei.

375. Pars 2.a Ecclesia Christi est una unitate liturgica seu cultus.

Arg. Unitas liturgica potissimum attenditur quoad sacramenta, quibus homines ad vitam spiritualem et societatem ecclesiasticam initiantur et ad Deum colendum promoventur. Sed sacramenta, ad sanctificandos homines a Christo instituta, eadem sunt in tota Ecclesia. Ergo.

376. Pars 3.a Ecclesia Christi est una unitate hierarchica seu regiminis.

Arg. a) Voluit Apostolus, ut Ecclesia cresceret in Christo, *ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam: subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit.*

b) Hanc ipsam voluntatem expressit Christus, cum Petro ait: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* 4, atque claves regni caelorum tradidit, imo et facultatem pascendi gregem commisit 5. Unde Concilium Vaticanum merito docuit Jesum Christum post suam e mortuis resurrectionem uni Simoni Petro summi Pastoris et Rectoris jurisdictionem in totum suum ovile contulisse, cum ait: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Et iterum statuit: *Si quis igitur dixerit beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium Principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput... a. s.* ®.

1 ***Adv. haer.,*** lib. i, c. io, n. 2; MG 7, 552.
2 ***Rom.,*** 10, 10.
3 ***I Cor.,*** i, 10.
4 ***Matth.,*** 16, 18.
5 ***Joan.,*** 21, 16-17.
8 ***Sess.*** 4, c. i. Denz-Bannw., 1823. In schemate ***De Ecclesia Christi,*** can. 4, Concilii Vaticani haec habentur: «Si quis dixerit veram Ecclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque Christiani nominis societatibus constare, per easque diffusam esse; aut varias societates ab invicem fidei professione dissidentes atque communione sejunctas tanquam membra vel partes unam ct universalem constituere Christi Ecclesiam, a. s.» ***Collect. Lac.,*** vol. 7, coi. 577.

Objectionibus satisfit.

377. Obj. 1.° Judaei neoconversi legem mosaicam per plures annos sectati sunt expresso apostolorum consensu, juxta illud Jacobi et seniorum: *Vides, frater, quot millia sunt in judaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis* t. Ergo unitas cultus ab initio Ecclesiae ignorabatur.

Resp.—Neg. conseq. Judaei neoconversi unitatem Ecclesiae sub triplici exposita forma tenuerunt, quibusdam additis caeremoniis legalibus quae unitatem Ecclesiae minime labefactabant. Judaei quippe conversi omnia dogmata admittebant, cultus et praecipue sacramentorum unitatem tenebant, atque Principi apostolorum obediebant, legalia tamen quaedam caeremonialia, ecclesiasticae unitati minime contraria, conservare voluerunt, prout apostoli prudentiae legibus consulentes permiserunt, quousque adveniret tempus praedicandi Evangelium gentibus. Adveniente autem hoc tempore, et accedentibus jam jam sibi invicem populis judaico et gentili, decretum est, ut legalia penitus cessarent. Unde Christus legem mandatorum decreti evacuans duos populos condidit in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliavit ambos in uno corpore Deo per crucem 2.

Obj. 2.° *Fundamentum aliud,* ait Apostolus, *nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus: si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit* 3.*Fundamenti nomine intelligit Apostolus *articulos fundamentales,* quos credi oportet ad salutem: aurum vero, argentum, etc., significant alios articulos accessorios, quorum fides non est necessaria ad salutem.

Resp.—Neg. conseq. Interpretatio *Jurieu* in hunc locum plane arbitraria est. Christus hic accipitur concrete, ut auctor est totius revelationis solidumque Ecclesiae fundamentum, quatenus omnia complectitur dogmata revelata legesque divinas. Nomine vero auri, argenti, etc., veniunt non articuli accessorii revelati, sed laborem et materiam quam praedicatores adhibent ad extruendum aedificium, id est, uniuscujusque opus, ut dicit ipse textus 4.

§ 2

Utrum et quomodo Ecclesia. Christi sit sancta.

378. Status quaestionis. 1) Ecclesiam Christi esse quodammodo sanctam *ratione auctoris* qui Christus est, *ratione finis* qui est gloria Dei et sanctificatio hominum, *ratione mediorum,* quae ad sanctitatem homines ducunt, etc., nemo est qui audeat ambigere. Sed ulterius investigandum est, utrum etiam dicatur sancta, quatenus est societas diversis causis constituta.

2) Pro cujus intelligentia juverit heic notionem sanctitatis praemittere. Sanctitas proprie loquendo dicitur tantummodo de Deo, qui est essentialiter pura et ab omni contagione libera natura. Entia tamen creata, quatenus ordinantur et accedunt ad Deum, dicuntur sancta per participationem 5. Unde S. *Thomas* hanc ex pseudo Dionysio (de div.

1 *Ad.,* 21, 20.
2 *Eph.,* 2, 14-20.
3 *I Cor.,* 3, II sqq.
4 Cfr. Comely, *Cursus S. Scripturae in I Cor.,* 3, 11 sqq., pag. 83 sqq.
5 Sanctum dicitur, ut ex usu S. Scripturae constat «quod est coram Deo purum et mundum» Suiiroz, *De Incarn.,* disp. 18, sect. 1, n. 12.

nom. c. 12) hausit sanctitatis definitionem 1: *Sanctitas est ab omni immunditia libera et perfecta et immaculata munditia* [1].

379. Divisio. I. Sanctitas potest esse *realis* vel *personalis,* prout res vel personae in Deum ordinantur. 1) *Realis* dicitur, in quantum res aliqua vel a) est Deo dicata, ut templum et vasa sacra, vel b) est principium sanctitatis, ut sacramenta, vel c) est effectus et signum sanctitatis interioris, ut charismata miraculorum [3]. 2) Sanctitas *personalis* est munditia animae una cum firma mentis adhaesione in Deum [4].

II. Sanctitas alia est *activa,* alia *passiva.* 1) *Active* sancta sunt, quae regimine, doctrina, sacramentis, legibus, praedicatione aliisque mediis vim habent sanctificandi. Ad hanc sanctitatem activam spectant *charismata* et *dona* seu *gratiae gratis datae,* quae juxta S. *Thornam* [5] dantur, non «ut homo ipse per eam justificetur, sed potius ut ad justificationem alterius cooperetur»; item *miracula* quae sunt media quaedam extraordinaria conversionis et sanctitatis [6]. 2) Sanctitas *passiva* est effectus sanctitatis activae, et producitur, quando quis, a peccatis mundatus, gratia sanctificante, virtutibus et perfectione fulgere incipit.

His praelibatis, quaeritur, 1.° an Ecclesia, quatenus societas et persona moralis est, sit *essentialiter* sancta; 2.° an *active* ratione principiorum, regimine scilicet, doctrina, sacramentis, legibus, praedicatione, etc., vim habeat sanctificandi homines; 3.° an ratione membrorum sit *passive* sancta.

380. Errores, a) *Protestantes,* putantes per solam fidem hominem sanctificari, dicunt solum Deum esse *active* sanctum. Sanctitatem *passivam* ita plerique exaggerant, ut Ecclesiam sanctis dumtaxat et justis doceant constitui; dum alii omnia arbitrantur Ecclesiae membra posse a vera sanctitate ad tempus deficere, vel saltem ad exiguum numerum ita reduci, ut non possit amplius Ecclesia sancta denominari [7].

b) *Natwalistae* et *rationalistae* sanctitatem supcrnaturalcm animae omnino respuunt, et sanctum appellant quemlibet ea moralitate fulgentem, quae humanam decet naturam.

381. Thesis. Ecclesia Christi est sancta non modo 1) «essentialiter» qua societas et persona moralis est, verum etiam 2) sanctitate «activa» ratione principiorum, doctrinae, etc., et 3) sanctitate «passiva» ratione membrorum.

Prob. 1.a pars. Ecclesia essentialiter qua societas, diversis causis constituta, est sancta.

1 ***I Sent.,*** dist. io, a. 4 ad 4.

2 Cfr. Bened. xiv, ***De Canonis. SS.,*** lib. 3, c. 21.

3 Cfr. Hurter, n. 299.

4 Vid. S. Thomas, ***II-II,*** q. 81, a. 8. Haec sanctitas personalis diversos gradus admittit, prout quis, vel ***a)*** peccata lethalia vitat, vel ***b)*** levium etiam culparum offensam fugit, vel ***c)*** operibus heroicis perfectionem positivam adipiscitur.

5 ***I-II,*** q. ni, a. 1.

6 «Operatur enim ea Deus, ait Angelicus, ***II-II,*** q. 178, a. 2, ad hominum utilitatem.»

7 Hanc possibilitatem defectionis Ecclesiae ad tempus tenuerunt sectatores ecclesiae Angliae constitutae, Litton, ***The Church of Christ,*** p. 344 et alii. Cfr. Murray, ***De Ecclesia,*** disp. 8, sect. I, η. 14-16.

Arg. Causae, quibus Ecclesia Christi constituitur, sanctae sunt. 1) *Causa efficiens* Deus, essentialiter sanctus. 2) *Causa finalis* gloria Dei et sanctitas animarum. 3) *Causa formalis* auctoritas efficiens unionem animorum et impellens membra ad finem communem, et anima Ecclesiae, fide, spe, caritate aliisque donis internis constituta, conferens vitam societati. 4) *Causa materialis* fideles, praecipue sancti, vel saltem qui fide et aliquo dono gratiae imbuti ad sanctitatem conspirant. Ergo Ecclesia Christi essentialiter, seu qua societas diversis causis constituta, est sancta.

382. Pars 2.a Ecclesia Christi est active sancta.

Arg. I. Christus instituit Ecclesiam, ut missionem sanctificam in terris obeundo in vitam aeternam conduceret homines. Ergo instruxit eam vi, qua nunc etiam pollet, sanctificandi homines. Unde Deus dedisse dicitur *quosdam... apostolos... ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*[1].

Arg. II. Doctrina, regimen, praecepta et sacramenta, ut media sanctitatis ordinaria, et superna charismata atque gratia miraculorum ut media extraordinaria, sancta sunt, et ad sanctitatem nos conducunt. Ergo Ecclesia Christi est active sancta.

a) *Doctrina Ecclesiae* illa est, de qua Salvator ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* [2]; et: *Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam* [3].

b) *Regimen Ecclesiae* sanctum est, quia episcopi a Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei [4] conantur homines sanctificare. Unde sacerdotes vocantur dispensatores mysteriorum Dei [5].*

c) *Praecepta Ecclesiae* plerumque sunt repetitiones vel ampliationes mandatorum antiqui decalogi, quae Deum esse super omnia diligendum docebant. Quae autem pro nova oeconomia adjecta sunt sanctitatem undique redolent.

d) *Sacramenta* ordinata sunt, tum ad tollenda vitae praeteritae peccata, tum ad producendam gratiam sanctificantem per applicationem meritorum et satisfactionum passionis Christi, cujus sunt signa rememorativa [6].

e) *Charismata* denique et *miracula,* Ecclesiae a Christo promissa, sunt signa sanctitatis. *Signa autem eos,* ait Jesus, *qui crediderint, haec sequentur. In nomine meo daemonia ejicient; linguis loquentur novis, serpentes tollent: et, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt*[7].

1 ***Ephes.,*** 4, Ti-12.
2 ***Marc.,*** i6, i6.
3 ***Joan.,*** 5, 24.
4 ***Act.,*** 20, 28.
5 ***I Cor.,*** 4, i.
6 Cfr. S. Thomas, ***III p.,*** q. 62.
7 ***Marc.,*** 16, 17 sqq. Éamdem doctrinam SS. Patres unanimi consensu tradidere Cfr Cyrillus Hioros., ***Catcell*** 18, n. 22; MG 33, 1044. S. Ambrosius, ep. 63, n. 42; Ml. 1β, 1252.

383. Prob. 3.a pars. Ecclesia Christi est passive sancta ratione membrorum.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* S. Paulus ait: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata x.*

Arg. II. *Ex traditione. S. Ambrosius* docet in Ecclesia fulgere judicium tanquam meridiem[1]; S. *Hieronymus* «gloriosam non habentem maculam neque rugam» 3; *S.-Augustinus* «paradisum in terris» 4; S. *Hilarius* «iter ad caelum» 5. Unde egregie ait Estius: «In hoc saeculo mundatur et sanctificatur Ecclesia... sed non perficitur haec ejus mundatio et sanctificatio, ut gloriosa, perfecta, sancta, et prorsus immaculata dici possit, donec finiatur hoc saeculum» 6.

384. Corollarium. Ex his duo facile colligimus, i) Ad sanctitatem passivam Ecclesiae non opus est, ut omnia et singula membra sanctitate fulgeant, sed sufficit, ut plures sint in ea justi quorum ratione societas ipsa sancta appellari queat. 2) Haec membrorum sanctitas, quae simul dicitur nota et proprietas operis Christi, adeo est Ecclesiae necessaria, ut, si quando in omnibus vel fere omnibus membris deficeret, non posset amplius Ecclesia subsistere.

§ 3

Virum et quomodo Ecclesia Christi sit vere catholica.

385. Status quaestionis. 1) *Catholicum ex voce* graeca ζα&δλον (secundum totum) dicitur, ut ait S. *Augustinus* 7, et significat *universale* 8. Juxta hanc etymologiam Ecclesia potest dici universalis seu *catholica:* a) *ratione doctrinae,* quia doctrinam Christi integre servat 9; b) *ratione temporis,* quia est usque ad finem mundi duratura; c) *ratione loci,* quia Christus misit apostolos in universum mundum; d) *ratione personarum,* quia omnes ad Ecclesiam vocantur, juxta illud: *praedicate Evangelium omni creaturae*[10][11]

2) Hic sumitur catholicitas, in quantum significat universalitatem *ratione loci et personarum* u, et definitur: *Nota qua vera Christi Ecclesia ubique terrarum et in omnes hominum cognationes diffusa conspicitur.*

1 ***Ephes.,*** 5", 25-28. Cfr. ***Tit.,*** 2, 14.

2 ***Hexaemeron,*** lib. 4, c. 5; ML 14, 612.

3 ***In ep. ad Ephes.,*** lib. 3, c. 5, v. 24; ML 26, 564.

4 ***De Gen. ad liti.,*** lib. 11, c. 25; ML 34, 442.

6 ***In Ps.*** 133, n 2; ML 9, 751.

6 ***In ep. ad Ephes.*** Sanctitati tum activae tum passivae congruunt quae Christus ait apostolis, ***Joan.,*** 15, 16: ***Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat.***

7 ***Ep. ad catholicos contra donatistas:*** c. 1, n. 2; ML 43, 392.

8 Hoc vocabulum jam olim a S. Ignatio usurpatum est: «Ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia». ***Ad Smyrnaeos,*** 8; MG 5, 713.

9 Cfr. Suarez, ***Defensio fidei catholicae,*** lib. 1, c. 12. n. 6.

10 ***Mare.,*** 16, 15.

11 Cfr. Murillo, ***La Iglesia romana,*** lib. r, sect. 4. c. 3, § 1.

386. Divisio. Potest esse

1) Materialis et formalis. *Materialis* est quaedam hominum per orbem expansio, praecisis vinculis doctrinae, quibus inter se et cum capite connecti debent. *Formalis* est expansio hominum fide, cultu et regimine inter se et cum centro unitatis conjunctorum.

2) Juris et facti. *Prima* est aptitudo, quam Ecclesia habet se per universum orbem diffundendi, quatenus pro toto mundo instituta est [1]. *Altera* propagationem revera factam supponit. Ecclesiam jure esse catholicam constat ex institutione Christi.

3) Physica et moralis. *Physica* est Ecclesiae ad omnes et singulas mundi regiones singulasque personas extensio. *Moralis* est ad singulas regiones non ad singulas personas diffusio [2].

4) Simultanea et successiva, prout Ecclesia ad omnes gentes omnesque nationes *simul* propagata est, vel *successive* diffunditur.

Ecclesiae catholicitas debet esse a) *formalis,* qua omnes fideles per orbem dispersi unitate fidei, cultus et regiminis conjungantur; b) *'juris* et *facti,* ita ut Ecclesia de facto omnem terram obierit; c) *moralis,* non *physica,* qua ad omnes regiones gentiumque cognationes, non ad singulas partes singulosque homines, pertingat [3]; d) *simultanea* post praedicatum Evangelium, ut satis communiter docent auctores [4].

Quaeritur hic an Ecclesia Christi sit catholica catholicitate *formali, jacti, morali* et *simultanea.*

387. Errores, a) Protestantes generatim negant Ecclesiam Christi esse catholicam.

b) *Baur,* professor tubingensis (i860) [5] aliique rationalistae non pauci dixerunt Ecclesiam non esse catholicam ex Christi institutione, sed, mortuo Christo, inter discipulos ortas esse duas opiniones, *petrinismum* scilicet qui ecclesiam judaicam tantum esse volebat, et *paulinisnium* qui gentibus etiam verbum Dei praedicandum esse docebat. Haec duo—*thesis* et *antithesis*—ut conciliarentur, praevaluit *foanneismus* seu formula a S. Joanne proposita, quam *synthesini* vocant, *fidem cum operibus* necessariam esse sine distinctione judaei et gentilis; ex hoc ajunt catholicitatem Ecclesiae esse natam.

c) Theologi catholici communiter, ut par est, rejicientes protestantium et rationalistarum systemata, docent Ecclesiam Christi esse *formaliter, fure* atque *moraliter* catholicam, sed quoad simultaneitatem expansionis divisi

[1] Cfr. Suarez, ***Defensio fidei cath.,*** 1. c. 16, n. 4.

[2] Adeo ut, ait Suarez, ***Def. fid. cath.***. i, c. 16, n. io, habeat «in mundo splendorem quemdam universalem, quo possit ejus dignitas et majestas cognosci, et ab haereticorum turbis discriminari».

[3] Ecclesia nuncupatur catholica juxta S. Thomam, ***In Boet. De Trinit.,*** q. 3, a. 3 ad 5; «non propter singula generum sed propter genera singulorum»; et Apostolus ***I Cor.,*** ii, 10, docet catholicitatem physicam non esse necessariam cum ait: ***oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.***

[4] In exordio quidem Ecclesiae, quousque praedicaretur Evangelium, sufficiebat catholicitas successiva, quia, ut Paulus ***(Act.*** 13, 46) ait, primo praedicandum erat verbum Dei judaeis, deinde gentibus. Putat Suarez ***(Def. fid. cath.,*** lib. 1, c. 16, n. 9) Ecclesiam tempore S. Augustini esse per orbem diffusam. Quando haec catholicitas considerata est simultanea, non cessavit Ecclesiae incrementum, sed. fecunda ut est, semper expandit per orbem ramos virides, novasque protulit propagines.

[5] ***Historia trium priorum saeculorum.***

sunt auctores. *Melchior Canus* [1] et S. *Bellarminus* [2] et *Wirceburgenses* [3] volunt catholicitatem simultaneam esse quidem Ecclesiae necessariam, sed, si supponatur aliquando *per accidens* et ad tempus eam amitti, diffusionem successivam sufficere, ut Ecclesia dicatur vere catholica [4]. Communior tamen theologorum sententia docet catholicitatem simultaneam Ecclesiae oportere esse perennem, eamque communioni romano-catholicae certo competere [5].

388. THESIS. Ecclesia Christi ita per orbem diffundi nata est, ut merito dicatur catholica catholicitate «formali, facti», non quidem physica, sed «morali» et «simultanea».

Prob. 1.° in genere.

Arg. I. a) *Ex prophetiis messianicis.* Jam olim dixit Dominus Abrahae: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* [6]. Deinde in psalmis promittitur Filio Dei propagatio Ecclesiae: *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* [7]. Rursum: *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* [8]. Denique *Isaias* ait: *Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium* [9].

b) *Ex Evangeliis. Euntes...* inquit Christus apostolis, *praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit... Illi autem projecti praedicaverunt ubique Domino coopérante et sermonem confirmante* [10]. Et rursum: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes... usque ad extremum terrae* [11]. Cui consonat illud *Simeonis: Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium* [12]. Ait denique Christus: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus* [13].

Arg. II. *Ex traditione.* Jam olim S. *Ignatius M.* [14] hoc vocabulo

1 ***De Locis,*** lib. 4, c. postr. ad 13.
2 ***De Concil, et Eccl.,*** lib. 4, c. 7.
3 ***De princip. direct.,*** n. 102.
4 «Quod sola si una provincia, ait S. Bellarminus, retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur eam esse unam et eamdem cum illa, quae fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo.» ***De Conciliis et Eccl.,*** lib. 4, c. 7, «Tertio». «Satis est, addit Canus, Ecclesiam semel in totum mundum esse fusam, ut etiamnum vere catholica dicatur.» ***De Locis,*** lib. 4, c. postr. ad 13.
5 Cfr Billot, ***De Ecclesia Christi,*** th. 6; et Hurter, n. 312.
6 ***Gen.,*** 22, 18. Semen Abrahae juxta S. Aug., ***Exp. ep. ad Galatas,*** η. 28; ML 35, 2125, est Christus in quo Apostolo teste ***(Gal.,*** 3, 8-14) haec promissio impleta est.
7 ***Ps.*** 2, 8.
8 ***Ps.*** 18, 4 sqq.
9 ***Is.,*** 60, 4-5.
10 ***Marc.,*** 16, 15-20.
11 ***Act.,*** I, 8.
12 ***Luc.,*** 2, 30-32.
13 ***Matth.,*** 24, 14.
14 ***Smyrn.,*** 8; MG 5, 713.

usus est; Ecclesia smyrnensis «omnibus ubique terrarum *sanctae et catholicae Ecclesiae* paroeciis» direxit epistolam *de S. Polycarpi martyrio* ξ ecclesiae alexandrina et hierosolymitana imo et Concilium Cpolitanum I suis symbolis hoc nomen inseruerunt, et exinde tota antiquitas Christiana Ecclesiam Christi hoc vocabulo appellavit. «Catholica nominatur, ut ait S. *Augustinus,* non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis» [1]. Hodiernis etiam temporibus hoc nomine significatur Ecclesia ab omnibus, non exceptis rationalistis, incredulis et gentibus.

Arg. III. *Ratione theologica.* Christus Ecclesiam eo fine instituit, ut fructus redemptionis ad homines perveniret. Ad hoc autem oportuit Ecclesiam per totum orbem diffundi.

389. Prob. 2.° per partes.

Catholicitas formalis. Finis Christi in instituenda Ecclesia fuit, ut omnes, quotquot forent in mundo fideles, unius fidei, cultus et regiminis vinculis inter se et cum Deo atque Christi in terris vicario conjuncti sanctificarentur. Ergo Ecclesia Christi est catholica catholicitate formali.

Catholicitas facti. Oportebat explicitas Christi promissiones aliquando impleri. Ergo Ecclesia, omnibus gentibus destinata, ad omnes regiones de facto pervenire debuit.

Catholicitas moralis. Haec tamen catholicitas non est *physica,* adeo ut omnes omnino et singuli homines sint aliquando Ecclesiam ingressuri, sed *moralis,* quatenus Ecclesia Christi ad omnes mundi regiones et hominum cognationes propagatur [3].

Catholicitas simultanea. Hanc innuunt expressa S. Scripturae testimonia, Patrum adversus donatistas disputationes, et genuina Ecclesiae notio. Unde S. *Augustinus* loquendo de Scriptura inquit: «prope omnis pagina nihil aliud sonat quam Christum et Ecclesiam toto orbe diffusam» 45

Solvuntur difficultates.

390. Obj. 1.° a) Christus Dominus suam Ecclesiam appellavit *pusillum gregem* [4], et b) se missum non esse dixit *nisi ad oves, quae perierunt domus Israel* [6]. Ergo Ecclesia Christi non est universalis.

1 MG 5, 1029.

2 Optime ad rem S. Pacianus (ep. I, Sympron., n. 3), MI. 13, 1054, disserit dicens: «Sub apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses exstitissent diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum marcionitas, cum appollinariacos, cataphrygas, novatianos et caeteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi catholica diceretur?» Et iterum: «Christianus, inquit, c. i, n. 4, mihi nomen est, catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor». ML 13, 1055.

3 Cfr. Suarez, De/, */id. cath.,* lib. I, c. 12.

4 *Scrm.* 46, n. 33; ML 38. 289.

5 ***Luc.***. 12, 32.

6 ***Matth.,*** 15, 24.

Resp. a) Verba Christi non praecise ad Ecclesiam, quae erat per orbem diffundenda, sed ad collegium apostolicum, quod erat revera pusillus grex, referuntur. Vel, si mavis, dicitur Ecclesia *pusillus grex,* ut tenet *Cornelius A lapide l, primo,* quia pauci erant tunc fideles iique pauperes ac despecti; *secundo,* comparatione angelorum, qui juxta S. *Thomarn* · plures sunt quam homines; et *tertio,* quia erant pauci per comparationem ad infideles et paganos 25

b) Missus est Christus *proxime* pro judaeis, ut eis personaliter Evangelium praedicaret; voluit tamen, ut mediantibus judaeis Ecclesia per orbem diffunderetur. «Primum, inquit 5. *Thomas,* ad Israel missus est, ut illis non recipientibus Evangelium, justa fieret ad gentes transmigratio»1.

Obj. 2.° Ecclesia Christi ad universum mundum diffusa non est, nec omnes gentes complectitur. Nam a) in America nihil de Ecclesia auditum est ante saeculum xv; b) apud sinenses integrae sunt adhuc provinciae quibus ignota est Ecclesia; c) credentium numerus ad quartam partem generis humani vix attingit in mundo. Ergo Ecclesia Christi non est catholica.

Resp. a) Catholicitas Ecclesiae reducenda est ad partes mundi pro tempore notas et accessibiles. Quare catholicitas quam PP. et theologi tribuebant Ecclesiae ante saeculum xv non sic intelligenda erat, ut complecteretur nationes americanas, sed plagas mundi tunc temporis notas, b) Quantum ad regiones notas earumque incolas non opus est, ut ad omnes et singulos terrae angulos Ecclesia se extendat, sed sufficit ut moraliter per orbem diffusa sit. c) Numerus credentium satis magnus est in inundo, ut Ecclesia dicatur universalis.

Obj. 3.Q Catholicitas Ecclesiae aliquando cessavit juxta illud S. *Hieronymi:* «Ingemuit totus orbis et arianum se esse miratus est» s. Ergo catholicitas Ecclesiae non est saltem *simulta-nea.*

Resp.—Neg. ant. Falsum omnino est catholicitatem Ecclesiae et propagationem Evangelii aliquando cessasse. S. Hieronymus locutus est per hyperbolem, sicut saepe loquuntur praedicatores. Universa tunc Ecclesia, ut diserte ait S. *Athanasius* e, paucis exceptis, nicaenam seu catholicam tenebat fidem 7.

§ 4

Utrum et quomodo Ecclesia Christi sit apostolica.

391. Status quaestionis. 1) *Definitio.* Apostolicitas presse sumpta definitur: *Nota qua vera Ecclesia dignoscitur a Christo super apostolos fundata et per legitimam, publicani et nunquam interruptam pastorum ab initio successionem in identitate doctrinae jugiter perseverans.* Tria, ut vides, apostolicitas complectitur: a) Ecclesiae in apostolis fundationem, b) doctrinae identitatem, et c) legitimam pastorum successionem.

a) Ecclesiae in apostolis fundatio manifestatur in Scripturis sacris. Duplex dicitur Ecclesiae fundamentum; *primarium* Christus juxta illud Apostoli: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jésus* 8; et *secundarium* apostoli, supra quos aedificata dicitur Ecclesia, quatenus eos primos magistros et rectores

1 *In Luc.,* 12, 32.
2 *I p.,* q. 50, a. 3.
3 Ita locum interpretatur S. Beda, *in Lucam,* lib. 4; ML 92, 494.
1 *In Matth.,* 15, 24, n. 5; § «Ipse autem».
5 *Dial. adv. Lucif.,* n. 19; ML 23, 181.
6 *Epist. synodica ad Jov. Imp.,* n. 2; MG 26, 816.
7 Cfr. Suarez, *Def. fid. cath.,* lib. I, c. 16, η. ἴγ.
3 *I Cor.,* 3, Ii.

elegit Dominus et misit in orbem terrarum cum potestate docendi et regendi cunctos fideles.

b) Identitas etiam doctrinae cum praedicatione apostolorum requiritur in Ecclesia quoad ea saltem, quae vel ab ipso Christo edocta sunt *(documenta divina),* vel post Christi ascensum per inspirationem Spiritus Sancti apostoli docuerunt *(documenta divino-apostolica) x.*

c) Legitima et non interrupta pastorum successio est, ut bene ait *Mazzclla,* «publica, legitima, perennis seu nunquam interrupta personarum in locum apostolorum ad regendam et pascendam Ecclesiam suffectio» 1. Est necessaria non solum *materialis* quae in mera pastorum serie sita est, verum etiam *formalis,* in quantum unusquisque legitime alios succedit. Ordo episcoporum per successiones ab initio decurrens ita evolvitur, «ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem» 3. Quare *schismatici* et *intrusi,* qui per vim vel fraudem sedem usurparunt, successionem formalem interrumpunt, novamque pastorum seriem inchoare dicuntur 4.

2) Quaerimus hic, num Ecclesia Christi in apostolis fundata fuerit, et per legitimam ac nunquam interruptam pastorum successionem in identitate doctrinae jugiter perseveraverit.

392. Errores, a) Protestantes plerumque *identitatem doctrinae* cum Ecclesia apostolorum ad articulos fundamentales reducunt, et *pastorum,* quam diximus, *legitimam successionem* salvari dicunt in vocatione et missione Dei extraordinaria, quam experiuntur omnes fideles etiam laici, ut, sensus interioris vel Spiritus Sancti inspirationis ductum sequuti, officio fungantur apostolorum 5.

b) *Ecclesia constituta* et *puseystae* in Anglia, necnon *schismatici* plerumque, pastorum successionem materialem sufficere dicunt ad Ecclesiae apostolicitatem.

c) *Rationalistae* demum hodierni negant episcopos esse proprie successores apostolorum vel jurisdictionem in populum habere jure haereditario acceptam, tum quia hierarchia et jurisdictio super fideles nunquam exstitit in apostolis, tum quia, esto id gratis concedas, nunquam transmissa est ad episcopos. Ita *Pfleidcrer e, Harnack l* et alii.

393. Thesis. Oportet Ecclesiam Christi esse apostolicam; ideoque debet esse in apostolis fundata, ac per legitimam, publicam et nunquam interruptam pastorum ab apostolis successionem jugiter perseverare in identitate doctrinae.

1 Non sufficit identitas doctrinae in *articulis fundamentalibus,* quos excogitavit Jurieu, sed requiritur in omnibus *documentis divinis,* et *divino-apostolicis.*—In iis quae apostoli absque nova inspiratione instituerunt vel tradiderunt, quaeque *documenta apostolica* nuncupantur, non est necessaria identitas doctrinae cum primitiva Ecclesia. Cfr. Mazzella, *De Del. et Eccl.,* n. 716 sqq.; et Casanova, *Theologia fund.,* 280.

2 *De Ilelig. et Eccl.,* n. 722.

3 Tertullianus, *De prescrip.,* c. 32; ML 2, 53. Haec tamen formalis successio potest esse immediata vel mediata, prout quisque Ecclesiam occupat vel ab apostolis aut a viris apostolicis fundatam, vel tractu temporis in communione cum centro unitatis institutam. Cfr. Casanova, n. 282; et Hettinger, p. 2, § 8, D.

1 Cfr. Hurter, n. 313.

» Cfr. Palmer. *Episcopacy vindicated,* c. 2.

" *Religionsphilosophie,* p 305 sqq.

' *DogmengeschiscMe,* p 204 sqq

Prob. 1.a pars. Ecclesia Christi debet esse in apostolis fundata.

Christus instituit Petrum caput Ecclesiae dicens: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*1, et *Pasce oves meas*2; alios autem apostolos fecit prima Ecclesiae membra, mittens eos ad praedicandum Evangelium. Unde fideles *superaedificati sunt* juxta S. *Paulum* 34super fundamentum apostolorum, et murus civitatis habet juxta S. *Joan, fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum i.*

Pars 2.a Ecclesia Christi in identitate doctrinae jugiter perseverare debet.

Ecclesia siquidem in apostolis fundata debet esse semper in substantialibus una, ut jam probatum est supra. Perseverantia autem societatis in identitate doctrinae est necessaria ad unitatem substantialem. Ergo Ecclesia Christi jugiter perseverare debet in identitate doctrinae.

Pars 3.a Ecclesia per legitimam pastorum ab apostolis successionem jugiter perseverare debet.

Arg. I. Mittens Dominus apostolos cum potestate docendi et regendi omnes gentes ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* 56 Si usque ad consummationem saeculi, non solum apostolis, qui erant morituri, sed eorum pariter successoribus se adfuturum promisit Dominus. «Dicit *vobiscum,* ait *Knabenbauer,* manifestans apostolos victuros esse ac permansuros in successoribus» e. Hinc dedit Christus apostolos, pastores et doctores *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*7. Potestas igitur docendi, pascendi et regendi ecclesias transmissa est apostolorum successoribus. Jacobus capite plexus, Petrus crucifixus, etc., disparuerunt apostoli atque viri apostolici, et nihilominus verificatur illud: *Ecce ego vobiscum sum.* Ergo Ecclesia Christi per legitimam, publicam et non interruptam pastorum successionem jugiter perseverat.

Arg. II. *Ex traditione. S. Irenaeus* ait: «Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam... habemus annumerare *eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos» 8.* Et rursum obediendum esse ait «his qui successionem habent ab apostolis».

1 ***Matth.,*** i6, i8 sqq.
2 ***Joan.,*** 21, 17.
3 ***Ephes.,*** 2, 20.
4 ***Apoc.,*** 21, 14.
5 ***Matth.,*** 28, 20.
6 ***In Matth.,*** 28, 20.
7 ***Ephes.,*** 4, 11 sqq.—Apostoli deinde, hujus doctrinae conscii, constituerunt sibi successores, quibus vicissim ordinaverunt, ut similiter facerent. Cfr. ***Act.,*** 14, 20-22; ***I Tim.*** i, 3; ***Tit.*** 1, 5.
8 ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 3, n. 1; MG 7, 848.

Tertullianus item scripto egregio opere *De Praescriptionibus* constrixit adversarios dicens: *«Edant ergo origines ecclesiarum suarum;* evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt; sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et caeterae exhibent, quos ab apostolis in Episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant» [x].

S. *Cyprianus* accusat Novatianum de haeresi, quia a semetipso incipiens, nemini succedens, «humanam conatur ecclesiam facere» [1].

S. *Augustinus* «tenet me, inquit, (Ecclesia) ab ipsa sede Petri apostoli, ... usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum» [3].

In Symbolo tandem nicaeno-cpolitano dicitur: *Credo in... apostolicam Ecclesiam;* quam fidei professionem absque ulla interruptione a fidelibus emissam confirmavit hodiernis temporibus Concilium Plenarium Americae latinae dicens: *Ecclesia... est... apostolica origine, doctrina, successione* [4].

394. Scholion. Non hic agitur de apostolicitate ecclesiarum particularium, sed de apostolicitate Ecclesiae universalis. Ecclesiae autem particulares, quae ab apostolis non sunt fundatae, participant hac apostolicitate, quatenus omnes Ecclesiae ab apostolorum successoribus tractu temporis fundatae vocantur et sunt mediate apostolicae, dummodo centro unitatis fide et caritate adhaereant. «Ad hanc itaque formam, ait *Tertullianus,* probabuntur ab illis Ecclesiis quae licet nullum ex apostolis vel apostolicis viris auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, *tamen in eadem fide conspirantes non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae»* [5].

QUAESTIO XVIII

DE ECCLESIA ROMANA

395. Probavimus superius Christum Dominum instituisse Ecclesiam hierarchicam simul et monarchicam, unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Nunc examinandum venit, an Ecclesia Romana sit hierarchica simul et monarchica, una, sancta, catholica et apostolica, ut inde deducatur eam esse veram Christi Ecclesiam.

1 ***De Praescripl.,*** c. 32; ML 2, 52.
2 ***lip.*** 52, 24; ML 3, 815.
3 ***Cont. ep. Manich.,*** c. 4, n. 5; ML 42. 175.
1 ***Acta el decreta,*** n. 50.
5 ***De Praescript.*** c. 32; ML 2, 53.

ARTICULUS I

AN ECCLESIA ROMANA SIT VERE HIERARCHICA

396. Status quaestionis. Hierarchia in Ecclesia Christi constat episcopis, presbyteris, et ministris, non utcumque dissociatis, sed sibi invicem coordinatis, quatenus diversi ordines regimen et gubernationem a superioribus recipiunt.

Quaerimus, an haec hierarchia a Christo Domino instituta remaneat in Ecclesia Romana.

397. Thesis. Ecclesia Romana est vere hierarchica.

Arg. Concilium Tridentinum loquens de Ecclesia Romano-catholica ait: «Sancta Synodus declarat... episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad... hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos... a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse» x. *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s.* 2.

Eadem docent Concilium *Vaticanum* 3 et *Codex Juris Canonici* 4.

Explicatur. Episcopi in Ecclesia Romana sunt successores apostolorum, non ita quidem, ut quilibet episcopus sit successor talis determinati apostoli, sed quatenus corpus episcoporum succedit collegio apostolorum. In hoc corpore episcoporum Romanus Pontifex, ordine par, jurisdictione superior episcopis, praeest omnibus. Episcopi tanquam veri pastores praesunt presbyteris ac ministris, et potestate ordinaria pascunt ac regunt greges sibi commissos.

ARTICULUS II

UTRUM ECCLESIA ROMANA SIT VERE MONARCHICA

398. Quaestio de monarchia Ecclesiae Romanae pendet a Primatu, quem Christus instituit in B. Petro. Ideo diversae questiones sunt dilucidandae.

§ 1

Utrum B. Petrus Romam venerit ibique commoratus cathedram erexerit atque vitam martyrio finierit.

399. Status quaestionis. 1) Haec questio non est, ut quidam minus proprie dixere, mere historica, sed proprie theologica et maxime

1 *Sess.* 23, c. 4; Denz-Bannw., 960.
2 *Sess.* 23, can. 6; Denz-Bannw., 966.
3 *Sess.* 4, C. 3; Denz-Bannw., 1828.
4 Can. 108, § 3; et 329, § 1.

apologetica, intime connexa cum Primatu Romani Pontificis super universam Ecclesiam 1.

2) Tria sunt, ut ex titulo patet, heic discutienda: a) an Petrus Romam venerita; b) num cathedram ibi erexerit seu episcopatum romanum gesserit; c) utrum episcopatum romanum gerens martyrium subierit.

400. Errores. A. De Petri in urbem adventu, i) *Waldenses* imprimis 2, dein *Marsilius Patavinus* 4;* et ultimo protestantes, inter quos eminent *Ulricus Velenus* 6 et *Fridericus Spanheim* °, omni genere argumentorum conati sunt ostendere S. Petrum nunquam Romam venisse 7.

2) Hunc errorem aliquantulum sopitum renovarunt elapso saeculo quidam protestantes et rationalistae. Professores scholae tubingensis, principia sanioris criticae sequi simulantes, dixerunt discordias inter Petrum et Paulum post mortem Christi fuisse ortas, duasque religionis formas seu factiones, petrinismum scilicet et paulinismum, molitas fuisse. Litis componendae gratia scripta sunt Evangelia Marci et Joannis Actusque apostolorum. Factionibus ita conciliatis, exorta est Ecclesia catholica circa medium saeculum n, fictumque est Petrum et Paulum concordes Romae collaborasse, ibique, episcopatu fundato, martyrio coronatos esse. Hanc doctrinam, duce *F. Chr. Baur,* et plaudentibus *E. Zeller, Rich Alb. Lipsio, J. Langen* (olim catholico), et *Pfleiderer,* plures tenent. Huic doctrinae subscripserunt *Eichhorn, Strauss* et alii pauci extra scholam tubingensem 89

B. De cathedra episcopali, i) Nonnulli cum Papebrochio putant Petrum et Paulum fuisse duos in solidum Romae' episcopos, ita tamen ut

1 Pesch, ***Inst. propaed.,*** n. 465 ait: «ad veritatem primatus romani probandam sufficit tria haec demonstrasse: ***a)*** Christum instituisse primatum; ***b)*** voluisse, ut primatus esset perennis in Ecclesia; ***c)*** Ecclesiam in sola sede romana primatum agnovisse». Haec, ut recte ait Murillo, ***La Iglesia romana,*** t. 1, lib. 2, secc. 1, c. 1, § i, sane non sufficiunt ad veritatem primatus romani probandam, nisi in tertio puncto supponas Ecclesiam in sede romana ***per adventum Petri in Urbem cathedraeque erectionem*** primatum agnovisse.

2 Sedulo hic distinguendum est factum ipsum itineris Petri in Urbem a circumstantiis temporis, etc. Nos de ipso facto in praesenti agimus, relictis pro historia adjunctis chronologicis. Cfr. Jaugey, ***Diccion. apologetico,*** v. Pedro (San) en Roma.

3 Cfr. P. Moneta, ***Op. adv. catharos et waldenses.***

• ***Defensor pacis.***

" ***Tract, quo 18 argumentis asseritur Petrum nunquam Romae fuisse,*** 1520.

8 ***Dissertatio de ficta Petri apostoli in urbem Romam profectione,*** 1679.

7 Cfr. J. Fisher, episcopus roffensis, ***Convulsio calumniarum Ulrici Veleni,*** 1522; Cochlaeus, ***Ob Sont Peter zu Rom sey geweszen,*** 1524: Waldensis, ***Doctrinale fidei,*** lib. 2, a. 1, c. 7; S. Bellarminus. ***De Rom. Pontifice,*** lib. 2, c. I sqq.; Dominicus a SS. Trinitate. ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. 4, c. 5; Foggini, ***De romano D. Petri itinere et episcopatu;*** et alii.

8 Ex catholicis recentioribus in hac controversia eminuerunt Sanguinetti, ***De Sede Romana S. Petri,*** 1867; De Smedt, ***Dissert.,*** t. 1; Jugmann, ***Dissert.,*** t. 1; P. Martin, ***Revue des Questions historiques,*** 1873, et ***Revue des Sciences ecclés.,*** 1875; M. Locler, ***De Romano S. Petri Episcopatu,*** 1898, et apud Jaugey, ***Diccion. apol.,*** v. ***Pedro en Roma;*** Murillo, ***La Iglesia romana,*** t. I, p. 339 sqq.—Fabiani, Guidi, et Cipolla, sacerdotes romani, disputationem hac de re habuerunt Romae diebus 9 et 10 Febr. 1872 cum Sciarelli, Rivetti et Gavazzi. haereticis, quorum argumenta omnino diluerunt. Cfr. ***Resc. autentico della disputa dei*** 9 ***e*** 10 ***Febbrajo,*** 1872.—Ex rationalistis consentiunt catholicis Adolf Hilgenfeld, ***Zeitschrift für wissenschaftliche Théologie,*** p. 486 sqq.; Harnack, ***Patres apostol.,*** 1, not. ad Clem. I, 5, ,t ***Die Chrotiolog.*** , 1897; Woizsltokor, ***Apostolisches Zeitalter,*** p. 467 sqq.; Weiss, ***Einl*** , p. 287; Glesoler, ***/ehrbuch der Kirchenhesch, t,*** 80.

S. Petrus principatum semper tenuerit [1]. Sed hoc improbabiliter dictum est [2].

2) *Recentiores protestantes rationalistae* negant communiter S. Petrum cathedram Romae erexisse et episcopatum romanum gessisse [3]. Vide *Adolf Hilgendelf, Harnack,* IFeiss, *Gieseler.,* etc?, locis citatis.

C. De morte Petri in Urbe. Plures protestantes antiqui et recentior schola tubingensis negaverunt Petrum in Urbe martyrio coronatum esse. Alii rationalistae parum curant de loco mortis Principis apostolorum.

401. Thesis I. Certum omnino est S. Petrum Romam venisse

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* 1) *Marcus euangelista,* cum socius esset et interpres Petri, hunc apostolum in praedicando Evangelio comitatus est [4]. Porro Evangelium Marci Romae scriptum est, ut *Papias, Clemens Alex., Irenaeus,* aliique testantur [5], et ex nominibus romanis, quae pro graecis auctor passim usurpat (12, 42; 15, 39, etc.), constat [6].

2) S. Petrus in sua prima epistola ait: *Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coelecta, et Marcus, filius meus* [7]. Porro nomine *Babylonis* in praefato loco intelligitur Roma, ut a) tota antiquitas Christiana docet, et b) rationes exegeticae suadent. Ergo Petrus Romam venit. Prob. min.

a) *Tota antiquitas Christiana docet.* Nomine Babylonis in praefato loco Romam designari omnes veteres testantur, si unum Cosmam Indicopl. scriptorem nullius auctoritatis, saeculi vi, excipias. Ita post *Papiam* et *Clementem Alex.* [9] textum interpretati sunt *Tertullianus* [10], [11] S. *Hieronymus* [12], S. *Beda* [13], *Theophylactus* [13], [14] et alii communiter usque ad protestantium deliramenta [15].

1 Cfr. *Const, apost.,* lib. 7, c. 46; MG 1. 1049; et Bolland. XIII, *Paralip. ad Conatum in Catal. Pont.,* p. 33.

2 Veteres quidam scriptores dixerunt Petrum et Paulum episcopatum in Urbe gessisse, et nonnulli Pontifices se successores apostolorum Petri et Pauli subscribere consueverunt; sed hoc solum probat Paulum in Urbe non Urbis episcopum fuisse. Vide Groot. *Summa apologetica,* q. 15, a. 2.

3 Solummodo concedunt Petrum versus finem vitae Urbis visendae causa vel etiam Evangelii praedicandi gratia Romam petiisse, quin tamen de episcopatu constituendo cogitaret.

4 Quamquam hic non agatur de tempore quo S. Petrus Romam venit, pro clariori tamen intelligentia eorum, quae dicentur, lubet diversas sententias quae hac de re circumferuntur referre, *a)* Eusebius. *Chron.* ad a. 44, 40; MG 19. 539; Baronius et alii cum universali traditione tenent Petrum 25 et amplius annis ante mortem Romam venisse. Juxta hanc sententian illa verba *Act.* 12, 17, *abiit* (Petrus) *in alium locum,* intelliguntur de primo profectu Petri in Urbem anno 42. Inde perrexit (a. 50) Jerosolymam, Antiochiam et probabiliter in Asiam minorem. Romam a. 63 reversus, ibi usque ad mortem (a. 67) permansit, *b) A.* Pagi putat iter Petri ad exordium usque imperii Neronis dilatum fuisse.

5 Cfr. Comely, *Introd,* comp., n. 603.

3 Cfr. Eusebius, *H. E.,* lib. 2, c. 15; MG 20, 172 sqq.

' Rufum etiam romanum commemorat evangelista ut lectoribus suis notum *(Mare.,* 15, 21).

8 *I Petr.,* 5, *13.*

9 Cfr. Eusebius, *H. E.,* lib. 2, c. 15; MG 20. 173.

10 *Adv. jud.,* c. 9; ML 2, 660.

11 *De viris ill.,* 8; ML 23, 654.

12 *In I Petri,* 5, 13; ML 93, 67.

13 *In I Petri,* 5, 13; MG 125, 1251.

14 Patrum interpretationem admittunt ipsi doctiores protestantes cum Zoller, *Zeitschr., fiir wissenschaftl. Theol.,* p. 35; Farrar. *Early Days of Christianity,* vol. 2, p. 239; Hort., *Judaistic Christianity,* p. 155) Grotio, *in I Petri,* 5, 13; et aliis

b) *Rationes exegelicae suadent.* Etenim a) Petrus, cum hanc epistolam scriberet, Marcum comitem habebat, et ambo erant in ecclesia coelecta. Porro ex epistolis S. Pauli colligitur Marcum illo tempore Romae fuisse β) Antequam Paulus Romam pergeret, ecclesia ibi fundata est, ut certissime constat ex epistola ad romanos 15, 20-24. Romae autem nemo poterat nisi Petrus ante adventum Pauli ecclesiam fundare[1]. γ) Nomine Babylonis Roma designari consuevit tum in *Apocalypsi 3,* tum in vetustis libris judaicis 4;* tum in oraculis sibyllinis 6,7 ut dilucide probat *Hundhausen* β. δ) Hac appellatione non designatur 1.° *Babylon ad Euphratem,* ut contendunt *Cosmas 1, Erasmus, Calvinus, Gerhard, Scaliger,* et alii, quia haec antiquitus famosa civitas tempore jam Christi deserta erat, ut diserte testantur *Strabo 8, Plinius* 9, et *Josephus 10,** et quia altum silentium est in antiqua traditione et historia de profectu S. Petri in Mesopotamiam; nec 2.° *Babylon Seleuciae ad Tigrini,* ut *Michaelis* tuetur, quia nulla est in antiquitate hujus facti memoria; nec 3.° *Babylon Aegypti ad Memphidem,* ut *Pearson, Wall,* et alii minus recte tenuere, quia non civitas sed oppidulum erat seu castellum paucorum habitantium [11]; nec 4.° ipsa Jerusalem pro Babylone intelligitur, ut *Spanheim* et alii volunt, quia relicto semel sensu litterali, nomen Babylonis tropice magis Romae quam Hierosolymae congruit. Nulla alia Babylon restat, cui textus S. Petri applicari queat. Ergo de Roma intelligendus est [12].

402. Arg. II. *Ex traditione.* Constans et unanimis veterum traditio docet S. Petrum de facto Romam venisse.

a) S. *Clemens Romanus* versus annum 95 saeculi i ad corinthios scribens ait: «Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos: *Petrum* qui propter zelum iniquum non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus in debitum gloriae locum discessit. Propter zelum et contentionem Paulus patientiae praemium exhibuit... Viris istis sancte vitam agentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui suppliciis multis et tormentis propter zelum passi exemplar optimum *inter nos exstiterunt»* [13]. Clemens haec Romae scribens satis innuit Petrum in Urbe martyrium subiisse [14].

1 ***Coi.,*** 4, io; Philem., 24; ***II Tini.,*** 4, II.
2 Vid. Dollinger, ***Christenthwn unii Kirch,*** p. 99.
3 ***Apocal.,*** 17, 5.
4 Vide Schôttgen, ***Horae hebr. et talm.,*** p. 1050.
6 ***Orae, sybyll.,*** lib. 5; cfr. Szekely, ***Biblioth. Apocrypha,*** vol. 1, § 18.
° ***Das erst Ponti/icalscreiben des Apostelfürsten Petrus,*** p. 86.
7 ***Topogr. christ.,*** lib. 2; MG 88, 113.
8 ***Geogr.,*** 16, i, 5.
8 ***Hist. Nat.,*** lib, 6, 30.
18 ***Antiquit.,*** lib. 18, c. 9, n. 8 sq.
" Cfr. Baronius, ad a. Chr. 45; et Comely, ***Intr.*** 3, 621 sq.
12 Nec metaphora displicet; quia sicut olim Babylon centrum fuit corruptionis et sedes persecutorum populi Dei, ita Roma quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluebant celebrabanturque, merito dicta est Babylon, quae idem est ac confusio. Huic metaphorae occasionem dedisse videtur dira tyrannorum Helii, Tigellini et Neronis in Christianos persecutio.
13 ***/ ad Cor.,*** 5, 6; MG 1, 218 sq.
14 Vide Funok, in hunc locum Hic addit Harnack ***(Pair, apost.,*** I, 67): 'Lis

b) S. *Ignatius M.* (f 107) ad Romanos ajebat: «Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio. Illi *apostoli,* ego condemnatus, illi Eberi, ego usque nunc servus»[1]. Quibus aperte significatur Petrum pariter et Paulum romanis praecepta dedisse; Petrus autem nonnisi praedicando Evangelium haec praecepta dedit romanis. Ergo Petrus aliquando Romae fuit[2].

c) *Papias,* discipulus S. *Joannis* et episcopus hieropolitanus, diserte affirmat[3,4] S. Petrum Romae scripsisse suam priorem epistolam. *Clemens Alex,* refert Marcum rogatu plurium suum Evangelium scripsisse, «cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset et Spiritu Sancto afflatus evangelium promulgasset»[5]i.

d) *Ex fragmento muratoriano,* quod versus a. 170 scriptum est, satis colligitur S. Petrum Romae mortuum esse. S. *Irenaeus,* qui juxta *Harnack*[5] suum opus *Adv. haereses* versus a. 181 composuit, *Matthaei Evangelium* scriptum esse dicit, «cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent ecclesiam»[6]. *Dionysius Corinthius* a. circiter 170 refert, quod Petrus et Paulus «in Italiam simul profecti eodem tempore martyrium pertulerunt»[7]. Saeculo in et sequentibus omnes communiter idem docent. Legantur *Tertullianus*[8], *Origenes*[9] et alii[10,11].

403. Thesis II. S. Petrus cathedram episcopalem Romae erexit et occupavit[12].

Arg. I. a) Paulus Apostolus mittens epistolam *omnibus qui sunt Romae dilectis Dei et vocatis sanctis*[12,13] quorum *fides annuntiatur in universo mundo,* supponit jam Ecclesiam in Urbe fündatam constitutamque esse, b) Impediebatur plurimum venire ad romanos, ne super ahenum fundamentum aedificaret: non enim consueverat praedicare Evange-Hum, ubi nominatus est Christus[13].

Arg. II. *Ex traditione.* Traditio universalis 1) vetustissimis Patrum testimoniis munita et 2) antiquis Pontificum catalogis confirmata docet S. Petrum cathedram Romae erexisse.

sub judice adhuc non esset, nisi critici fabulis illis pseudoclementinis vel judaizantium Christianorum plus quam par est auctoritatis tribuerent».

1 ***Rom.*** 4, 3; MG 5, 808.

2 Cfr. Baratier, ***Disquisit. chronol. de suce. episc. Rom.,*** § I, n. 3, qui verba S. Ignatii optime interpretatur.

3 ***Exposit. sermonum Domini,*** ap. Eusebium, ***H. E.,*** lib. 2, c. 15; MG 20, 172.

4 Apud Eusebium, ***H. E.,*** lib. 6, c. 14; MG 20, 552.

6 ***Chronolog.,*** p. 320.

6 ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 1; MG 7, 844.

7 Apud Eusebium, ***H. E.,*** lib. 2, c. 24; MG 20. 209.

8 Αλι. ***Mare.,*** lib. 4, c. 5; ML 2, 395.

° Apud Eusebium, ***H. E.,*** 3, 1; MG 20, 215.

10 Plurium testimonia expenduntur apud Jaugey, ***Dice. Apol.*** (hisp.), v. ***Pedro en Roma.***

11 Ex demonstratione hujus theseos sequitur S. Petrum fuisse Romae episcopum, et romanae sedi primatum adnexuisse, adeo ut, qui episcopatum romanum legitime obtinuerit, vere dicatur successor Petri.

12 ***Rom.,*** i, 7-8.

13 ***Rom.,*** 15, 20.

a) Patrum testimoniis traditio munitur. S. *Ignatius* diserte adserit[1] S. Petrum Romanis aliquando praecepta dedisse, personaliter ut patet Ecclesiam in Urbe constituendo.

S. *Irenaeus,* episcopus lugdunensis, qui Asiam, Galliam et Italiam peragravit, ut codices inviseret, traditiones examinaret, successionesque episcoporum cognosceret, ait[2][3] «Fundantes igitur et instruentes beati apostoli (Petrus et Paulus) Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt... Succedit ei Anacletus; post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos... Huic autem Clementi succedit Evaristus; et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis constitutus est Sixtus... nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet *Eleutherius*» [3]. Eadem habet *Tertullianus* [4], cujus quidam coaetaneus haec metro scripsit:

> «Haec cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum
> Maxima Roma Linum primum considere jussit...
> Constabat pietate vigens Ecclesia Romae
> Composita a Petro, cujus successor et ipse
> Jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus» [5].

S. *Epiphanius* haec habet: «Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus et Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus...»[6]. Ita passim alii Patres loquuntur.

b) Vetustis Pontificum catalogis traditio confirmatur. Primum Romanorum Pontificum catalogum confecit Romae *Hegesippus* versus annum 150, qui, ut ipse in suis *Commentariis* [7] expresse adserit, episcoporum romanorum successionem usque ad *Eleutherium* perduxit [8]. Eo proculdubio usus est S. Irenaeus qui paulo post Hegesippum Romam petiit et alium catalogum contexuit. Eusebius item, cui *Commentaria* et *Memoriae* Hegesippi familiaria erant, ait: «Linus vero... primus post Petrum, ut jam supra diximus, Ecclesiae Romanae episcopatum adeptus est» [9]. Plures alii jam inde ab Hegesippo hujusmodi catalogos scripserunt, et omnes unanimi consensu Petrum vocaverunt primum Ecclesiae Romanae episcopum [10].

1 ***Ad Rom.,*** c. 4: MG 5, 809.

2 ***Adv. haer.,*** 3, 3, n. 3; MG 7. 849.

3 Pro intelligentia S. Irenaei aliorumque Patrum et catalogorum, qui modo recensebuntur, praenotandum est Pontifices a quibusdam ***incluso Petro*** ab aliis ***eo excluso*** enumerari, non quod Petrum ab episcopatu romano excluderent, sed quia ejus successores enumerare voluerunt.—Item nonnulli ex latinis Anacletum vocant Cletum, dum alii eos volunt duos fuisse Pontifices.

4 ***De Praescript.,*** c. 36; ML 2, 59.

5 ***Carmen adv. Marcionem,*** lib. 3, c. 9; ML 2, 1133.

6 ***Adv. haer.,*** haeres. 27, n. 6; MG 41, 373.

7 Apud Eusebium, ***H. E.,*** lib. 4, c. 22; MG 20, 377.

8 Hoc ipsi rationalistae communiter fatentur. Nihilominus Harnack, ***Chronol. der ait. christl. Liter bis Euseb.,*** p. 180-183, Valesium sequutus, negat praefatum catalogum fuisse ab Hegesippo confectum, verbaque auctoris aequivalere contendit ***mansi ibi apud*** Anicetum; sed frustra, ut optime argumentatur contra ipsum Murillo, ***La Iglesia romana,*** t. I, p. 360 sqq.

9 ***H. E.,*** lib. 3, 4; MG 20. 221.

10 Cfr. Bollandiolae, ***Propylaea mensis Maji;*** Duchesne, ***Liber Pontificalis,*** introii , c. 1, p. 1 sqq ; Do Smodt, ***Dissertationes selectae in hist, eccl.,*** app. K.

Catalogus Liberianus, ita nuncupatus, quia ad Liberium usque protenditur, a. 354 a Dionysio Philocalo transcriptus, haec habet: «Imperante Tiberio Caesare passus est Dominus noster Jesus Christus, duobus Geminis Cons. VIII kal. Aprilis, et post ascensum ejus Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus et quot annis praefuit, vel quo imperante. Petrus annis 25, mense uno diebus novem. Fuit tempore Tiberii Caesaris et Caji et Tiberii Claudii et Neronis a consulatu Vinicii et Longini usque Neronis et Veteris. Passus autem cum Paulo die III kal. julias cons. ss. (suprascriptis) imperante Nerone.—Linus annis 12, mensibus 4, diebus 12...» Kirch, *Enchir.,* n. 545.

Difficultatibus satisfit.

404. Obj. 1.° S. Petrus, apostolus cum esset, nullam habuit sedem episcopalem. Apostoli enim ratione sui officii nequiverunt in uno loco residere, sed debuerunt totum percurrere mundum et praedicare Evangelium omni creaturae. Ita *Samuel Besnage* et alii.

Resp.—Neg. ant. Dignitas enim apostolica et officium episcopi residentialis optime cohaerent in uno subjecto. S. Jacobus fuit de facto episcopus Hierosolymae, ut refert *Hegesippus* apud *Eusebium* *, S. *Joannes Evangelista* episcopus Ephesi -, et S. Petrus, antequam Romam se conferret, gessit episcopatum Antiochiae.

Obj. 2.° S. *Irenaeus* 2, cum Pontificum texeret seriem, sexto loco posuit Xystum, et scriptor quidam anonymus *(Cajus)* 4 Victorem enumerat tertiodecimo loco. Hi autem computus excludunt S. Petrum ab episcopatu romano. Ita *Harnack* 5 6

Resp. S. Irenaeus et Cajus locis citatis catalogum contexuerunt *successorum* S. Petri. Hoc certissime patet, quia S. Irenaeus alibi °, cum seriem *episcoporum* Romae texeret, Hyginum vocans octavum episcopum, Xystum sexto loco collocavit; et Cajus expresse suam mentem exposuit, cum S. Victorem ait esse tertiumdecimum episcopum *post S. Petrum.*

405. Thesis III. S. Petrus Romae martyrio coronatus est.

Arg. I. *Ex SS. Patribus. Clemens Romanus* 7* S. Petro aliquando coaevus, satis clare insinuavit Petrum et Paulum in uno loco martyrium passos esse, cum eos, ut exemplar patientiae nobis exhibens, propter zelum iniquum et contentionem (Neronis zelum designat) necatos esse adserit et optimum exemplar inter romanos exstitisse. Hoc ipsum retulerunt alii Patres qui Clementem proxime sequuti sunt, ut *Dionysius Corinthius* 8, *Cajus* °, *Tertullianus* 10 et alii.

Arg. II. *Ex vetustis monumentis,* a) Cathedra S. Petri in Vaticano. Antiquissimum sane monumentum quod nostrae theseos veritatem te-

1 ***H. E.,*** 2, 23; MG 20, 196.
2 Cfr. S. Irenaeus, ***haer.,*** 3, 3-4; MG 7, 854.
3 ***Adv. haer.,*** 3, 3, n. 3; MG 7, 85X.
4 Apud Eusebium, ***H. E.,*** 5, 28; MG 20, 512.
5 ***Chronol.,*** p. 171 sqq.
6 ***Adv. haer.,*** lib. 1, c. 27, u. 1; MG 7, 687
7 ***Ad Cor.,*** 5, 6; MG 1, 217.
8 ***Fragm. ad Rom.,*** apud Eusebium, ***H. E.,*** lib; 2, 25; MG 20, 209.
9 Apud Eusebium, ***H. E.,*** lib. 2, c. 25; MG 20, 209.
10 ***De Praescriptionibus,*** c. 36; ML 2, 59.

statur est *cathedra S. Petri in Vaticano,* quae, jam inde a S. Petro habita est ut symbolum successionis Romanorum Pontificum juxta illud *carminis adversus Marcionem:* «Haec cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum maxima Roma Linum primum considere jussit» 1. Saeculo iv in baptisterio Vaticani a S. Damaso collocata est cum hac inscriptione: «Una Petri sedes unum verumque lavacrum» 2. De hac cathedra ait versus finem saeculi v *Eunodius Paviensis:* «Ecce nunc ad gestatoriam sellam apostolicae confessionis uda mittunt limina candidatos, et uberibus gaudio exacto, fletibus collata Dei beneficio dona geminantur» 3. Cum a. 1867 publicae venerationi exposita esset, a domino De Rossi accurate examinata est atque agnita pro Petri cathedra 4.

b) Coemeterium Ostrianum. Ferebatur Romae S. Petrum olim in coemeterio Ostriano, quod *Fontis S. Petri* vel etiam *ad Nimphas B. Petri* vocant, suam cathedram habuisse et baptizare solitum fuisse. A multo tempore latuit locus coemeterii, sed D. Armellini, instructiones domini De Rossi sequutus, inter vias Salariam et Nomentanam reperiit catacumbam et in ea vetustam inscriptionem: *San Pet...i C. Emerentiana... amas.* Inscriptiones, sarcophagi, symbola, etc., quae in hoc coemeterio conspiciuntur, pertinent ad primordia christianismi 5. Cathedra hujus coemeterii non est confundenda cum altera Vaticani quam modo descripsimus. Quare Ecclesia duas olim festivitates in anno celebrare consuevit, unam die 18 Januarii: *Dedicatio Cathedrae Petri apostoli qua primum Romae sedit;* alteram die 22 Februarii: *Natale Petri de Cathedra,* cui post saeculum vin adjectum est: *in Antiochia.*

c) Sepulcrum S. Petri in Vaticano. Memoria proditum est et *Liber Pontificalis* 6 confirmat corpus S. Petri sepultum esse in Vaticano prope viam Aureliam. Cum S. Anacletus locum ibi corporibus Summorum Pontificum *juxta corpus S. Petri in Vaticanum* sepeliendis parare vellet, exubias beati apostoli in catacumbas transtulisse fertur, ubi in magna veneratione habitae sunt, ut sarcophagus et alia monumenta archaeologica ibidem reperta demonstrant 7. Exstructo per Anacletum sarcophago, in Vaticanum iterum translatum est corpus Apostoli, ubi fidelium venerationi expositum servabatur ineunte saeculo m, ut testatur Cajus his verbis: «Ego vero apostolorum trophaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophaea eorum qui ecclesiam illam fundaverunt» 8. Haec trophaea sepulturae sunt S. Petri in Vaticano et S. Pauli in via Ostiensi.

d) His monumentis non immerito possunt aggregari imagines S. Petri Romae repertae, descriptiones basilicarum SS. Pudentianae et Pri-

1 Lib. 3, c. 9; ML 2, 1133.
2 Gruter, *Inscript.,* 1163.
3 *Bull.,* 1867, p. 331 sqq.
4 Cfr. De Rossi, *Bull.,* 1867, p. 34; Kraus, *Roma sotterranea,* p. 575.
5 Cfr. Armellini, *Scoperta della cripta di Santa Emerenziana...* Roma, 1877.
° Duchesne, t. i. p. 1x8, 152, 193.
' Haec, monumenta ad saeculum *I* aerae Christianae pertinere putant periti. Cfr. Do Rosei, *Roma sotterranea,* t. I, p. 188; Leoler, *De Rom. S. Petri episcopatu,* p. 130: Maruoohl, *Man. di archcol. crist.,* p. 39.
" *tdv. Proclum.,* apud Eusebium, *II Ii.,* 2, 25; MG 20, 209.

scae, S. Petri ad Vincula, *Domine, quo vadis,* necnon inscriptiones et symbola quae in coementeriis SS. Priscillae et Domitillae visuntur.

406. Scholion. *De durationе Pontificatus et tempore martyrii S. Petri in Urbe.* Circa durationem Pontificatus S. Petri in Urbe ea est opinionum varietas, ut vix queas omnium placita in unum ordinem redigere.

1) Nonnulli contendunt S. Petrum anno 42 aerae Christianae Romam sé contulisse, alii anno 43, et alii anno 44.

2) Juxta quosdam S. Petrus Pontificatum romanum gessit annis 25, mense 1 et diebus 9 *; juxta alios 25 annis 13 juxta Rufinum 24 annis, et juxta *versionem armenam* apud Eusebium 20 tantum annis. Alii cum Papebrochio censent S. Petrum Romae commoratum esse annis circiter 15. A. Pagi duodecim circiter annis. Alii, praesertim protestantes-rationalistae, ad paucos menses reducunt residentiam Petri in Urbe.

3) Plures contendunt Petrum simul cum Paulo martyrium subiise *; alii eodem die sed diverso anno; alii diverso die et anno 4.

4) *Cabe, Dupin* et *Wieseler* censent Principem apostolorum anno 64 aerae Christianae mortuum esse; *Pagi, Constanzi, Bollandistae, Tillemont, Foggini,* etc., anno 66 56 *Baronius, Petavius, Pairizi,* et alii plerique anno 67: *Mazzochi, Piter,* etc., anno 68.

Haec pauca circa rem probabilius tenenda credimus.

a) Anno 42 aerae Christianae S. Petrus Romam profectus est. S. *Hieronymus* °, *Catalogus Liberianus* ', *Eusebius* § et alii bene multi diserte ponunt adventum S. Petri in Urbem anno 2.° Claudii imperatoris, qui in annum 42 aerae Christianae incidit.

b) Vlglnti quinque annis, uno mense et novem diebus Pontificatum gessit. Haec opinio *Catalogi Liberiani* videtur magis admittenda, cui fortasse consentiunt Hieronymus et Eusebius numerum rotundum 25 annorum adsignantes; fractiones quippe non semel supprimuntur.

c) Anno 67 aerae Christianae, eodem die et anno ac Paulus, martyrio coronatus est. Hoc plures rationes suadent: α) Petrus et Paulus mortui sunt absente Nerone sub consulum potestate 9 10. Hoc autem contigit cum Nero Achajam profectus usque ad a. 68 Roma abfuit, β) Juxta S. *Hieronymum* Seneca «ante biennium, quam Petrus et Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est» 19 Novimus autem ex *Tacito* 11 Senecam interfectum esse a. 65. γ) Apostoli dicuntur mortui 14 Neronis anno. Nero autem imperium adeptus est ineunte anno 54 12.

§ 2

Utrum Romani Pontifices succedant B. Petro in Primatu Ecclesiae.

407. Status quaestionis. Successor proprie dicitur qui alicujus sedem seu officium cum omnibus praerogativis ex vi institutionis ejusdem

1 *Catalogus Liberianus;* KIrck, *Enchiridion, font, hist.,* 545.
2 S. Hieronymus, *De viris ill.,* c. i; ML 23, 638; et Eusebius, *Chronic.,* lib. 2, a. 40; MG 19, 539.
3 S. Dionysius Corinthius, apud Eusebium, *H. E.,* 2, 25; MG 20, 209.
1 Cfr. Hergenrbther, *Hist, de la Igl.* (hisp.), t. 1, p. 183 sqq.
0 Catalogus Liberianus et Eusebius huic opinioni consentire videntur.
6 *De viris ill.,* c. 1; ML 23, 638.
' Vid. n. 403.
8 *Chronic.,* lib. 2, a. 40; MG 19, 539; et *H. E.,* lib. 2, c. 14; MG 20, 172.
9 Clemens Rom., *Ep. I ad cor.,* c. 5; MG 1, 217.
10 *Catalog. De viris ill.,* c. 12; MG 23, 662.
11 *Annal.,* 15, 60.
12 Cfr. Maruoohi, *Manuale di archeol. crist.,* p. 2, c. 2, § I.

obtinet. Quaerimus hic, an Romanus Pontifex ex vi institutionis Ecclesiae, id est, jure divino, non ecclesiastico aut historico, sit successor S. Petri in primatu Ecclesiae cum omnibus praerogativis tali primatui adnexis.

408. Errores, a) ***Omnes schismatici,*** quotquot praeeunte Photio exstiterunt apud graecos, ruthenos, etc., negaverunt Romanum Pontificem succedere Petro in primatu jurisdictionis.

b) ***Protestantes,*** tum veteres tum recentiores, abhorrent a doctrina quae docet Romanos Pontifices esse successores B. Petri in primatu Ecclesiae. Vide ***IV. Palmer*** *, ***Puller*** 1 et alios.

c) ***Rationalistae,*** qui ex protestantismo prodierunt, pro viribus inficiantur successionem Romani Pontificis in primatu Ecclesiae 3.

409. THESIS. Romanus Pontifex est successor B. Petri in primatu jurisdictionis super universam Ecclesiam.

Arg. I. Hujus theseos solidum argumentum sumitur ex data superius doctrina. Ostensum enim est S. Petrum perpetuos ex institutione Christi habere successores in primatu. Sed nemo alius a Romano Pontifice excogitari potest, cui haec successio competat. Ergo 4.

410. Arg. II. *Ex traditione.* SS. Patres et concilia Ecclesiae constanter hanc doctrinam tradiderunt.

1) SS. Patres. S. *Clemens,* qui cum apostolis Petro et Paulo vitam aliquando in Urbe duxit, satis luculenter nostram thesim docuit, cum ad corinthios scribens Ecclesiae Romanae auctoritatem ad Corinthum quoque se extendere vindicavit his verbis: «Sin autem quidam non obtemperaverint iis quae ille (Christus) per nos dixit, cognoscant offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse, nos autem innocentes erimus ab hoc peccato» 5.

S. *Ignatius* salutat Ecclesiam «quae etiam praesidet in loco regionis romanorum digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur... digne casta et *caritatis coetui praesidens»* e. Coetus caritatis significat hic Ecclesiam universalem, reddens hunc sensum: Ecclesia Romana, quae praesidet in loco regionis romanorum, caritatis coetui, id est. Ecclesiae universali, simul praesidet.

S. *Irenaeus* egregium circa hoc protulit testimonium dicens: *«Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam,* hoc est, eos qui sunt undique fide-

1 ***Treatise on the Church,*** 2, p. 7, ch. 3.

2 ***The Primitive Saints and the See of Rome,*** lect. 1, p. 31 sqq.

3 Hanc successionem; quam nos defendimus, inventum esse Antistitum Romanorum ajunt rationalistae, sed cum adsignare tentant epocham qua romani Pontifices sibi vindicarunt successionem Petri in primatu, inter se acriter pugnant. Lightfoot, ***Clement of Rome,*** putat hoc inventum esse tempore Clementis romani sub finem saeculi 1; Lipsius, apud Harnack, ***Chronolog.,*** tempore Xysti Papae, (t 19-130); Harnaok, ***Chronol.,*** sub finem saeculi n; Pfleiderer, ***Relig. philos.,*** pagina 303 sqq., et alii tempore S. Cypriani.

4 Orientalium antiqui conatus de primatu patriarchis constantinopolitanis adscribendo ab ipsis rationalistis risu accipiuntur.

Ep. 1 ad cor , c. 59. Hermas, ***Pastor,*** î'is. ***2,*** c. 4, n. 3; MG 2, 899, non obscure docuit Clementem Romanum potestatem exercuisse in exteras nationes.

ll ***Ep. ad rom,, Inscr.;*** MG 5, 801.

les, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab apostolis traditio» x.

Tertullianus, licet montanista effectus, cum librum *De Pudicitia* scriberet, agnovit primatum Romani Pontificis 1 quem *Episcopum Episcoporum* nominat.

S. *Cyprianus* ad Cornelium Papam de novatianis scribens Ecclesiam romanam vocat «Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est» 3.

S. *Hieronymus* ad Damasum Papam ajebat: «Facessat invidia; Romani culminis recedat ambitio; cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio» 4.

S. *Augustinus* laudat ecclesiam romanam «in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus» 5. «Numerate, ajebat ad donatistas, sacerdotes vel ab ipsa Petri sede; et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte: ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae» 6.

2) Concilia. Concilium *Sardicense* (a. 347), quod est complementum Concilii Nicaeni, ordinavit, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit «non prius in cathedram ejus alius substituatur, quam romanus episcopus causa cognita sententiam tulerit» 7.

In Concilio Ephesino Philippus, Legatus Romani Pontificis, ita Patres adlocutus est: «Nulli dubium imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicaè *fundamentum... ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et fudicium exercet. Hufus itaque secundum ordinem successor et locum tenens, sanctus beatissimusque Papa noster Caelestinus episcopus, nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc synodum misit»* 8.

Concilium Florentinum, Consentientibus graecis et latinis, hanc solemnem emisit definitionem: *Definimus sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum* 9.

Concilium denique *Vaticanum* anathemate plectit eum, qui dixerit *Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem* 10.

411. Arg. III. Ex factis Romanorum Pontificum aliorumque ad

1 ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 3; MG 7, 849.
2 ***De Pudicitia,*** c. 1; ML 2, 1033.
3 ***Ep.*** 55 (12 ad Cornei.), n. 14; ML 3, 844. Aliqui rationalistae ita agnoscunt vim hujus argumenti, ut dicere non dubitent S. Cyprianum docuisse primatum Romani Pontificis in universam Ecclesiam. Cfr. Murillo, ***La Iglesia roniana,*** t. 1, p. 407.
4 ***Ep.*** 15, n. 2; ML 22, 355.
5 ***Ep.*** 43, ***adv. donatistas,*** n. 7; ML 33, 163.
6 ***Ps. c. part. donat.:*** ML 43, 30.
7 Can. 4; MG 137, 1438.
8 Mansi, 4, 1296.
° ***Decret. Unionis;*** Donz-Bannw., 694.
10 Sess. 4, c. 2; Donz-Bannw., 1825.

eos confugientium. Erudite hoc argumentum expendit cl. *Hurler* [1] a quo lubet nonnulla breviter excipere.

a) Romani Pontifices benevolenti semper animo acceperunt et apostolica sua auctoritate definivere consultationes ex omnibus orbis partibus Romam missas. Sixtus II admisit Dionysii Alexandrini dubium de cujusdam baptismo, Anastasius I consultus est a Joanne hierosolymitano, et ineunte saeculo v fatetur Caelestinus Papa plurima negotia ex ecclesiis cunctis ad Pontificem semper mitti [2].

b) Episcopi et fideles non modo consulebant Romanos Pontifices, verum etiam ad eos recurrebant in negotiis ecclesiasticis. Ita *martyres Iugdunenses* in causa montanistarum scripserunt ad *Eleuterium* (a. 177) [3], *Polycarpus* smyrnensis Romam petiit sub *Aniceto* (157-168) pro quibusdam controversiis componendis[4]; 80 *episcopi aegyptii* et plures orientales recursum fecerunt ad Liberium pro *Athanasio* [5].*

c) Ad Romanum Pontificem appellarunt semper episcopi, tum orientales tum occidentales, afflicti, persecuti, vel sede sua pulsi. Ita *Athanasius* et *Petrus,*~ episcopi alexandrini, ad *Julium* et *Liberium* [6], *Joannes Chrysostomus* (a. 404) ad *Innocentium I* [7], *Theodoretus* ad *Leonem M.* [8] et alii ad alios Pontifices appellarunt.

d) Romani Pontifices non solum paterna caritate exceperunt episcopos ab haereticis afflictos et sede pulsos, ut referunt *Sozomenus* [9], *Socrates* [10] et alii bene multi, sed ipsos quoque eorum judices ad suum tribunal vocatos non semel compescuerunt. Sic Julius accusatores S. Athanasii Romam accersiri jussit, ut quae vellent contra antistitem deponerentur; S. Innocentius Theophilum alexandrinum, qui S. Joannem Chrysostomum deposuerat, ad synodum pro reddenda ratione vocavit [12].

e) Omnes denique quotquot vel de fide suspecti erant, vel communionem cum Ecclesia catholica fingere curabant, ut marcionitae, montanistae, donatistae, ariani, pelagiani, nestoriani, eutychiani, etc., ipsi quoque imperatores ad Romanos Pontifices recurrere consueverunt.

f) Romani Pontifices quaestiones de fide et moribus semper definivere, et haereses cunctas apostolica auctoritate contrivere. Exemplo sunt quae Silvester, Caelestinus I, Leo M., etc., de divinitate et incarnatione Christi, maternitate divina B. M. V., processione Spiritus Sancti, etc., docuere; et quae in damnatione Arii, Nestorii/Eutychetis, pelagianorum, donatistarum, etc., tradidere, ita ut dicere liceat Romanos Pontifices semper doctrinas fidei et morum omnibus ecclesiis pro-

1 ***Theol. gen.,*** nn. 372-384.
2 ***Ep. 3 ad episcopos illiricos;*** ML 50, 427.
3 Apud Eusebium, ***H. E.,*** 5, 4; MG 20, 440.
4 Cfr. Eusebius, ***H. E.,*** 5, 24; MG 20, 508.
5 ***Ep. Liberii ad Constant.,*** n. 2; ML 8, 1352.
6 Cfr. Hieronymus, ep. 127, 11. 5; ML 22, 1089.
7 ***Ep. Chrysost. ad Innocentium;*** MG 52, 529.
8 ***Ep. TI3 ad Leonem;*** MG 83, 1312.
9 ***Hist, eccl.,*** 3, 8; MG 67, 1052.
10 ***Hist, eccl.,*** 2, 15; MG 67, 212.
11 Cfr Theodoretus, ***II. E.,*** 2, 3: MG 82, 996.
12 ***Ep. 5 ad Theophilum;*** MI. 20, 496.

posuisse, et haereses cunctas, quae vel in remotissimis regionibus obortae fuerunt, damnasse.

Ex hac Romanorum Pontificum agendi ratione plenissime constat antistites romanos successores esse Principis apostolorum et primatum jurisdictionis exercuisse in universam Ecclesiam J.

412. Scholion. Ex hucusque dictis liquido constat Romanos Pontifices, quatenus sunt successores Petri, *jure divino* accipere ac exercere primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam. Electio quidem intervenit *jure pontificio* ceu conditio necessaria, sed. designatione personae rite facta in successorem Petri, vi institutionis divinae committitur electo primatus in universam Ecclesiam 1.

§ 3

Quo jure -primatus adnectatur Sedi Romanae.

413. Status quaestionis. 1) Dupliciter potest Romanus Pontifex considerari: a) quatenus est successor S. Petri, supremum pontificatum gerens; b) in quantum est romanae sedis pastor et episcopus, cui *de jacto* novimus primatum Ecclesiae universae alligatum esse. *Primo sensu* certissimum est ipsi *jure divino* primatum Ecclesiae competere, ut satis innuimus in praecedentibus. *Secundo sensu* valde disputatur inter catholicos, num primatus jure divino connectatur sedi romanae, adeo ut ne auctoritate quidem Summi Pontificis transferri queat in aliam sedem.

2) Duae hic quaestiones, ut facile quisque videt, agitantur: a) an primatus jure divino romanae sedi adnectatur; b) an haec connexio ita immutabilis sit, ut nulla humana auctoritate etiam pontificia dissolvi queat. Quia ex prima naturaliter sequitur secunda, ut recte animadvertit *Granderath* 3, ambae simul discutiendae sunt.

3) Ne tamen confusio oriatur, sedulo distinguendus est *episcopatus romanus* a *residentia materiali* Romae. Non hic agitur de unione primatus cum residentia, materiali, sed de ejus cum episcopatu romano conjunctione 4.*

414. Placita theologorum. Tres invenimus hac in re theologorum sententias et unum errorem a Pio IX damnatum.

a) *Nonnulli* censent adnexionem primatus sedi romanae factam esse jure humano, libera scilicet voluntate Petri, qui relicta sede antiochena cathedram Romae erexit, voluntate cujuslibet Romani Pontificis alio transferibilem. fta *Dominicus Soto* a, *Mendive* 6 et alii.

b) *Alii* putant primatum esse sedi romanae adnexum jure humano per

1 Haec et alia profunde ac erudite discussa vide apud Pesch, ***Inst. propaed.,*** nn. 480-498.

2 Cfr. Pesch, ***Inst. propaed.,*** nn. 498-499; Billot, ***De Eccl. Chr.,*** q. 14, th. 28; Canus, ***De Locis,*** 6, 3; Hettinger, ***Theol. fund.,*** p. 2, § 18.

3 ***Const, dogm. SS. Conc. Vat.,*** p. 2, c. 2, comm. 3.

4 Summus Pontifex, etsi Roma egrederetur, semper maneret episcopus romanus.

3 ***IV Sent.,*** dist. 24, q. 2, a. 5, «Duo ergo».

6 ***Inst. theol. dogm.,*** tr. 2, diss. 1, c. 3, a. 3, n. 68 sqq.

specialem Spiritus Sancti adsistentiam ita firmiter, ut nec ipse Petrus nec ejus successores Romani Pontifices potuerint vel possint «separare primatum a sua sede romana, non quidem cx defectu potestatis per se et absolute spectatae, sed ex privilegio indefectibilitatis apostolicae in sequenda divina directione praesertim quoad hujusmodi magnas totam Ecclesiam ejusque ipsum visibile fundamentum concernentes institutiones, quantumvis supponantur non immediate divini sed apostolici dumtapcat juris». Ita *Franzelin* 1 et *Rmus. Pie,* episcopus pictaviensis, in Concilio Vaticano 2.

c) *Alii* volunt conjunctionem primatus cum sede romana esse divinitus factam, eamque auctoritate Romani Pontificis non posse dissolvi, sedem alio transferendo. Ita *Canus 3, Banez* ⁴, *Valentia 5, Suarez 6, Dominicus a SSma. Trinitate* 7, et ex recentioribus *Palmieri 8, Hettinger 9, Granderath lo, Groot* 11 et alii plures. Volunt *Valentia* et alii Petrum jussu Christi antecedente sedem suam ab Antiochia Romam transtulisse, dum alii cum *Palmieri* satis esse putant, ut electio a Petro facta ratihaberetur et firmaretur a Christo.

d) *Error* denique est *Joannis Nepomuceni Nuytz,* professoris taurinensis, qui vestigia Febronii, Marsilii Pictaviensis, etc., sequutus, docuit primatum ad aliam sedem transferri posse citra auctoritatem Romani Pontificis. En propositio in Syllabo sub n. 35 damnata: *Nihil vetat alicujus concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri. Denz-Bannw.,* 1735.

415. Thesis. Probabilius est primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam jure divino sedi romanae adnecti, ac proinde absolute immobilem esse.

Arg. I. *Ex traditione. S. Bellarminus* hanc traditionem exponens ait12: «Deus ipse jussit Romae figi apostolicam Petri sedem; quae autem jubet Deus, mutari ab hominibus non possunt. Id autem Deum jussisse testatur B. Marcellus Papa et martyr in epistola ad antiochenos, ubi dicit Petrum, jubente Domino, Romam sedem suam ex Antiochia transtulisse 13: testatur etiam B. Ambrosius in oratione de tradendis basilicis, ubi refert Christum omnino voluisse, ut Petrus Romae moreretur; et idcirco ei fugienti dixisse: *Venio Romam iterum crucifigi.* Quod est manifestum signum Deum voluisse per mortem Petri Romae firmari ejus sedem»14. Hinc Concilium Lateranense II adserit Petrum *disponente*

1 ***De Ecclesia Christi,*** th. 12.
2 ***Relatio nomine deputalionis; Coll. Lac.,*** vol. 7, p. 293.
3 ***De Locis,*** lib. 6, c. 8 ad 10.
4 ***In II-II,*** q. i, a. to. Dubitatur 4. «Tertia conclusio».
5 ***Analysis fidei,*** lib. 7, c. 12.
6 ***De fide,*** disp. to, sect. 3, n. 10.
7 ***Bibliotheca theol.,*** lib. 3, sect. 4, c. 8.
8 ***De Rom. Pont.,*** p. 336 sqq.
9 ***Theol. fund.,*** p. 2, § 18.
10 ***Const, dogm. Conc. Vat.,*** p. 2, c. 2, comm. 3.
11 ***Summa Apolog.,*** q. 15, a. 5.
12 ***De Rom. Pont.,*** lib. 4, c. 4.
13 «Ejus (Petri) sedes, ait Marcellus vel auctor epistolae ad antiochenos, primitus apud vos fuit, quae postea, jubente Domino, Romam translata est». ML 7, 1092.
14 Hoc factum referunt acta quae tribuuntur S. Lino (Cfr. Ambrosius, ***De excid. hierosol.,*** lib 3, c. 2; ML 15, 2171; et in Via Apia visitur parva ecclesia nomine ***quo vadis,*** in cujus centro conspiciuntur plantae pedis in marmore impressae,

Domino cathedram suam Romae locasse et sanguine suo consecrasse; et *Leo XIII* ait: *Nec sine speciali Dei numine ad illam idololatrae orbis metropolim beatus Petrus apostolorum princeps gressus egit, ut ejusdem Pastor evaderet, eique supremi apostolatus auctoritatem in perpetuum transmitteret*[1].

Arg. II. *Concilium Vaticanum, sess.* 4, c. 2, ait: «Quicumque in hac cathedra Petro succedit, is *secundum Christi ipsius institutionem* primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet». Et rursus cap. 3 addit: «Declaramus Ecclesiam romanam *disponente Domino* super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum»[2].

Arg. III. *Ratione.* Ratio hujus doctrinae est, quia, ut recte ait *Dominicus a SSma. Trinitate*[3], ad perfectionem divinae providentiae, quae primatum Summi Pontificis perpetuo durare voluit, pertinuisse videtur, ut successionem non relinqueret incertam, hominum arbitrio atque schismati subjectam, sed certam atque determinatae sedi praefixam. Quare Angelicus Doctor ait: «Ut (Dominus) suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam caput Ecclesiae suae statuit in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum»[4].

Solvuntur difficultates.

416. Obj. 1.° Septem Summi Pontifices per spatium 73 annorum sedem apostolicam Avennione retinuerunt, et prope finem mundi tempore Antichristi peribit episcopatus Urbis, non primatus qui Pontificem Roma egredientem sequetur. Ergo primatus non est absolute a sede romana inseparabilis.

Resp.—Ad 1."m Septem Pontifices a Clemente V usque ad Gregorium XI residentiam materialem cum sua curia Avennione fixerunt, semper tamen retinuerunt dignitatem pontificatus et episcopatus romani. Potest interdum Romanus Pontifex, datis temporum calamitatibus aliisve causis, residentiam materialem mutare.

Ad 2.“.« Juxta probabilem auctorum sententiam Romanus Pontifex Roma egressurus est tempore Antichristi, retento episcopatu romano. Nullum autem inconveniens videtur quod Pontifex brevi tempore Romam relinquat, dummodo episcopatum non amittat.

Obj. 2.° Urbs aliquando funditus everti potest et de facto tempore Antichristi destruetur. Deleta autem Urbe episcopatus amplius exstare non potest. Ergo primatus Ecclesiae et sedes romana non sunt absolute inseparabiles.

Resp. 1.° Dixerunt nonnulli cum cl. *Joanne a S. Thoma*[5] primatum Ecclesiae a sede romana posse separari solo in casu quo urbs Roma subvertatur. Sed haec doctrina probari non potest, ut ex sequenti responsione patebit.

quas pia traditio tribuit Salvatori nostro in eodem forte loco quo apparuit Petro. Vide Foggini, ***De Romano divi Petri itinere et episcopatu exercit.,*** 17.

[1] ***Lilt. ad Em. Card. Rampolla,*** 15 Jun. 1887; § «Quae hic». ***Acta S. S.,*** 20, 15.

[2] His verbis noluit concilium rem dogmatice definire, sed solummodo intendit traditionem magis firmare. Cfr. Granderath, ***Consi, dogm. Conc. Vat.,*** p. 2, c. 2, comm. 3.

[3] Cfr. Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. 4, C. 8, «Secundo probatur».

[4] ***III p.***. q. 35, a. 7 ad 3.

[5] ***In II-II,*** disp. 7, a. 4, n. 21.

2.° Urbs Roma nunquam taliter subvertetur, ut non possit episcopatum retinere. Quod si aliquando totaliter destruatur, remanebit tamen *titulus episcopalis* cum adnexa dioecesi, quod satis est, ut primatus et episcopatus romanus inseparabiles sint.

417. Scholion. Lubet hic breviter indicare, quid tenendum sit de distinctione inter *sedem* et *sedentem,* de qua non parum abusi sunt richeriani, jansenistae, gallicani et febroniani, tergiversantes verba S. *Leonis M.* ad *Anatolium CP.* *, et adserentes privilegia divinitus Petro collata *ad sedem* non *ad Pontifices sedentes* pertinere. Hujus distinctionis sensus ut explicetur et S. Leonis mens exponatur, stabilienda sunt quaedam principia.

1) Persona sedens materialiter distinguitur a sede. Sedens siquidem est ipse Pontifex, et sedes significat cathedram quam occupat. Privilegia tamen et praerogativae divinitus Petro collata intelliguntur concessa sedi cum sedente in concreto, et non pendent a meritis sedentis; adeo ut possit aliquando, absolute loquendo, impius homo cathedram Petri occupare et praerogativis gaudere. Hoc significare voluit S. Leo M., quando loco citato affirmavit nihil detrahi dignitati sedis ex impietate praesidentis, quia *aliud sunt sedes, aliud praesidentes,* vel cum ad *Maximum antiochenum* scribens ait: «Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita praesulum, jura tamen permanent sedium» [1].

2) Sedes distinguitur a sedente quoad perpetuitatem. Sedes enim, ut notum est, perpetuo manet, dum Pontifices utpote mortales desinunt esse. Huc facit discrimen inter sedem *plenam* et *vacantem.* Sedes *plena* est quid concretum ex sede et sedente, unum conficiens subjectum privilegiorum et organum auctoritatis et primatus. Sedes *vacans* orbatur ad tempus capite suo visibili, sed retinet privilegia una cum indefectibilitate et infallibilitate tum *passiva* seu *in credendo* in corpore fidelium, tum *activa* seu *in docendo* in corpore episcoporum, sine facultate tamen definiendi infallibiliter dogmata nondum declarata [3][4].

3) Praerogativae Sedi concessae simul collatae sunt Romanis Pontificibus. Quare distinctio sedis et sedentis in sensu richerianorum prorsus rejicienda est. Romanus enim Pontifex, utpote Vicarius Christi, successor Petri et caput Ecclesiae, ex quo sedet in Cathedra Petri, jure divino participat omnia privilegia a Christo Ecclesiae collata [2].

ARTICULUS III

UTRUM ECCLESIA ROMANA NOTIS VERAE ECCLESIAE PRAEFULGEAT

§ 1

Utrum Ecclesia Romana eaque sola sit una.

418. Status quaestionis. Ecclesia catholico-romana, secta protestandum et schisma graeco-ruthenum sibi vindicant unitatis notam.

419. Thesis I. Ecclesia Romana est una triplici quam explicuimus unitate, symbolica scilicet, liturgica et hierarchica.

Arg. 1) Firmissimum argumentum et signum indefectibile unitatis Ecclesiae Romanae est ejus inter innumera hujus mundi pericula

1 *Ep.* 106, c. 5 *ad Anatol. CP.;* ML 54, 1007.
2 *Ep.* 119, c. 3 *ad Maxim, antioch.,* ML 54, 1043.
° Cfr. Franzelin, De *Ecclesia Christi,* th. 13.
4 Cfr. Pe»oh, n. 505.

per decem et novem saecula conservatio. Nam, ut ipse Jesus ait: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadetl.* Ecclesia Romana, non obstantibus persecutionibus et haeresibus undique grassantibus, firmiter permansit. Ergo indivisa est atque una 1.

Huic argumento accedit robur ex divisionibus quae sectis ab Ecclesia Romana sejunctis obvenerunt 3.

420. 2) Ecclesia Romana habet:

a) *Unitatem fidei,* quia unitas fidei consistit in eorumdem dogmatum admissione et professione. Sed dogmata cuncta, eaque sola, quae primaeva Ecclesia a Christo instituta explicite vel implicite admisit, tenet nunc ac profitetur Ecclesia Romana. Ergo. Minor probatur ex symbolis Ecclesiae, fidei professionibus, praedicatione unanimi et constanti earumdem doctrinarum a Patribus apostolicis ad haec usque tempora in toto orbe terrarum, una visibili regula, magisterio scilicet Romanorum Pontificum, etc.

b) *Unitatem cultus,* quia unicum habet *sacrificium,* quo Deum maxime colit, *eadem septem,* nec plura nec pauciora admisit semper ac tenet fidelibus administranda *sacramenta, ritu* quoque essentialiter uno, licet pro circumstantiis locorum, temporum atque personarum multiplici caeremoniarum varietate modificato, ubique terrarum utitur. Unde tota Ecclesiae Romanae liturgia moderatur ab uno capite, et est semper unius ejusdemque fidei luculenta demonstratio.

c) *Unitatem regiminis,* quia in Ecclesia Romana unus est supremus Magister ac caput, magisterium et jurisdictionem omnimodam habens super omnes fideles, id est, super omnes reges, principes, episcopos, presbyteros et simplices fideles, et dirimere potest cunctas controversias in rebus ecclesiasticis.

Difficultatibus satisfit.

421. Obj. 1.° Inter theologos diversosque Ordines religiosos, imo et inter episcopos et ecclesias particulares, celebres olim exarserunt controversiae et lites circa fidem, quae nondum sunt omnino exstinctae. Ergo Ecclesia Romana defecit ab unitate fidei 4.

Resp.—Dist. ant. Exarserunt controversiae et lites circa fidem ante

1 ***Luc.,*** **ii,** 17.

2 «Magna et vere mirabilis est Ecclesiae unitas», ait BismarcA in comitiis Germaniae, 16 Maji 1873. (Diseur, parlament., t. 5.)

3 Ducentas haeresesenumerat S. Bellarminus, ***De Eccl.,*** lib. 4, c. 6, ante tempora Lutheri, et addit: «Ex his autem non supersunt nisi reliquiae quaedam nestorianorum et eutychianorum in Oriente, et hussitarum in Bohemia; reliquae omnes funditus interierunt».

4 Ita Martineau, ***The seat of Authority in Religion brook,*** 2, c. I.—Protestantes uno ore adserunt Ecclesiam Romanam a vera fide jam olim defecisse, sed ubi datam hujus defectionis adsignare tentant, nesciunt quo se vertant. Eorum opiniones refert Hurter, ***Theol. dog.,*** i, n. 322 (nota) his verbis: ***tBraunbon*** censet Ecclesiam defecisse jam a. 86 post Christum natum; Sebast. Frank, a. xoi; Capito saeculo ineunte secundo; ***Ecclesia Transsilvaniae,*** a. 200; Waterland et Beveridge, a. 300; vel saltem a. 400: Melanchthon, a. 420 sub Zosimo Romano Pontifice; Beza sub Leone I circa a. 450... (Cfr. Simar KL. 920); Hammond et Stillingtleot post Concilium Oecumenicum VI, id est, circa a. 700; Newton episc. circa a. 727; Henricus Rotty, a. 757; Fox circa a. 1300».

definitionem, cone.; post definitionem, neg. Ecclesia Romana, antequam dogmata ex cathedra definiret, voluit ut omnia accurate expenderentur. Exinde ortae sunt controversiae de rebus theologicis inter diversas scholas et familias religiosas; sed omnes semper, etiam inter disputandum, parati fuerunt stare mandatis et definitionibus Ecclesiae.

422. Obj. 2.° Adversarii provocant ad quamplurima facta historica, ex quibus ostendere conantur unitatem fidei et regiminis in Ecclesia Romana jam olim defecisse. Dicunt:

1) Concilium VII oecumenicum, quod egit de cultu imaginum, reprobatum est in concilio francofordiensi.

2) Galliarum episcopi, qui noluerunt Concilium florentinum ut oecumenicum admittere, non fuerunt ab Ecclesiae communione expulsi.

3) Saeculo xiv tres simul Pontifices exstiterunt et acriter disputarunt primatum. Ergo Ecclesia Romana amisit unitatem regiminis 1.

Resp.—Ad 1.um Patres concilii francofordiensis erronee putaverunt in Concilio generali VII decretam fuisse adorationem *latriae* pro sacris imaginibus, sed, ubi sensum definitionis de veneratione relativa imaginum cognoverunt, omnes tum galli tum germani Concilium generale VII approbaverunt. Quare Hadrianus I confirmavit decreta concilii francofordiensis, quae ad Felicem urgellensem et Elipandum toletanum se referebant, non quae ad Synodum nicaenum attinebant.

Ad 2.X01 Non ecclesia gallica sed quidam episcopi particulares concilium florentinum rejecerunt, idque errore materiali putantes non fuisse oecumenicum 2.

Ad 3.'"" negandum est per magnum schisma Occidentis unitatem Ecclesiae Romanae defecisse. Cum Urbanus VI (1378-1389), vix Pontifex relatus, de reformandis cardinalium moribus ageret, nonnulli Ananiam profecti alium Pontificem Clementem VII elegerunt, duas sic creantes *obedientias.*

Urbanus VI successores habuit Bonifacium IX (1389-1404), Innocentium VII (1405-1406), Gregorium XII (1406-1415).

Clementi VII successit Benedictus XIII, alias *Petrus de Luna* (1394-1417).

Cardinales utriusque partis schismati finem imponere volentes anno 1409 congregarunt Concilium generale, ubi utroque Pontifice deposito elegerunt Alexandrum V (1409-1410), cui successit Joannes XXIII (1410-1415).

Per sex itaque annos tres sacerdotes summum Pontificatum disputavere. Omnes tamen fideles unitatem *fidei* et *cultus* tenuere, ut patet, in dogmatum admissione et sacramentorum administratione; imo et ipsam unitatem *regiminis* formaliter servavere huic obedire parati, quem rati sunt legitime electum. Ad rem apposite *Groot:* «Plurimi catholici legitimos Pontifices Urbanum VI, Bonifacium IX, Innocentium VII, Gregorium XII agnoverunt; ecclesiae tamen particulares non paucae pseudopontifici alicui adhaerebant. Sed omnes mentem gerebant a schismate prorsus aversam, huic obedire parati, qui Pontifex legitimus esse intelligeretur. In *facto* erratum est, *fus* illaesum fuit. Et quantumvis tristis ea tempestate sese offerat conspectus malorum, quibus Ecclesia Christi afficiebatur, fides in *unum Pontificatum Romanum* tanquam principium vitale unitatis, omnem divisionem circa personam superavit» 3.

423. Thesis II. Protestantismus caret unitate qua Ecclesia Christi insignitur.

Arg. I. Juxta principium fundamentale protestantismi singuli fideles dicuntur spiritu privato sensum revelationis intelligere, dogmata interpretari, et media sanctificationis excogitare. Sed, hoc posito, unitas Ecclesiae funditus evertitur. Ergo.

1 Ita Palmor, ***De Doctrina Christiana,*** p. 1, c. 5, sect. 3-4, et alii.

a Vid. Natali· Alexander, ***II. Jî.,*** sacc. XV, diss. 10, a. I.

8 ***Summa afiol,*** q, 6, n. 3, obj 4.

Arg. II. Unitas de qua hic agimus est illa nota, qua Ecclesia Christi una in fide, cultu et regimine innotescit. Sed protestantismus nec fide, nec cultu, nec regimine est unus. Ergo protestantismus caret unitate. Prob. minor.

1) Protestantismus caret unitate fidei. Ex protestantibus siquidem a) *nonnulli* ea solummodo arbitrantur esse credenda quae in *Symbolo apostolorum* explicantur; b) *alii* quae in S. Scriptura clare et explicite revelata continentur; c) *quidam* putant dogmata tribus primis Ecclesiae saeculis nota esse profitenda; d) *alii* sufficere dicunt fidem in Jesum Christum et SSmam. Trinitatem; e) *alii* denique docent omnes confessiones Christianas esse admittendas. Uno verbo: adeo divisi sunt protestantes, ut nescias in quo tandem fidem reponant[1]. Hinc lutherani, calvinistae, anglicani, etc., de fidei professionibus acriter disputant[2], et quoties de catechismo communi componendo, communive fidei professione emittenda agunt, oleum et operam perdunt[3][4] Baptistae, methodistae, millenarii, et sectae quarum auctores sunt *Peun, Zinzendorf, Yrving, Darby, Rapp,* etc., singuli suos catechismos suasque fidei professiones defendunt. *Anglicani* admittunt symbolum S. *Athanasii,* dum *unitarii* a SSma. Trinitate abhorrent[i].

2) Protestantismus caret unitate cultus. Protestantes non eadem habent sacramenta, nec conveniunt in ritibus servandis. *Lutherus*[5] namque, annuente *Melanchtlwne*[e], tria posuit sacramenta, baptismum scilicet, coenam et confessionem (occultam); *alii* baptismate et coena contenti abhorrent a confessione auriculari; *alii* baptismum tantummodo administrant; *alii,* tanta divisione et contradictione pertaesi, omnia respuunt sacramenta. Qui coenam Domini admittunt, diversimode explicant. Juxta *Lutherum* sacramenta non habent virtutem et efficaciam sed vehiculum sunt gratiae, et juxta *Calvinum* sunt signum gratiae commemorativum. Nullam denique liturgiam agnoscunt protestantes.

3) Protestantismus caret unitate regiminis. Unitas regiminis attenditur *formaliter* penes unitatem capitis, et *materialiter* in membrorum inter se conjunctione. Protestantes autem nec formalem nec materialem habent regiminis unitatem, a) *Non formalem,* quia non agnoscunt unum caput super omnes jurisdictionem habens, sed alii in episcopis, alii in populo auctoritatem residere contendunt, b) *Non materialem,* quia in

1 Jam olim Theodorus Beza, ep. ad Andream Dud., ajebat: «In quo tandem religionis capite congruunt inter se ecclesiae, quae Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperies ab uno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet».

2 Vide Bossuet, ***Histoire des variat.,*** liv. 2.

3 Ita contigit in dioetis Romae aa. 1874-1875 habitis, in quibus ad concordiam venire nequiverunt. In congressu 25 protestantium germanorum habito Berlin! diebus 4-5 Oct. 1911 variae formulae propositae sunt, sed sine exitu. Dominus Frederking dixit veritatem fundamentalem Christianismi, qua omnes confessiones possunt uniri, consistere in hac formula: «Idea Dei humanitatis revelata in Christo Jesu». Cfr. ***La Ciencia Tomista,*** Marzo-Abril, 1912, p. 50.

4 Ipsi protestantes hoc saepe fatentur. Vide Morris, ***Ecclesiology;*** D. Stoeg, ***Dissert.,*** Parisiis a. 1867 coram 80 ministris protestantibus lecta.

5 ***De captivit. babyl.,*** § «Principio».

e ***Apol. Confess, aug.,*** aa. 9, 10, 11; et ***catechesis,*** «De Sacramentis·.

innumeras easque inter se oppositas sectas dividuntur. «Praecipuae sunt, ait *Pesch,* lutherani, anglicani, evangelici uniti (in Borussia), calvinistae, methodistae, presbyteriani, baptistae» x. Cfr. *O. Werner,* «Orbis terrarum catholicus» (Friburgi Br., 1890), p. 3 sqq. 1.

424. Scholion. De articulis fundamentalibus. Oppositas protestantium opiniones in uno systemate componere volens *Jurieu 3,* minister calvinista, invexit distinctionem *articulorum fundamentalium* et *non fundamentalium.* Unitatem fidei voluit esse reducendam ad articulos fundamentales, facta omnibus libertate negandi alios, si velint.

Sed haec theoria in sensu novatorum 4;* a) essentiae ac scopo revelationis adversatur; b) S. Scripturae se opponit, et c) unitati Ecclesiae non satis consulit.

a) *Essentiae et scopo revelationis adversatur.* Revelatio siquidem a Deo fit, ut homines divinitus instructi veritatibus adsentiant, *captivantes intellectum in obsequium fidei.* Ergo protestantes, qui articulos non fundamentales a Deo revelatos negari posse dicunt, scopo revelationis adversantur, et Deum mendacem vel saltem fallacem facere non erubescunt ».

Praeterea, si in quibusdam articulis respuatur auctoritas Dei, qua ratione in aliis admittatur?

b) S. *Scripturae adversatur.* Christus Dominus disertis verbis docuit eos qui Evangeliq non crediderint condemnatum iri 6;8 Sed Evangelium complectitur etiam articulos non fundamentales. Ergo.

c) *Unitati Ecclesiae non satis consulit.* Unitas Ecclesiae postulat, ut omnia membra sese communicent unumque corpus compactum efficiant in Christo et omnes in eodem sensu eademque permaneant sententia e. Sed juxta theoriam *Jurieu* oportet «Ecclesiam conflari ex omnium Christianorum societatibus, quae non errant in fundamentalibus, etiamsi *nulla inter sectas servetur communio,* imo etiamsi *se mutuo excommunicent et anathematizent.* Ergo 9.

425. Thesis III. Ecclesiae schismaticae carent nota unitatis.

Arg. Schismatici, a principio et centro unitatis, Romano Pontifice totius Ecclesiae Pastore et Rectore, divulsi, ecclesiis particularibus,

1 *Praelectiones,* t. i, n. 413.

2 «Attamen, addit idem auctor l. c., non est putandum vel singulas ex his sectis constituere veram aliquam unitatem. Ita ex. gr. methodistae dividuntur in Wesleyan Methodists, Methodists New Connexion, Primitive Methodists, Bible Christians, United Methodists Free Churches, Independent Methodists, Wesleyan Reformers. Anglicani sunt asseclae variarum partium quae vocantur High Church, Broad Church, Low Church. Praeterea inter eos inveniuntur, qui volunt esse protestantes, alii vero, qui hoc nomen plane respuunt. Ad illos pertinent qui vocantur *Evangelicals;* ad hos, qui dicuntur *Ritualistae.* Secundum *Whitaker's Almanack* in Anglia sola exsistunt circiter 300 sectae protestantes.»

3 *Traité de l'Église,* tr. 6, ch. 2.

4 Inter catholicos vocari solent aliquando articuli *fundamentales* et *non fundamentales* qui explicite vel implicite credendi sunt.

6 Non refert, quod dicunt protestantes, fas esse articulos non fundamentales negari, sic.ut licet quaedam agenda a Deo revelata non impleri. Non inquam refert haec comparatio, quia agenda inter et credenda magna est differentia. Inter agenda moralia quaedam sunt consilia, quae esto meliora sint et ad salutem utiliora, relinqui tamen citra peccatum possunt. Sed credenda indivisibilia sunt et nequeunt graduum varietatem admittere.

° *Mare.,* 16, 16.

7 *Eph.,* 4. 16.

8 *1 Cor.,* i, 10.

2 Hoc systema articulorum fundamentalium non immerito in risum vertunt Roussonu. *Lettres de la Montagne,* 3, et alii.

quibus patriarchae nonnulli vel etiam principes saeculares quandoque praesunt, nomen dedere. Ecclesiae autem particulares, a se invicem independentes, non habent, unde petant unitatem. Quis unquam audierit ecclesiis particularibus, aut earum patriarchis vel principibus saecularibus, demandatam esse unitatis ecclesiasticae custodiam? Unde schismatici scatent erroribus in fide, divulsique sunt ab unitate regiminis[1]. Apposite ad rem S. *Thomas* de graecis: «Dum unum caput Ecclesiae esse negant, sanctam scilicet Romanam Ecclesiam, manifeste unitatem corporis mystici dissolvunt. Non enim potest esse unum corpus, si non fuerit unum caput, neque una congregatio, si non fuerit unus Rector. Unde *Joan.,* 10, 16, dicitur: *Fiet unum ovile et unus Pastor»* [2].

§ 2

Utrum Ecclesia Romana eaque sola sit sancta.

426. Quaerimus hic, an vera sanctitas, quam explicuimus, competat soli Ecclesiae Romanae seu communioni catholicae.

427. Errores, a) *Protestantes,* suam ab Ecclesia Christi defectionem justificare volentes, dixerunt Ecclesiam Romanam olim esse corruptam, eamque magnam *Babylon,* cujus meminit S. *Joannes* [3], appellare non erubuerunt.

b) *Increduli* et *rationalistae* hujus temporis, totam sanctitatem in actionum moralitate naturali, sicut dictum est, reponentes, Ecclesiae Romanae sanctitatem supematuralem tum activam tum passivam inficiantur et in derisum vertunt[4].

c) *Schismatici* item sanctitatem Ecclesiae Romanae rejiciunt.

428. Thesis I. Ecclesia Romana est vere sancta et sedes sanctitatis.

Arg. I. Ecclesia in primis saeculis fuit vere sancta in omni opere bono et genere sanctitatis, ut communis et certa contra perpaucos haereticos fert sententia. Sed Ecclesia hodierna Romano-catholica est perfecta continuatio illius absque ulla essentiali mutatione in iis, quae ad sanctitatem referuntur. Ergo. In coetu quippe romano-catholico eadem est hodie doctrina, quam Christus, apostoli et Patres apostolici tradiderunt, idem mores quos servaverunt, eadem observantia virtutum quas coluerunt, eadem sacramenta quae administrarunt, uno verbo eadem media sanctitatis, et eadem sanctitas membrorum [5].

1 Constituerunt ecclesias nationales independentes graecam, ruthenam, hellenicam, bulgaricam, etc., quae iterum in diversas sectas dividuntur; ex. gr. ecclesia ruthcna sub se continet strigolnienses, duchoborcenses, molokanos, reskolniccnses (veteres fideles), etc., nullam inter se praeseferentes speciem unitatis. Cfr. J. De Maistre, ***Du Pape,*** liv. 4, ch. 2-3.

2 ***Opusc. contra errores graec.,*** c. 32; § «Considerandum».

3 ***Apocal.,*** 14, 8.

4 Horum nonnulli malunt ineptias budhistarum summis efferre laudibus, quam Ecclesiae Romanae sanctitatem agnoscere. Ita Schopenhauer, apud Frank, ***Diction, des Sciences philosoph.,*** vol. 2, p. 1558; Bahusen, ***La philos, de l'inconscient,*** t. i, p. 2, a. 5; Oloott, ***Catecismo bi'tdico,*** et alii.

5 Ad rem apposite notat Balmes, ***El Protestantisme comparado con et Catuli-***

Arg. II. Doctrina, regimen, leges, sacramenta et membra Ecclesiae Romano-catholicae sunt sancta. Ergo et ipsa Ecclesia.

a) *Doctrina.* Omnia documenta, tum dogmatica tum moralia quae decursu temporum ab Ecclesia Romana prodierunt, sanctitate referta sunt. *Dogmatica* quidem hominem instruunt circa mysteria Dei et gratiae; *moralia* docent officia erga Deum, proximum et se ipsum adimplenda.

b) *Regimen.* Directio et gubernatio spiritualis per exercitium potestatis ordinis, magisterii et jurisdictionis in Ecclesia Romana conducit homines ad sanctitatem et salutem aeternam.

c) *Leges* item ecclesiasticae sanctitatem undique redolent, pietatemque fovent.

d) *Sacramenta.* Per sacramenta unusquisque in via spirituali initiatur, contra daemonis astutias roboratur, atque in suprema hora ex hoc mundo in caelum migraturus munitur, gratia infunditur et virtutes augentur.

e) *Membra* denique sanctitate floruerunt et florent in Ecclesia Romana. Horum perfectio ut plenius cognoscatur operae pretium est *individua, instituta* ac *societatem* considerare.

α) *Individuorum* sanctitatem probat martyrologium romanum, quod simul est historia sanctorum et apologia sanctitatis Ecclesiae catholicae. Innumeri in eo recensentur Pontifices, episcopi, sacerdotes, religiosi, virgines, reges, principes, etc., qui virtute heroica claruerunt [1].

β) *Instituta sacra* tum ordinum religiosorum tum adsociationum sive confraternitatum, quae in Ecclesia Romana florent et augentur, luculenter manifestant sanctitatem membrorum. *Ordines religiosi Carmelitarum, S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, S. Dominici, S. Ignatii de Loyola,* aliique innumeri qui in Ecclesiae utilitatem succrescunt, mira sanctitate emicant. *Adsociationes* etiam, sive sint *piae uniones,* sive *sodalitia,* sive *conjraternitates* [2], institutae sunt, ut fideles orationi, sacramentorum frequentiae et operibus caritatis jugiter intendentes facilius possint propriam perfectionem adipisci aliorumque inopiae subvenire.

γ) *Societas* denique instaurata est ex quo Ecclesia Romana populis educandis et moribus publicis sanctificandis opem contulit [3].

Arg. III. Aliud argumentum hujus doctrinae petitur ex miraculorum charismate quo Ecclesiam Romanam vidimus esse insignitam. Charisma siquidem miraculorum non conceditur a Deo nisi sanctae Ecclesiae [4].

cismo, sectas omnes a communione catholica excisas frequenter, ubi difficultatibus obruuntur, leges, ideas, moresque mutare, dum Ecclesia Romana persecutionibus undique turbata immobilis semper stat ac manet.

1 Cfr. Groot, ***Summa apolog.,*** q. 7, a. 3.

2 ***Codex,*** can. 707.

3 Cfr Balmes, ***El Protestantisme,*** c. 27 sqq. Loo XIII, encycl. ***Immortale Dei, Rerum novarum,*** etc.

4 Cfr S. Ironaeus, ***Adv. haer.,*** lib 2, c. 31; MG 7, 825; S. Chrysostomus, ***Homtl. 4, in Matth*** , nn. 1-2: MG 57, 30 sqq. et alii. Ad rem apposite Walemburch, ***De. signis verae Eccl.,*** a. 3, § 18: «Adsigncnt nobis protestantes Ecclesiam in qua

Objectiones.

429. Obj. 1.° Romanorum Pontificum et clerj romani scandala sunt publica, populusque catholicus magis in dies in vitiis demergitur. Ergo tantum abest, ut Ecclesia Romana sit sancta ratione membrorum.

Resp. 1.° Scandala publica, quae non omnibus sed quibusdam Pontificibus et clero romano tribuuntur a protestantibus et scriptoribus incredulis, sunt, ut plurimum, purae inventiones quorumdam historiographorum, qui Ecclesiam Romanam injuste saepe invehuntur et calumniantur.

2.° Etsi detur unum vel alterum Romanum Pontificem et nonnullos Ecclesiae catholicae sacerdotes moribus corruptos fuisse, fatendum tamen est id raro contigisse, et, ubi contigit, non parum exaggeratum esse. Nulla certe exsistit societas cujus capita et ministri integritate vitae magis fulgeant quam Romani Pontifices et clerus romanus. Quando imperatores, reges, aliique nationum moderatores morum innocentia Romanos Pontifices superarunt? Quando protestantium, schismaticorum aliarumque sectarum pastores et ministri sacerdotibus catholicis sanctiores exstiterunt? Nihilominus dum corruptio et licentia morum in imperatoribus, regibus, etc., ab omnibus tacentur, nonnunquam laudantur, defectus quilibet ministrorum Ecclesiae catholicae buccinis pervulgatur et reprobatur. Qua de causa haec differentia? Nullibi arbitramur differentiam esse reperiendam, nisi in ipsa ratione sanctitatis membrorum, quam certe a ministris Ecclesiae catholicae, non a ministris sectarum dissidentium, exigunt gentes.

Obj. 2.“ Nationes protestantes et schismaticae non solum morum honestate sed etiam prosperitate materiali et civilisatione, quam secundario secum fert sanctitas vitae, regiones catholicas superant. Ergo. In Anglia, Germania, et Russia non viget effrenata morum licentia, nec impietas diffunditur, nec matrimonia civilia celebrantur, sicut in Gallia, Italia, Hispania et Portugallia. Item, dum in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis filii naturales 3 % ad summum generantur, in America Meridionali ad 20 % ascendunt, ut census annui demonstrant.

Resp. 1."—Neg. ant. Constat siquidem, ut ipsi protestantes non semel fassi sunt, nationes catholicas, ut tales, si historice considerentur, praecisione facta quorumdam temporum et circumstantiarum, inter omnes alias honestate morum praecellere.

2.° Si aequum judicium catholicos inter et protestantes ac schismaticos hac de re ferri oporteat, comparatio fieri non debet inter unam et aliam nationem (quia non solum religio, quam quis profitetur, verum etiam et maxime clima regionis, qualitates personales habitantium et character nationis influunt in mores), sed inter catholicos et acatholicos *ejusdem regionis,* ut sic influxus religionis investigari queat. Nullatenus autem dubitandum, quin catholicorum mores in qualibet orbis terrarum parte caeteris honestiores sint atque puriores. Comparentur inter se catholici et protestantes in Anglia, Germania, America, etc.; quis eorum ferventius Deo famulatur? Quis accuratius humilitatem, castitatem, justitiam obedientiamque colit? Quis ordinem in societate melius servat? Proculdubio catholici b

Quoad prosperitatem temporalem et civilisationem pariter comparatio fieri debet inter incolas ejusdem regionis, in iisdem circumstantiis constitutos

successivis temporibus contigerunt et contingunt miracula. Et si hoc non possunt, jam illorum cavillationes non tam erunt contra miracula Ecclesiae catholicae, quam contra prophetiam Christi, ut ipsam destruant». Et Erasmus facete de protestantibus ajebat: «Nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit». *(Diatrib. de libero arbitrio.)*

1 Non semel Gulielmus II Germaniae, vel ipse protestans, telegramma mittens congressibus catholicis, catholicos inter fidelissimos et maxime submissos sui imperii subditos retulit.

Caetcrum recte animadvertit *Tanquerey* [1] cum Brugère tria ad civilisationem concurrere, opum scilicet terrenarum abundantia, intellectualis cultura et animorum interior satisfactio cum rectitudine voluntatis.

a) *Opibus* et *divitiis* quandoque protestantes magis affluunt, quia terrenis rebus magis quam caelestibus dediti de mediorum liceitate parum curant, dummodo apta sint divitiis cumulandis, b) *Intellectualis cultura* major inter catholicos semper viguit et viget, quidquid rationalistae et increduli dictitent, c) *Animorum* etiam *satisfactionem* cum rectitudine voluntatis superiorem inter catholicos esse quam inter protestantes nemo dubitat. Catholicismus siquidem praeceptis moralibus, sacramentorum frequentia, virtutumque exercitio tranquillitatem animorum generat et interiorem satisfactionem auget.

430. Thesis II. Ecclesiae protestantium non sunt sanctae 1) «essentialiter» a causis, quibus constituuntur; 2) «active» ratione mediorum sanctificationis; 3) «passive» ratione membrorum.

Nota. Hic agitur de triplici sanctitate, quam explicuimus, et dicimus ecclesias protestantium non esse sanctas 1) *essentialiter* quatenus diversis causis constituuntur; 2) *active* ratione mediorum sanctificationis, et 3) *passive* ratione membrorum.

Non solum protestantes et schismatici suas respective ecclesias sanctas esse tuentur, verum etiam indifferentistae particulares, qui, de vita et felicitate aeterna parum solliciti, plerumque blaterant omnes sectas unicae verae religionis esse aeque bonas atque utiles ad perfectionem animae et sanctitatem vitae adipiscendam, et consequenter ecclesias reformatas et schismaticas esse sanctas.

Prob, pars 1.a Sanctitate essentiali carent.

Arg. 1) Ecclesiae protestantes cum unitate careant, non possunt societatem et unam personam moralem, cui sanctitas ut corpori sociali competat, constituere. 2) Causae ecclesiarum protestantium a sanctitate alienae sunt, a) *Causa efficiens* Lutherus, Calvinus et Henricus Angliae. b) *Causa finalis* libertas singulorum sine subjectione, c) *Causa formalis* errores permulti in fide, d) *Causa materialis* membra proprio judicio in ordine ad sanctificationem relicta. Ergo Ecclesiae protestantes ut corpus sociale non sunt sanctae.

Pars 2.a Ecclesiae protestantes sanctitate activa carent.

Arg. Principia tum dogmatica tum moralia protestantium a vera sanctitate deficiunt, et mediis sanctificationis efficacibus carent. Ergo ecclesiae protestantes sanctitate activa destituuntur.

1) *Principia.* Nullum habent protestantes *corpus dogmatum* generale, sed singulae sectae et singuli individui dogmata declarant credenda, quae unicuique visa fuerint in Scriptura contineri. *Agendorum* vero *rationem* reponunt in S. Scriptura et sola fide, quas dicunt ad ju-

[1] ***Synopsis theolog. dogm.,*** vol. I, n. 823. Protestantes crebro defendunt progressum et civilisationem maxime oriri ex tolerantia religiosa et libertate cogitandi, quam ipsi praedicant. Sed immerito. Tolerantia enim religiosa nunquam esse potuit principium progressus, imo est fictitia apud sectas protestantes. Cfr. Mon». N. Puulun, ***Protestantismus unit Tolerans in 16. Jahrhundert,*** Eriburgi, 1911.

stificationem et sanctitatem sufficere 1. His positis principiis deducunt protestantes,

a) *Quoad dogmata,* Deum esse auctorem peccati2, hominem carere libero arbitrio 3, naturam humanam peccato originali ita esse radicitus corruptam, ut nequeat amplius nisi peccare 4, justificationem peccatoris fieri per solam imputationem extrinsecam, quosdam ante praevisa demerita a Deo positive reprobari5, etc.

b) *Quoad praxim* docuerunt bona opera non esse necessaria nec possibilia, consilia evangelica, praesertim castitatem et matrimonii unitatem ac indissolubilitatem, superare hominum vires, jejunium et mortificationem omnino esse despicienda, devotionem erga Beatissimam Virginem et sanctos esse contemnendam, etc.

2) *Media sanctificationis a Christo instituta,* scilicet sacramenta, sacrificium, sacerdotium, cultum, etc., protestantes impie contemnunt.

a) *Ex septem sacramentis* a Christo Domino institutis duo tantummodo, baptismum et coenam, retinent, eisque efficaciam ex opere operato gratiae producendae denegant.

b) *Sacrosanctum Missae sacrificium* vocatum est a *Luthero* et *Calvino* artificium diabolicum ac horrendae abominationis caput 6.

c) *Sacerdotium* abrogavit protestantismus, cum sacras ordinationes essentialiter corrupit 7. Hinc praedicatores protestantes, cum nullam acceperint a Christo missionem, exiguos colligunt fructus 8.

d) *Cultus.* Suppressis sacerdotio et sacrificio, contempto cultu B. M. V. et sanctorum, abrogatis Ecclesiae sacramentis, et rejecta liturgia, cultus protestantismi ad lectionem bibliorum et sterilem praedicationem reducitur 9.

Pars 3.a Ecclesiae protestantes carent sanctitate passiva.

a) *Lutherus,* fundator ecclesiae protestantium, vir fuit turbulentissimus et libidinosus, qui, ut ipse fatetur, diabolum habens magistrum, vota religiosa impudens transgressus est, omnem auctoritatem superbus contempsit, vindictae cupidus coevos omnes sordide calumniatus est, et bonis dignitatibusque ecclesiasticis inhians populum turbavit 10.

1 Aliud statuit Lutherus sanctitatis principium vere singulare, cum in epistola-anno 1521 ad Melanchthonem data ajcbat: ***«Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide».*** Cfr. Dollinger, ***La Reforma,*** 3, 24 sqq.

2 Apud MOhler, ***Simbolik,*** § 4-9.

3 Lutherus, ***De servo arbit.,*** «Alterum paradoxon»; Calvinus, ***Instit.,*** lib. 2, cc. 2-3.

1 Lutherus, prop. 36; Denz-Bannw., 776; Melanchthon, ***Apologia,*** a. 4, 5 et 6.

5 Calvinus, ***Instit.,*** lib. 3, c. 21, n. 5 et 7.

6 Vid. Lutherus, ***De abroganda Missa privata,*** p. 1; Calvinus, ***Instit.,*** lib. 4, c. 18; Articuli anglicani, a. 25 et 36.

7 Vid. ***Litterae apost.,*** Leonis XIII, idib. Sept. 1896, de ordinationibus anglicanis; ***Acta S. Sedis,*** vol. 29, p. 199.

8 Cfr. Wisseman, Conferen. 6.

9 Ipse Goethe, ***Auto-Biography, Bohn's translat.,*** p. 245 sqq , aliique protestantes fatentur cultum protestanticum aspirationibus fidelium minime respondere.

10 Vid. Bossuet, ***Histoire des variat.,*** liv. I. Teste ipso Pfleiderer, ***Relig. phil.,*** p. 322, Lutherus, cum hominem declaravit effrenum, sensuum et rationis luctam destruxit, et ascetismi monachalis angorem dissipavit. Carlostadius, Zwinglius, Melanchthon, Oecolampadius, Beza et alii patriarcham suum Lutherum luxuria, calumnia, omnique flagitiorum genere imitati sunt.

b) *Calvinus,* crudelis atque superbus, furiarum quibus agitabatur inaudita reliquit exempla, librosque sacros audacter adulteravit, c) *Henricus VIII* et *Cranmer, Thomas Cronwel, Elisabeth,* etc., tot sunt nomina, ut ait *Billot*[1], «posteris execranda, synonima luxuriae, perjurii, perfidiae, hypocrisis, et nefandae barbariae».

Mirum non est, si his magistris protestantismus nullam sanctitatem produxerit. Jam *Lutherus* suo tempore querebatur de corruptelis protestantium dicens[2]: «Mundus in dies fit deterior: sunt nunc homines magis vindictae cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati, multoque deteriores quam fuerunt in papatu» [3].

Nulla est in protestantismo virtus heroica, nulli ordines religiosi [4], vix ullus missionarius apostolico zelo praeditus, nullus thaumaturgus qui virtute Dei miracula patret [5][6] nullus, propheta qui futura praedicat. Minime tamen negaverim aliquos bona fide in protestantismo manentes revera sanctificari.

431. Thesis III. Ecclesiae schismaticae nota sanctitatis carent.

Arg. Causae quibus ecclesiae schismaticae constitutae sunt, principia quae docent, et membra quibus constant, non sunt sancta. Ergo.

a) *Causae* schismatis sunt denegatio obedientiae legitimo ac supremo Ecclesiae Pastori, et separatio a communione membrorum, et non secus ac causae protestantismi verae sanctitati repugnant.

b) *Principia.* Schismatici, supremum ac infallibile Ecclesiae magisterium relinquentes, principi saeculari plerumque vel sanctae synodi cui ille praeest, vel etiam patriarchae cpolitano, parere jactant. Hoc autem principiis verae Ecclesiae repugnat. Non enim principes saeculares vel s. synodus acceperunt a Christo munus docendi et pascendi oves, sed Petrus ejusque successores, ut suo loco demonstrabitur.

c) Si schismatum origines inspicias, Photium videbis a Concilio generali VII (Cpolitano IV) damnatum «scissionibus mundum replentem, duas vero fides impie habentem, animas autem duas mortalium dicentem, et imperium multipliciter incidentem, et patriarcham primarium deponentem, alienumque thronum invadentem, moechiam rursus omnibus exprimentem... pauperum, clericorum et orphanbrum res consumentem, et insontes punientem... et scandalum omnibus excitantem, inimicum Dei impie agentem». *Michael Cerularius, Marcus Ephesinus,* aliique schismatis fautores fraude, calumnia atque mendaciis accusati et convicti sunt. In ecclesiis porro, quae horum doctrinam sequutae sunt, nullus sanctus proprie dictus exstitit, nullus divinis charismatibus refertus claruit, nullus in rigorosa verbi acceptione martyrium subiit.

1 ***De Ecclesia Christi,*** q. 4, th. 5, § 2.

2 ***Postilla in Evangelia dom. I Adventus.***

3 Cfr. Dellinger, ***Die Reformation;*** Bossuet, ***Histoire des variations,*** lib. 5, et alii.

4 His ultimis temporibus ***ritualistae*** tentarunt monasteria aedificare vitamque* regularem instituere, sed sine exitu.

6 Lutherus, ajebat: «A nobis, qui negamus (liberum arbitrium), spiritus, sanctimonia, miracula exigi non debent». ***De servo arbitrio;*** «Sed agite».

§ 3

Utrum Ecclesia romana eaque sola sii catholica.

432. Status quaestionis. Investigandum hic venit, cui ex communionibus catholicitas competat. Et primo quidem de Ecclesia romana, cujus caput est Romanus Pontifex, deinde de ecclesiis protestantium et schismaticorum.

433. Errores. Haeretici omnes et schismatici, imo et rationalistae et increduli, negant Ecclesiam romanam esse catholicam. Nihilominus ea est verborum proprietas et traditionis ratio, ut omnes, etiam religionis osores, catholicos nos appellent.

434. Thesis I. Ecclesia romana est vere catholica.

Arg. I. Jam olim Patres constanter docuerunt Ecclesiam catholicam eam esse, quae Romanae Sedi profiteretur obedientiam ejusque teneret fidem. «Probatum est, inquit *Optatus,* nos esse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis est, et per cathedram Petri, quae nostra est per ipsam, et caeteras dotes apud nos esse» 1. Unde in Ecclesia romana verificantur promissiones Christi: *Euntes docete omnes gentes* 2: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* 3, dum praecones catholici, omnes terrae partes apostolico zelo obeuntes, Evangelium ubique praedicaverunt et praedicant, Ecclesiamque per orbem diffundunt 4.

Arg. II. Ecclesia romana, non obstantibus diris persecutionibus, adeo per orbem diffusa est, ut ingentem numerum omnium gentium ad unitatem fidei, cultus et regiminis adduxerit. Vix invenire vel minimam provinciam in orbe poteris in qua sedem non fixerint catholici; qui licet per mundum dispersi, ita unitate fidei, cultus et regiminis inter se conjunguntur, ut unum credant, unum efficiant, et uni capiti, Romano Pontifici, humiliter subjiciantur. Ecclesia igitur romana est catholica.

435. Thesis II. Ecclesiae protestantes carent omnino nota catholicitatis.

Arg. a) Catholicitas non solum importat universalitatem verum etiam successivum incrementum a Christo, Ecclesiae fundatore, ad haec usque tempora. Sed protestantismus non a Christo sed a *Luthero* venit 5. Ergo, b) Protestantibus deest unitas, sine qua nequit concipi catholicitas. c) Ipsa propagatio materialis, si qua est in protestantisme, non praedicatione Evangelii, sed aestu libidinis et effrenatae licentiae atque ferro igneque obtenta est 0.

1 ***De schism, donat.,*** lib. 2, n. 9; MI. 11, 962.
2 ***Matth.,*** 28, 19.
3 ***Mare.,*** 16, 15.
4 Cfr. S. Bellarminus, ***De Ecclesia,*** lib. 4, c. 12.
5 Ipsi protestantes fatentur Ecclesiam Christi versus saeculum in corruptam fuisse et usque ad Lutheri tempora ignotam mansisse.
0 Cardinalis Wisseman (collât. 6), egregie demonstrat missiones protestantes omnino steriles esse, non obstantibus subsidiis quibus abundant.

436. Thesis III. Ecclesiis schismaticis non competit nota catholicitatis.

Arg. Ecclesiae schismaticae a) non sunt per totum orbem diffusae x, nec agunt de missionibus instituendis aut de Christi doctrina propaganda. b) Carent unitate tum doctrinae 1, tum cultus 3, tum praecipue regiminis 45 c) Non a Christo per successivum incrementum, sed a Photio hominum scelestissimo originem ducunt.

§ 4

Utrum Ecclesia Romana eaque sola sit apostolica.

437. Status quaestionis. Quaeritur hic, an Ecclesia seu communio romana eaque sola sit vere apostolica origine, doctrina et successione, sensu quo Ecclesia Christi est apostolica.

438. Errores, a) Jam inde a primis Ecclesiae saeculis plerique haeretici conati sunt ostendere communionem romanam non esse apostolicam K.
b) *Protestantes* deinde et *schismatici* tum originem apostolicam, tum identitatem doctrinae cum apostolis, tum etiam legitimam pastorum successionem in Ecclesia Romana negaverunt.
c) *Incredulí* ac *rationalistae* blaterant communionem romanam non ab apostolis sed a quorumdam theologorum ac Romanorum Pontificum fallacia et dolo trahere originem, pastorumque in ea ab apostolis successionem gratis omnino defendi. Ita *Strauss* 6, *Renan* 7 et alii plures.

439. Thesis I. Ecclesia Romana est vere apostolica origine, doctrina et legitima pastorum ab apostolis successione.

Arg. I. *Ex traditione.* SS. Patres uno ore confitentur Ecclesiam Romanam esse apostolicam.

Tertullianus de vera Christi Ecclesia loquens ait: «Si Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia! Cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt» 8.

S. *Optatus* haec habet: «Negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collocatam, in qua sederit

1 Quibusdam Orientis regnis et Russiae imperio.
2 Dogmata siquidem plura inficiantur. Cfr. De Maistre, *Du Pape,* liv. 4, ch. 2 et 5.
3 Ascetici in ecclesia ruthena nonnisi baptismum administrant, et ex raskolnicis plures sacerdotium abrogant. Cfr. Hergenrother, *Historia de la Iglesia,* t. 6, per. 8, n. 181 sqq.; p. 5 sqq.
4 Schismatici ab Ecclesia catholica avulsi ecclesias nationales constituerunt, quarum praecipuae sunt coetus cpolitanus, ruthenus, hellcnicus et bulgaricus, inter se omnino independentes.
5 Vide controversias quas olim SS. Patres habuerunt cum gnosticis, donatistis, etc.
6 *Leben Jesu,* § 71.
7 *Vie de Jésus,* ch. 18; et *Les /Ipdtrcs,* ch. 18-19.
8 *De Praescriptionibus,* c. 36; ML 2, 59.

omnium apostolorum caput Petrus; unde et Cephas apellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne caeteri apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret»[1].

S. *Ambrosius* inquit: «Ubi ergo Petrus ibi Ecclesia»[2] et Auctor libri *De sacramentis:* «In omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiam»[3].

440. Arg. II. Ecclesia Romana venit ab apostolis a) origine, b) doctrina, c) pastorum successione. Ergo est apostolica. *Prob. ant.*

a) *Origo.* Omnia documenta ecclesiastica, monumenta per orbem diffusa, et sanctorum ac profanorum scripta, quibus universalis traditio continetur, liquido testantur atque demonstrant Ecclesiam Romanam a sanctis apostolis Petro et Paulo fuisse fundatam ac sanguine decoratam. Hoc inscriptiones antiquae, carceres, catacumbae, templa, historiae, sensus generis humani declarant. Unde S. *Leo* ait: «Ad hanc ergo urbem (Romam) te, beatissime Petre apostole, venire non metuis, et consorte gloriae tuae Paulo apostolo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato silvam istam... constantior quam cum supra mare gradereris, ingrederis»[4]. Et festiva celebritate canit Ecclesia:

«O Roma felix, quae duorum Principum
Es consecrata glorioso sanguine!
Horum cruore purpurata caeteras
Excellis orbis una pulchritudine»[5].

b) *Doctrina.* Eamdem hodie et semper Ecclesia Romana habet doctrinam fidei, cultus et regiminis, quam apostoli tradiderunt[6]. «Semper ab his qui sunt undique (catholicis), ait *S. Irenaeus,* conservata est ea quae est ab apostolis traditio»[7]. Et S. *Augustinus* addit: «Quod invenerunt (episcopi) in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis'tradiderunt»[8].

c) *Pastorum successio.* «Ad hanc Ecclesiam (Romanam), ait S. *Irenaeus,* propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam... Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt»[9]. Enumeratis deinde Pontificibus qui ordine sibi successerunt, concludit dicens: «Nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius».

S. *Optatus Milev.* haec habet: «Sedit (Romae) prior Petrus; cui successit Linus; Lino successit Clemens, Clementi Anacletus...» Ita Pontifices enumerat usque ad Siricium versus finem saec. iv, de quo ait: «hodie qui noster est socius»[10].

1 ***De schism, danat.,*** lib. 2, c. 2; ML 11, 947.
2 ***In ps.*** 40, n. 30; ML 14, 1134.
3 ***De Sacram.,*** lib. 3, c. 1; ML 16, 452.
4 ***Senn. I de SS. Apost. Petro et Paulo,*** c. 4; ML 54, 424.
5 ***Brev. Rom.,*** die 29 Jun. (Hymn.).
6 Confer quae diximus de unitate Ecclesiae, supra n. 420.
7 ***Adv. haeres.,*** lib. 3, c. 3, n. 2; MG 7, 849.
8 ***Contra Julian.,*** 2, 34; ML 44, 698.
9 ***Adv. haeres.,*** lib. 3, c. 3, ŋ. 2-3; MG 7, 849.
10 ***De schism, donat.,*** lib. 1, c. 2; ML 11, 948; Eusebius, ***II. E.,*** lib. 3, c. 4; MG 20, 220, Episcoporum, quos successores apostolorum vocavit, contexuit seriem.

441. Corollarium. Ex his manifeste sequitur Ecclesias omnes, etiam quae ab apostolis fundatae sunt aut constitutae, ut nota apostolicitatis insigniantur, debere per fidem et caritatem cum Ecclesia Romana universali ejusque capite communicare. Unde apologetae omnes, ut apostolicitatem alicujus ecclesiae ostendant, recurrunt semper ad pastorum successionem legitimam, quam ex unione cum Romana Ecclesia catholica repetunt *. Obiter hic notat S. *Bellarminus* 1 solam Ecclesiam Romanam, cum aliae olim defecissent, incolumem doctrinae integritate et Pontificum legitima successione permanere.

442. Thesis II. Ecclesiae protestantes non sunt apostolicae.

Nota. *Protestantes* plerumque, origine apostolica, identitate doctrinae in articulis fundamentalibus, et successione pastorum per missionem extraordinariam contenti, notam apostolicitatis suis ecclesiis tribuere non verentur 3.

Arg. Ecclesiae protestantes carent 1) origine apostolica, 2) identitate doctrinae cum Ecclesia apostolorum, et 3) legitima ac non interrupta pastorum inde ab apostolis successione. Ergo non sunt apostolicae.

1) *Carent origine apostolica.* Ipsi novatores contendunt Ecclesiam Christi in apostolis fundatam jam olim erroribus, tyrannide et corruptione Romanorum Pontificum defecisse. Si Ecclesia apostolorum saeculo in vel iv juxta nonnullos, vel ante saeculum xiv juxta omnes novatores defecit, et protestantismus saeculo xvi Luthero auctore ortus est, hoc intervallo durante ubi fuit vera Ecclesia? Quomodo protestantismus, hac interruptione facta, Ecclesiae apostolorum communicare potuit? Sane protestantibus congruunt illa *Tertulliani* verba: «Novelli estis, posteri estis, hesterni estis» 4.

2) *Carent identitate doctrinae cum Ecclesia apostolorum,* a) Protestantes, suum systema de articulis fundamentalibus sequuti, plura habent doctrinae capita, quae non solum revelationi christianae et apostolorum praedicationi, sed et documentis Ecclesiae primitivae contradicunt. Hinc merito *S. Bellarminus* 5 arguit protestantes de admissis antiquorum haereticorum erroribus non paucis, b) Protestantes, ut jam superius ostendimus, non servant in suis ecclesiis unitatem doctrinae.

3) *Carent legitima et non interrupta, pastorum successione;* quia successionem materialem non servaverunt, ordinationes ministrorum reliquerunt, et missione legitima privantur.

a) *Successionem materialem amiserunt,* quia coetus protestantes non procedunt ab apostolis, ut dictum est et constat ex historia.

b) *Ordinationes ministrorum reliquerunt,* quia plerique, si anglicanos forte excipias, nec curant de pastorum ordinatione, et anglicani adeo

Deinde scriptores benemeriti, antiquorum morem gerentes, accuratos composuerunt catalogos eorum, qui unus post alium in Sède Romana sibi successerunt. Cfr. ***Ordo Episcoporum;*** MG 20, 1549.

1 Cfr. Murillo, ***La Iglesia Romana,*** lib. I, see. 4, c. 4.

2 ***De Cone, et Eccl.,*** lib. 4, 6.

3 Vid. Palmor, ***Episcopacy Vindicated,*** c. 2.

1 ***Adv. Prax.,*** 2; MI. 2, 180.

6 ***De Cone, et Eccl.,*** 4, 9.

materiam et formam legitimae ordinationis corruperunt, ut non amplius ordines valide conferre censeantur, ut diserte declaravit *Leo XIII*[1].

c) *Missione legitima privantur,* a) Lutherus quandoque necessitatem missionis pro ministerio exercendo negavit, interdum anceps fuit anne requireretur aliqua missio; non semel docuit principum saecularium vocationem ac missionem sufficere; nonnunquam episcopi missionem requisivit; saepe vocationem et missionem Dei dixit esse necessariam. Tot denique hac super re docuit, ut 24 annorum spatio quaterdecies sententiam mutaverit[2]. b) Post Lutherum vidimus reformatores, ut apposite ajunt Fratres *Wallemburgenses,* missionem nunc ordinariam statuentes, nunc ab extraordinaria opem implorantes, nunc ad ordinationem magistratuum et populorum confugientes, nunc omnem missionis necessitatem haud obscure subvertentes[3]. c) Convicti denique de defectu successionis et missionis ordinariae confugiunt plerique ad missionem extraordinariam qua se dicunt opitulari. Sed frustra. Hanc enim missionem Dei extraordinariam ostendere deberent protestantes et confirmare miraculis, sicut Moyses, Christus, apostoli, etc., confirmarunt[4]. At protestantes nullum unquam miraculum patrasse nullumque signum extraordinariae suae missionis dedisse constat ex eorum historia agendique ratione. «A nobis, ajebat *Lutherus,* qui negamus liberum arbitrium miracula exigi non debent»[5]. «Quod miracula a nobis postulant, ajebat Calvinus, improbe faciunt»[6].

443. Thesis III. Ecclesiae schismaticae non sunt apostolicae.

Arg. I. Ecclesiae schismaticae carent pastorum successione formali et plerumque materiali, ut patet ex singularum enumeratione. Ergo.

a) «Videmus, inquit S. *Bellarminus,* defecisse alias apostolicas sedes antiochenam, alexandrinam, et hierosolymitanam, in quibus posteaquam a persis vel saracenis ea loca a romanis adempta sunt, quod accidit ante annos 900, aut nulla aut obscurissima fuit successio... Fatetur Calvinus in Asia, et Aegypto, et proinde Antiochiae, Jerosolymae et Alexandriae interrumptam fuisse nedum successionem formalem, verum etiam materialem»[7].

b) Sedes constantinopolitana, quae mediate fuit apostolica[8], amisit successionem formalem, quando saeculo xr a centro unitatis se subtraxit. Ex eo jam potestas patriarcharum Bizantii, quae primitus a Sede Romana dependebat, usurpata esse incepit.

c) Ecclesiae schismaticae ruthena, hellenica, rumanica, et aliae quotquot sunt a romana separatae, pastorum successionem etiam ma-

1 ***Lit. Apostolicae curae,*** idib. Sept. 1896; ***Acta S. Sedis,*** vol. 29, p. 199.

2 Cfr. Dellinger, ***La Reforma,*** 3, 213 sqq.

3 ***De controversiis,*** tr. 8, sect. 22; Migne, ***Theol. Cursus compl.,*** 1, 962.

4 «Quando Deus, ajebat ipse Lutherus in causa Münzeri (op. t. 2, Jen.), ordinarium modum immutari vult, semper simul miracula operatur». Idcirco a Thoma Miinzero miracula expostulanda voluit; ut se a Deo missum probaret.

5 ***Lib. de servo arbitrio;*** § «Sed agite».

6 ***Inst. (praef.);*** «Quod miracula».

7 ***De Cone, et Eccl.,*** lib. 4, c. 8, «Si ergo» et «Respondeo primum».

8 Patres Concilii Cp. I in epistola ad Damasum fatentur Ecclesiam bizantinam novellam esse.

terialem amiserunt, cum patriarcharum facultates omnino supprimentes vel saltem essentialiter mutantes *sanctam synodum* vel etiam imperatores aut reges constituerunt caput Ecclesiae supremum.

Arg. II. Ecclesiae schismaticae vel fuerunt apostolicae ante separationem ab Ecclesia Romana vel post separationem. Si *primum,* successionem formalem amiserunt, quia non succedunt pastores juxta legem in illa societate olim vigentem ac consuetam. Si *secundum,* concedendum erit eas olim non fuisse apostolicas, nec habere hodie unde successionem repetere possint '.

ARTICULUS IV

UTRUM SOLA ECCLESIA ROMANA SIT VERA CHRISTI ECCLESIA

444. Thesis. Sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.

Arg. Ecclesia Christi est, ut diximus in praecedentibus, hierarchica simul et monarchica, una, sancta, catholica et apostolica. Sed sola Ecclesia Romana est hierarchica simul et monarchica, una, sancta, catholica et apostolica, ut probatum est. Ergo.

EXPLICIT APOLOGETICA

SECTIO II

DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE

QUAESTIO XIX

DE POTESTATE ECCLESIAE

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES PRAEVIAE

445. 1) Potestas Ecclesiae adaequate dividitur in potestatem *ordinis* et *jurisdictionis.* «Duplex est spiritualis potestas, ait S. *Thomas,* una quidem *sacramentalis* alia *jurisdictionaUs»* [2]. Haec ultima ob duplicem formalitatem, quam exhibet, duplex est, una *magisterii* altera *re-*

1 Compertum est schismaticos validam ordinationem plerumque conservare. Unde sacerdotes schismatici possunt valide et licite iri articulo mortis absolvere. Controversum est, utrum id possint et generatim valeant actus jurisdictionis legales exercere extra articulum mortis. Nonnulli affirmant, sed alii communius negant cum P. Thoma a Jesu, ***De unione schismaticorum cum Ecclesia Romana procuranda,*** c. 2, aa. 8-9. Cfr. Benedictus XIV, ***De Synodo,*** 6, 5.

2 ***II-JI,*** q. 39, a. 3.

giminis. Ipso apostolico primatu quem Romanus Pontifex... in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi haec Sancta Sedes semper tenuit[1].

2) Claritatis gratia possunt haec membra singillatim considerari.

a) *Potestas ordinis* seu *ministerii* confertur inamissibiliter viris ecclesiasticis sacra ordinatione, ut sacramenta ex officio conficiant et ministrent ad collationem gratiae[2].

b) *Potestas magisterii* collata est Ecclesiae, ut veritatem revelatam et ea, quae cum revelatis connectuntur, authentice et ex officio proponat, doceat ac definiat[3]. Hoc magisterium duo importat, ut recte docet *Pesch* 45 a) *potestatem infallibiliter proponendi* doctrinam Christi (elavem scientiae), cui respondet ex parte audientium actus internus fidei divinae juxta illud Apostoli: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* s; β) potestatem intimandi fidelibus doctrinam Christi sub quibusdam poenis juxta illud ejusdem Apostoli: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*[5].

c) *Potestas regiminis* seu *ecclesiastici imperii* in foro externo, de quo tantummodo hic agitur, denotat potentiam regendi ac gubernandi legibus, judiciis, sanctionibus, populum Christianum ad finem supematuralem felicitatis aeternae. Quaerimus in praesenti utrum et qua plenitudine Christus hanc regiminis potestatem contulerit suae Ecclesiae.

Porro potestas regiminis triplex est, ut omnes etiam juris caesarei periti concedunt, *legifera* scilicet *judiciaria* et *coactiva,* prout jus est societati vel a) leges edendi, vel β) sociorum actiones judicandi, vel γ) legum transgressores puniendi et coercendi.

De singulis in sequentibus.

ARTICULUS II

DE POTESTATE ORDINIS

446. 1) Potestas ordinis praeeminet in Ecclesia inter alias potestates.

2) A nulla dependet auctoritate creata, sed minister sacris initiatus et charactere insignitus valide potest exercere munia suae ordinatio-

1 Nonnulli, ut Phillipps, ***Jus eccl.,*** t. i, § 32 et t. 2, § 76; Franzelin, ***De Ecclesia Christi,*** th. 5: Billot, ***De Eccl. Christi,*** q. 8, § 3 et alii, quibus praeiverant Suarez et Stapleton, volunt potestatem Ecclesiae trifariam distinguendam esse, ***ordinis*** nimirum, ***magisterii*** et ***regiminis,*** sed satius putavimus cum Tarquini ***(Juris publici eccl. inst.,*** lib. 1, n. 4, nota); Mazzella ***(De Rei. et Eccl.,*** n. 756); Groot ***(Summa Apol.,*** q. ii, introd.); Wilmers ***(De Eccl. Christi,*** n. 166); Crosta ***(Theol. dogm.,*** t. i, n. 393), et aliis eam bifariam dividere, ***ordinis*** et ***jurisdictionis,*** et in jurisdictione magisterium et regimen includere.

2 «Sacramentorum institutio et virtus, ait S. Thomas, a Christo initium habet... Quia igitur Christus corporalem sui praesentiam erat Ecclesiae subtracturus, necessarium fuit, ut alios institueret sibi ministros, qui sacramenta fidelibus dispensarent.» ***Contr. Gent.,*** lib. 4, c. 74.

3 Collata est praecipue cum Christus apostolis eorumque successoribus dixit, ut euntes in mundum universum docerent omnes gentes.

4 ***Inst. propaed.,*** n. 273.

5 ***II Cor.,*** 10, 5.

6 ***II Cor.,*** 10, 6.

nis, in quibus non requiritur jurisdictio, independenter ab omni alia potestate. Unde potestate ordinis sacerdos valide baptizat, missas celebrat et aegrotos inungit.

De hac potestate redibit sermo, dum de sacramento ordinis.

ARTICULUS III

DE POTESTATE MAGISTERII

447. Ecclesia, ut jam saepe diximus, accepit a Christo potestatem docendi omnes fideles. Gravissimae quaestiones, quae hanc potestatem spectant, enucleandae sunt in hoc articulo.

§ 1

Utrum Christus instituerit magisterium vivum ac permanens in Ecclesia.

448. Status quaestionis. 1) Magister in genere dicitur, qui alium quodammodo docet, ut diserte ait S. *Thomas.* Sed si strictius vocabulum sumas, magister est qui *ex officio* doctrinas aliis tradit. Quare, qui in academiis et universitatibus'docendi munus obtinent et exercent, magisterium obire dicuntur. Ecclesia, ut ex historia patet, semper ab exordio fidelium magistra exstitit.

2) Hoc tamen magisterium duplex in Ecclesia cernitur: a) *per solemne judicium,* cum suprema sua auctoritate formaliter declarat dogmata ab omnibus credenda; b) *per ordinarium et universale* magisterium, quo corpus pastorum et doctorum tradit doctrinas revelatas, non solemniter definiendo sed universaliter praedicando. *Fide divina et catholica,* ait Concilium Vaticanum, *ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive* solemni judicio *sive* ordinario et universali magisterio *tanquam divinitus revelata credenda proponuntur*[1].

449. 3) Definitio. Magisterium itaque, prout ad Ecclesiam refertur, est *jus et officium docendi veritates divinitus revelatas cum ea suprema auctoritate, cui omnes obedire tenentur.* Triplici munere praecipue continetur, *testis* scilicet, *magistri* (seu interpretis) et *judicis,* in quantum Ecclesia ut *testis* testimonium reddit veritatis revelatae, ut *magistra* dogmata interpretatur, et ut *arbiter* subortas controversias judicat ac solvit.

Quaeritur hic, an Christus instituerit in Ecclesia magisterium vivum et permanens cum triplici munere *testis, magistri* et *arbitri.*

450. Errores, i) *Ex protestantibus plerique* negant jus et officium docendi a Christo fuisse Ecclesiae collatum cui universi fideles parere teneantur. *Alii—neolutherani—*licet concedant magisterium fuisse a Christo institutum, dicunt tamen non constare, ubi illud resideat. Alii dicunt aliquando in Ecclesia futurum magisterium divinitus institutum, quando fortasse Ecclesia constituetur coetibus romano, anglico et graeco-schismatico[2].

1 *Sess.* 3, C. 3; Donz-Bnnnw., 1792.
2 Cfr. Card. Manning, *England and Christendom,* p. 83.

2) *Modernistae,* licet ecclesiastici magisterii nomen admittant, conceptum tamen destruunt, ejus originem, naturam et jura sacrilege pervertendo[1].

3) *Increduli* item hodierni, *deisiae rationalistae et liberales,* nulla volunt praerogativa hac in re Ecclesiam esse insignitam, sed potius eam dicunt progressui litterario et doctrinali, qui hodie tanto aestimatur, se opponere.

451. Thesis. Christus instituit in Ecclesia vivum ac permanens magisterium, cui omnes obedire tenentur.

Arg. I. a) *Ex Evangeliis. Data est mihi,* inquit Christus, *omnis potestas in caelo et in terra Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [2]. Et rursus: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* [3]. Iterum: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* [4]. Ac tandem: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* [5]. En munus atque officium *docendi* et *praedicandi* Ecclesiae commissum, quod permanens esse declaravit Christus, cum addidit: *Ecce ego vobiscum sum* (in munere docendi) *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [6].

b) *Ex Epistolis S. Pattli.* Apostolus Paulus et cum eo alii jugiter fassi sunt sese in docendo et praedicando Evangelio legatos esse Christi. *Pro Christo ergo,* ait Apostolus, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* [7]. Rursus: *Non enim misit me Christus baptizare sed evangelizare* [8]. Item: *Per quem* (per Christum) *accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus* [9]. Unde suam praedicationem confirmavit dicens: *Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*[10][11].

Arg. II. Ecclesia ex institutione Christi est *testis* veritatis revelatae, *magistra* dogmatum et *judex* controversiarum. Ergo.

a) *Testis veritatis,* quia Christus ait apostolis eorumque successoribus: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terraeu.* Ecclesia exinde veritatem revelatam sanguine etiam filiorum testificata est.

b) *Magistra dogmatum,* adeo ut nemini liceat dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensum tribuere alium ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia [12].

c) *Judex controversiarum,* quia ut Concilium Vat. ait: *Ecclesia...*

1 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2093.
2 ***Maith.,*** 28, 18-20.
3 ***Marc.,*** 16, 15-16.
4 ***Luc.,*** 10, 16.
5 ***Joan.,*** 20, 21.
6 ***Maith.,*** 28, 20.
7 ***II Cor., 5,*** 20.
8 ***I Cor.,*** i, 17.
9 ***Rom.,*** I, 5.
10 ***Gal.,*** I, 8/
11 ***Act.,*** I, 8.
12 Concil. Vat., wss. 3. ***De fide etsat.,*** can. 3: Denz-Bannw., 1818.

jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam [1]

Arg. III. Codex Juris Canonici hoc confirmat dicens: «Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto jugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret» [2].

452. Obj. 1.° Christus Dominus ait: *Magister vester tenus est, Christus*[3]. Ergo Salvator noster non instituit magisterium in Ecclesia.

Resp.—Dist. ant. Magister vester unus est, primarius, conc.; secundarius, neg. Unus quidem est magister primarius et principalis, scilicet Christus, a quo omnis doctrina revelata procedit; sed hic magister apostolos, doctores, etc., posuit in Ecclesia cum officio et munere docendi suo nomine veritates revelatas.

Obj. 2.° S. Joannes disertis verbis negavit magisterium Ecclesiae, cum ait: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium* [4].

Resp. S. Joannes non negat in praefato loco magisterium Ecclesiae sed auctoritatem magisterii mere humani. Necesse non habent fideles, ut dogmata edoceantur humana eloquentia, sed satis est, ut revelationi Spiritus Sancti per fidem adsentiant. Haec tamen revelatio jam olim facta non impertitur singulis fidelibus immediate, ut voluerunt protestantes non pauci; ideo necesse fuit magisterium institui in Ecclesia, ut singulorum in fide firmitas et omnium in doctrina unitas servaretur.

§ 2

Utrum magisterium Ecclesiae sit infallibile.

453. Status quaestionis. 1) *Infallibilis* dicitur, qui errare non potest. Solus autem Deus, fallere vel falli nescius, est natura sua infallibilis, omnis ratio humana ex se multum deficiens, ut ait *Angelicus* [5]. Homines tamen valent illam infallibilitatem, quae essentialiter Deo competit, quodammodo participare, adeo ut interiori ac supernaturali Spiritus Sancti adsistentia suffulti errare non possint.

454. 2) Definitio. Haec infallibilitas participata definitur: *Dos qua Ecclesia Christi sic divinitus insignitur, ut per adsistentiam Spiritus Sancti in rebus fidei et morum sive in docendo sive in credendo errare non possit.*

Dicitur 1.° *Dos qua Ecclesia Christi divinitus insignitur,* quia Ecclesia dicitur infallibilis, non ex sua natura sed per participationem, quatenus Christus, qui est caput Ecclesiae, influit in membra secundum ordinem gratiae et veritatis. Sicut «a capite, ait Angelicus, ad alia membra, quae sunt ei conformia in natura, quodammodo sensus et motus derivantur, sic a Christo et gratia et *veritas* ad alios homines derivantur» [6].

1 *Sess. 3,* c. 4; Denz-Bannw., 1798.
2 Can. 1322.
3 *Matth.,* 23, 10.
4 *1 Joan., 2,* 27.
5 *II-II,* q. 2, a. 4.
6 *Comp theol.,* c. 214; «Hoc tamen».

Dicitur 2.° *Per adsistentiam Spiritus Sancti.* Haec supernaturalis adsistentia tribuitur Spiritui Sancto per appropriationem, sed non est actio solius Spiritus Sancti, nec specialem Spiritus Sancti inhabitationem in anima significat, sed potius ad illam pertinet operationem, qua Deus omnibus rebus praesens adest[1]; est speciale auxilium et efficacia Dei, quo ita regitur mens docentis, ut in proponenda doctrina semper ab errore servetur immunis. Non excludit, quin potius exigit, humanam industriam in veritatibus investigandis, ut ipsa particula *adsistentia,* quae aliorum cooperationem supponit, satis innuit [2].

Dicitur 3.° *In rebus fidei et morum.* Objectum siquidem infallibilitatis sunt dogmata fidei et res morum, et ea quae ex veritatibus revelatis deducuntur.

Dicitur 4.° *Sive in docendo sive in credendo.* Duplex distinguitur infallibilitas ratione subjecti, una *activa,* altera *passiva. Activa* seu *in docendo* competit Ecclesiae docenti seu corpori pastorum et doctorum, qui a Christo constituti sunt ad pascendam regendamque Ecclesiam, adeo ut magisterium docens, quod in Ecclesiae Pastoribus et Doctoribus residet, nunquam in tradenda fidei vel morum doctrina deficere vel errare queat. *Passiva* seu *'in credendo* competit Ecclesiae discenti seu universo fidelium coetui (non exceptis doctoribus) collectim sumpto, quatenus unanimis fidelium consensus in iis, quae ad fidem vel mores pertinent, errare ne inculpate quidem possit.

Magisterium docens seu corpus Pastorum et Doctorum est, ut vides, principium infallibilitatis, quam neccessario sibi vindicat Ecclesia. Quatenus est in corpore Pastorum vocatur infallibilitas *activa;* quatenus universus fidelium coetus a Pastoribus edoctus credit dogmata, nuncupatur infallibilitas *passiva.*

Dicitur 5.° *Errare non possit.* Infallibilitas non solum significat immunitatem ab errore *de facto* in subjecto errori obnoxio, quae *inerrantiam* proprio nomine audit, sed ulterius impossibilitatem errandi importat. «Ecclesia, ut egregie ait *Groot,* non solum non errat, quod est *factum,* verum etiam errare non potest, quod ad *fus* pertinet» [3].

Quaerimus hic, an et quomodo infallibilitas *activa* corpori docenti, et *passiva* universo fidelium coetui competat.

455. Errores, a) *Protestantes* plerumque quamdam infallibilitatem *passivam* Ecclesiae universae concedunt, sed *activam* omnino negant.

b) *Sociniani* item infallibile magisterium Ecclesiae negant dicentes rationem naturalem sibi sufficere et unicam esse regulam ac normam pro discernendis veritatibus revelatis.

c) *Puseystae* docent admittendum esse in genere corpus Pastorum infallibile, constitutum ex Ecclesiis Romana, anglica et graeco-schismatica, quarum doctores si dissentiant, nihil infallibiliter definiri potest.

1 Ecclesia, a Spiritu Sancto semper adjuta, operam jugiter navavit, ut veritates sedulo investigaret. Sive hanc diligentiam adhibeat sive non, modo tamen controversiam dirimat, Ecclesia infallibilis est; et cum dogmata credenda proponit aut errores damnat, semper supponendum est sufficientem adhibuisse diligentiam. Cfr. Valentia, t. 3, q. i, p. 7, § 41; «Huc accedit».

2 Cfr. Hurter, n. 391.

3 ***Summa Apol.,*** q. 8, a. 3.

d) *Rationalistae, increduli* et *liberales* Ecclesiae infallibilitatem tum activam tum passivam multum irrident dicentes nullum doctorum corpus vel fidelium coetum gaudere praerogativa non errandi sive in docendo sive in credendo.

456. THESIS. Ecclesia Christi est infallibilis in rebus fidei et morum, corpus quidem Pastorum «in docendo» et coetus fidelium «in credendo».

Arg. I. Luculenter hoc demonstratur ex classico illo testimonio Servatoris nostri apostolos sic adloquentis: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes..., docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* L His verbis promisit Christus 1) se Ecclesiae in munere docendi adfuturum; 2) hanc adsistentiam perpetuo duraturam, et 3) Ecclesiam fore infallibilem.

1) *Christus promisit Ecclesiae in munere docendi se adfuturum.* Id constat ex orationis contextu. Mittens enim Dominus apostolos docere omnes gentes adjunxit: *et ecce ego vobiscum sum;* quo evidenter patefecit se eis auxilium praestiturum in opere vel munere ad quod misit complendo. In momento in quo Christus misit apostolos praedicare Evangelium, ad quid voluerit dicere: *ecce ego vobiscum sum,* nisi ut eorum animum erigeret atque firmaret in munere praedicationis evangelicae fungendo?

2) *Docuit hanc adsistentiam perpetuo duraturam,* a) Promisit Jesus se apostolis adfuturum *usque ad consummationem saeculi,* quod non de apostolis in persona sed de eorum successoribus intelligendum est. b) Promisit Christus hanc adsistentiam apostolis euntibus *in universum mundum* et docentibus *omnes gentes.* Non autem apostoli, ut notum est, sed eorum successores eràn universum orbem peragraturi omnesque gentes edocturi.

3) *Adseruit Ecclesiam fore infallibilem,* a) Quia hoc certe significant verba: *ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi* in magisterio scilicet obeundo, b) Quia adsistentia promissa est Ecclesiae ut Evangelium sine errore praedicaret.

Arg. II. Christus ait Petro: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* 1. Quidquid velis per petram in hoc textu significari 3, certum est fundamentum firmissimum et aedificii immobilitatem saltem in rebus fidei et morum denotari. Unde Apostolus vocat Ecclesiam *columnam et firmamentum veritatis* 4.

Arg. III. Innumera sunt alia Scripturae testimonia, quibus eadem veritas demonstratur.

1) Salvator noster in caelum ascensurus sic affatus est apostolos:

1 ***Matth.,*** 28, 18 sqq.
2 ***Matth.,*** 16, 18.
3 Vid. n. 330.
1 ***I Tim.,*** 3, 15. Hunc textum nonnulli protestantes corrumpere ausi sunt, sed Luihorus, ***De servo arbitrio,*** «Primum non»; et Calvinus ***(Inst.,*** lib. 4, c. I, n. 10), integre servaverunt.

Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis 1. De quo statim subjecit: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus... vos docebit omnia* 2, manendo scilicet vobiscum in aeternum.

2) Apostolus ad ephesios scribens ait: *Et ipse* (Deus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum..., ut, fam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae* 3. His verbis certo manifestatur Christum instituisse in Ecclesia magisterium infallibile, quod est duraturum *donec occurramus omnes in unitatem fidei...,* ne simus parvuli fluctuantes.

3) Voluit Christus 4, ut qui Ecclesiam non audiret, haberetur sicut ethnicus et publicanus, quod certe injustum foret, si Ecclesia esset fallibilis.

Arg. IV. *Ex Ecclesiae documentis.* Concilium Vaticanum diserte ait *Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor* Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit 5. Jam olim *Pius VI* damnavit synodi pistoriensis propositionem I, quae sparsam esse dicebat «generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem» 6. Hinc addere licet cum *Franzelin* infallibilitatem Ecclesiae «ad ipsum revelatum dogma fundamentale fidei catholicae» pertinere 7.

Arg. V. *Ex Ecclesiae Patribus.* Sanctorum Patrum, qui infallibilitatem Ecclesiae uno ore confessi sunt, longam seriem texere non lubet. Unum vel alterum ex antiquioribus laudasse sufficiat.

S. *Irenaeus* ait: «Quam (fidem) perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens et juvenescere faciens ipsum vas in quo est... *Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas*» 8. Videantur *Ambrosius* 9, *Hieronymus* 10, *Augustinus* 11 et alii.

1 ***Joan.,*** 14, 16.
2 ***Joan.,*** 14, 26.
3 ***Ephes.,*** 4, 11-14.
4 ***Matth.,*** 18, 17.
5 ***Sess.*** 4, C. 4: Denz-Bannw., 1839.
6 Const. ***Auctorem fidei,*** 28 Aug. 1794: Denz-Bannw., 1501. In schemate Concilii Vat. ***Const, dogm. de Ecclesia Christi,*** c. 9, haec leguntur: «Sacro autem et universali approbante concilio docemus atque declaramus dotem infallibilitatis quae tanquam perpetua Ecclesiae Christi praerogativa revelata est... collatam ad hoc esse, ut verbum Dei, sive id scriptum sive traditum sit, in universali Christi Ecclesia integrum et a quavis novitatis immutationisque corruptela immune adseratur et custodiatur». ***Coli. Lac.,*** 7, 570.
7 ***De div. Trad.,*** th. 12, schol. 1, principium IV.
8 ***Adv. haeres.,*** 3, 24; MG 7, 966.
9 ***Ep.*** 2, x; ML 16, 917.
10 ***In Amos,*** 9, 14; ML 25, 1096.
11 ***De symbolo ad catech.,*** c. 6; ML 40, 635.

Objectiones.

457. Obj. 1.° Adsistentia Spiritus Sancti simul promissa est omnibus et singulis apostolis, adeo ut singuli fuerint infallibiles in rebus fidei et morum. Sed praerogativa concessa singulis apostolis non fuit transmissa ad singulos episcopos. Ergo nec praerogativa concessa coetui apostolico transmissa est Ecclesiae.

Resp.—Neg. conseq. Adsistentia Spiritus Sancti dupliciter considerari potest, a) Ut est *charisma extraordinarium* singulis apostolis concessum, magisterium scilicet personale universale apostolorum, eorumque deputatio ad novas revelationes, b) Ut *charisma ordinarium,* magisterium scilicet infallibile revelationis jam factae, corpori hierarchico Ecclesiae, quod in collegio apostolorum initiatum est, elargitum.

Charisma extraordinarium certe personale erat, apostolorum successoribus minime communicandum. Solis enim apostolis concreditum est munus personale communicandi Ecclesiae fidei revelationes. Expleto siquidem in eis deposito revelationis, non opus fuit hoc charisma personale ad alios transferre. Verum oportuit ut corpus hierarchicum, cui commissa est revelationis conservatio, exornaretur *charismate ordinario* in perpetuum. De hoc charismate corpori Pastorum promisso agunt proculdubio textus allati Matthaei et Joannis '.

Obj. 2.° Circulum vitiosum committunt theologi, dum Ecclesiae inTallibilitatem ex SS. Scripturis, et authentiam Scripturarum ex testimonio Ecclesiae demonstrare contendunt. Ergo nihil valet eorum argumentatio.

Resp.—Neg. ant. Processus theologicus optime texitur absque ullo circulo vitioso. 1) Si disputatio sit cum haereticis, jure arguunt theologi ex S. Scriptura, quam adversarii admittunt, ad probandam Ecclesiae infallibilitatem, ex qua semel ostensa, invicte demonstrant authentiam earum S. Scripturae partium, quas haeretici respuere conantur. 2) Si disputandum fuerit cum incredulis et infidelibus, demonstratur primo motivis credibilitatis non solum possibilitas et neccessitas verum etiam exsistentia revelationis et divina Christi missio. Deinde ex Sacris Scripturis, quarum authentia saltem humana omni genere argumentorum demonstratur, colligitur Christi consilium de Ecclesia instituenda et propaganda imo et factum institutionis cum omnibus praerogativis et notis, quibus fulget et innotescit. Hoc semel probato et admisso, ex Ecclesiae definitionibus arguitur ad demonstrandam inspirationem, integritatem, etc., Scripturarum; et sic diverso genere argumentorum unum ex altero sine circulo vitioso probatur.

§ 3

Quodnam sit injallibilitatis Ecclesiae subjectum.

458. Status quaestionis. 1) Satis declaratum est in paragrapho superiori duplicem infallibilitatis speciem esse in Ecclesia, *activam* et *-passivam,* quae diversum postulant subjectum, *unum* doctorum qui docent et pascunt, *alterum* fidelium qui credunt et discunt.

2) Compertum est et communiter admissum subjectum infallibilitatis passivae esse totum corpus fidelium quod laicis, clericis, doctoribus, episcopis, ipsoque Summo Pontifice constat. Omnes enim fideles dogmata a Deo revelata accipiunt et credunt.

3) Infallibilitatis activae duplex est subjectum, Romanus Pontifex

1 Lege Franzolln, *De traditione,* th. 5, n. 3; Billot, *De Eccl. Chr.,* th. 16, § 2.

et corpus docens Pastorum in unione cum Romano Pontifice. Concilium Vaticanum dicit *divinitus revelatum dogma esse... Romanum Pontificem* (en l."™ subjectum) *cum ex cathedra loquitur... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam* (en alterum subjectum) *in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit* 1.

4) Quaeritur a) an corpus Pastorum Romano Pontifici consentientium, sive in concilio coadunatum sive per orbem dispersum, sit in rebus fidei et morum infallibile, et b) an Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, sit infallibilis.

459. Errores, a) *Calvinus* Ecclesiae universali, non coetui episcoporum in unione cum capite, tribuendam esse voluit infallibilitatem. Alii protestantes non tam episcopis quam singulis fidelibus videntur adsistentiam Spiritus Sancti et consequenter infallibilitatem concedere.

b) *Richeriani, pistorienses,* et alii hierarchiae ecclesiasticae osores docuerunt jurisdictionem et potestatem spiritualem imo et infallibilitatem activam primario et immediate residere in populo, secundario et ininisterialiter in episcopis et Romano Pontifice[1].

460. Thesis I. Ecclesia docens, quae constat episcopis cum Romano Pontifice, sive in concilio coadunata sive per orbem dispersa, est infallibilitatis activae subjectum.

Arg. I. Corpus episcoporum in Ecclesia succedit collegio apostolico cum omnibus privilegiis, quae non sunt praerogativae personales apostolorum. Sed collegium apostolicum ut tale fuit infallibilitatis subjectum. Ergo et corpus episcoporum. «Apud nos, ait S. *Hieronymus,* apostolorum locum episcopi tenent» 3. S. *Augustinus:* «Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum» 4. Sic passim loquuntur Patres, quorum doctrinam confirmat Concilium Tridentinum dicens: *Qui* (episcopi) *in apostolorum locum successerunt* 5; et Concilium Vaticanum addit: *Quemadmodum* (Christus) *apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus est a Patre, ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit*[6].

Arg. II. Episcopis in unione cum Romano Pontifice commissum est munus docendi, regendi et sanctificandi homines. Ergo sunt subjectum infallibilitatis. Apostoli, accepta a Christo potestate, constituerunt episcopos per singulas civitates cum praefato triplici munere, ut docemur a S. *Clemente Romano* qui ait: «Apostoli... praedicantes igitur per regiones et urbes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt

1 Sess. 4, C. 4; Denz-Bannw., 1839.

2 Vide Edmundi Richerii librum ***De ecclesiastica et politica potestate,*** cc. 1 et 6; et propositiones synodi pistoriensis a Pio VI, Const. ***Auctorem fidei,*** 28 Aug. 1794 damnatas.

3 ***Ep.*** 41, n. 3; ML 22, 476.

4 ***In Ps.*** 44, n. 32; ML 36, 513.

5 ***Sess.*** 23, c. 4: Denz-Bannw., 960.

6 Sdss. 4, introd.; Denz-Bannw., 1821.

in episcopos et diaconos eorum, qui crediturí erant» 1. Unde *Paulus* apostolus episcopos hortatur dicens: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* 2.

461. Corollarium I. His ita breviter expositis, operae pretium est declarare quomodo Ecclesia docens seu corpus Pastorum sit infallibilitatis subjectum.

1) *Apostoli* imprimis a) *singillatim* fuerunt infallibiles in doctrina fidei et morum; hac tamen differentia, quod B. Petrus, Pastor et Rector omnium, super quem aedificata est Ecclesia 3, accepit hanc praerogativam *ratione ac vi primatus,* ut charisma ordinarium suis successoribus transmittendum; dum alii apostoli *sanctijicati in veritate* et missi in mundum sicut Christus missus est a Patre 5, et electi ut forent legati divini 6 ac testes Christi usque ad extremum terrae 7, et portarent nomen ejus coram gentibus et regibus 8, acceperunt singuli magisterium universale et dotem infallibilitatis *ratione ac vi apostolatus* in universum mundum, ut charisma extraordinarium et personale successoribus minime communicandum. b) *Conjunctim,* constituentes collegium apostolicum, insigniuntur magisterio universali *ordinario* 9, cum infallibilitate 10, corpori Pastorum quod collegio apostolico successit transmittendo. Hinc.

2) *Corpus episcoporum* in unione cum Romano Pontifice, sive in concilio coadunatum sive per orbem dispersum, est subjectum magisterii infallibilis, quia hoc corpus Pastorum in communione cum Romano Pontifice successit in locum collegii apostolici et jure haereditario accepit munus docendi, regendi et sanctificandi homines una cum praerogativa infallibilitatis. Huic episcopatui seu corpori Pastorum referuntur illa Apostoli verba: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* 11. Verbum siquidem *episcopos* relate *ad Ecclesiam Dei quam* (Christus) *acquisivit sanguine suo,* non episcopos seorsim sed pastores indeterminate seu corpus episcoporum significat.

3) *Singuli episcopi* non infallibilitatem sed munus accipiunt regendi et pascendi singulas ecclesias juxta illud Petri: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes* 12.

Corollarium II. Ex Bulla Pii VI *Auctorem jidei,* qua proscripta est, prop. 10 synodi pistoriensis, liquet solos episcopos cum Rom. Pontifice et non parochos aliosve simplices sacerdotes esse judices fidei.

1 ***Ep. ï ad Cor.,*** n. 42; MG 1, 292.
2 ***Act.,*** 20, 28.
3 ***Matth.,*** 16, 18.
4 ***Joan.,*** 17, 18-19.
5 ***Rom., i,*** 5.
6 ***Act.,*** 13, 47.
7 ***Act.,*** 9, 15.
8 ***Docete omnes gentes, baptizantes eos....docentes eos servare omnia. Matth.***,28,19.
9 ***Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Matth*** . 28, 20. ***Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. Joan.,*** 14, 16.
10 ***Act*** , 20, 28.
11 ***I Petr.,*** 5. 2.

462. Thesis II. Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, est infallibilis.

Nota. I. Ad intelligentiam hujus theseos quaedam sunt praemittenda.

II. Locutio ex cathedra. Quatuor saltem importat locutio ex cathedra, ut Concilium Vaticanum expresse declaravit. 1) *Ex parte Pontificis,* ut omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens loquatur. *2) Ex parte materiae,* ut doctrinam *de fide* vel *moribus* definiat. 3) *Ex parte formae,* ut suprema sua apostolica auctoritate doctrinam proponat. 4) *Ex parte termini,* ut praefatam doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam decernat. Pauca de singulis.

1) *Ex parte Pontificis.* Romanus Pontifex potest tripliciter considerari: a) *Ut doctor privatus* sententiam suam verbo vel scripto proferens; et hoc sensu communiter docent Doctores posse eum errare etiam in materia fidei 1. Quapropter *Innocentius III, Benedictus XIV* aliique Pontifices scriptores potuerunt in componendis suis libris errare 2. b) *Ut Pontifex,* vel rem determinans ad Ecclesiam universalem non spectantem, ut in beatificatione servorum Dei, vel non pronuntians ultimam et peremptoriam sententiam, ceu contingit in approbatione communi decisionum SS. Congregationum. Hic modus loquendi non est *locutio ex cathedra,* c) *Ut Pastor et Doctor omnium Christianorum* tota plenitudine apostolicae potestatis res fidei et morum decidens, ut cum Pius IX mysterium Immaculatae Conceptionis B. M. V. declaravit. Ex parte Pontificis requiritur ad locutionem ex cathedra, ut Papa omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, doctrinam aliquam proponat cum intentione obligandi omnes fideles 3.

2) *Ex parte materiae* requiritur, ut objectum definitionis sit doctrina de fide vel moribus. Ubi duo sunt observanda: a) distinctio inter doctrinam *fidei* et materiam *morum* non est realis quoad revelationem, ut inferius dicetur 4, sed quae sunt revelata vel in revelatis contenta, vocantur *res fidei,* si pure speculativa sint et credenda proponant, *res* vero *morum,* si regulam exhibeant agendorum 5. b) Non solum ea

1 Accurate distinguas velim aliud omnino esse Pontificem, qua est persona privata, errare in fide *ex ignorantia,* aliud ipsum fieri *haereticum.* Haereticus enim est qui errat in fide cum pertinacia. Quare magis pium et probabile puto cum Suarez, *De fide,* disp. io, sect. 6, n. n, «posse quidem Papam, ut privatam personam, errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia». Cfr. S. Bellarminus, *De Itoni. Pont.,* lib. 4, c. 6; et Pighius, *De eccl. hier.,* lib. 4, c. 8.—Aliis tamen hoc non placet, quorum si sententia admittatur, statim pulsat animum dubitatio, an Papa, sic haereticus, ipso jure privetur Pontificatu, vel amovendus sit per sententiam. Qua in re nonnulli volunt cum Turrecremata et Alphonse de Castro, Papam haereticum ipso jure a Pontificatu excidere, alii vero cum Cajetano, Cano, etc., per sententiam corporis episcopalis amovendum esse.

2 Cfr. Benedictus XIV, *De Synodo dioecesana,* praef. ad calcem.

3 Volunt nonnulli ad locutionem ex cathedra in Pontifice requiri intentionem, et quidem clare expressam, dogmatice rem definiendi, sed haec conditio non exprimitur a Concilio Vaticano, et videtur satis includi in intentione obligandi Ecclesiam ad tenendam veritatem dogmaticam. Vide Palmieri, *De Rom. Pont.,* th. 31; *Razon y Pe,* t. 19, p. 162.

1 N. 475-

5 Cfr. Murillo, *La Iglesia romana,* t. I, p. 435.

quae sunt formaliter revelata et constituunt objectum directum magisterii ecclesiastici, sed etiam ea quae in formaliter revelatis continentur et sub objecto secundario magisterii Ecclesiae cadunt, sive sint de fide sive de moribus, possunt pertinere ad materiam locutionis *ex cathedra.*

3) *Ex parte formae* opus est, ut Pontifex suprema sua apostolica auctoritate seu plenitudine potestatis, non modo consulat aut adhortetur, sed ultima sententia doctrinam definiat cum intentione obligandi fideles [1].

4) *Ex parte termini* necesse est, ut Pontifex doctrinam definiat ab universa Ecclesia tenendam. Non tamen opus est ut bulla, decretum vel definitio Pontificis ex cathedra loquentis ad totam Ecclesiam dirigatur, sed satis est, ut definitio ad unam Ecclesiam particularem directa, doctrinam definiat universam Ecclesiam concernentem. Sic Innocentius I in causa pelagiana ecclesiam dumtaxat africanam adlocutus est, et nihilominus doctrinam tradidit ab universa Ecclesia credendam, adeo ut S. Augustinus eo ipso causam finitam dixerit [2].

463. III. Ratio infallibilitatis Romani Pontificis est adsistentia Spiritus Sancti. Communiter docent theologi, et est omnino certum, Romanum Pontificem, dum ex cathedra loquitur, non novam revelationem accipere, *sed adsistentia pollere Spiritus Sancti,* ut in tradendis rebus *fidei* et *morum-* nunquam a vero tramite deflectat. *Per adsistentiam divinam,* inquit Concilium Vaticanum, *ipsi in B. Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit* [3]. Hinc valor definitionum supremi Pastoris Ecclesiae recidit, non in revelationem Dei, neque in consensum Ecclesiae, sed in adsistentiam Spiritus Sancti. *Ideoque,* addit Concilium Vaticanum, *ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse* [4]. Tenetur quidem Papa, quoties doctrinam definire voluerit, ea adhibere media, quae apta sunt ad veritatem investigandam dignoscendamque, cujusmodi sunt plerumque consilia episcoporum et theologorum, sed quantum ad hoc «pie debemus credere, ut ait relator deputationis de fide in Concilio Vaticano, quod in divina adsistentia Petro et successoribus ejus a Christo Domino facta simul etiam contineatur promissio mediorum,

1 Decisiones hujusmodi solam substantiam doctrinae, quam directe declarant, adspiciunt, non quae incidenter praesuponuntur vel consequuntur. Cfr. Raphael a S. Joseph, ***De S. Theol. loc.,*** c. 7, 2.°

2 Cfr. Mazzella, ***De Ecclesia,*** n. 1052.

3 ***Sess.*** 4, c. 4; Denz-Bannw., 1839.

4 Sess. 4, c. 4; Denz-Bannw., 1839. «Consensus Ecclesiae antecedens, ait ad rem Card. Franzelin, ***De Traditione,*** th. 12, schol. 1, coroll. 3, potest quidem esse objectivum medium, quo Pontifex perveniat in cognitionem doctrinae ut definibilis, sed non est per se et ex natura rei unicum et necessarium medium cognitionis; possunt enim doctrinae de fide vel moribus etiam ex aliis fontibus ac mediis cognosci definibiles, et possunt definiri quaestiones etiam intra fines Ecclesiae hactenus dubiae et controversae. Nullo autem modo hujusmodi Ecclesiae seu episcoporum consensus, sive antecedens aut concomitans sive subsequens, necessarius est per modum judicii authentici concurrentis cum judicio seu definitione Pontificis».

quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis judicium» *.

464. IV. Extensio locutionis ex cathedra. Non parva difficultate praepediti sunt Patres Concilii Vaticani in seligenda formula infallibilitatis pontificiae. Si enim illam redigere voluissent ad sola divinitus revelata, exclusa cuipiam viderentur facta dogmatica, canonizatio sanctorum, et ea omnia quae constituunt objectum indirectum magisterii ecclesiastici, quod erat inconveniens. Ut difficultas obviaretur, declaratum definitumque est in canone *Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur..., ea injallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.* Ex quo sequitur infallibilitatis pontificiae, sicut et magisterii Ecclesiae, duplex esse objectum, *directum* seu *primarium* quo ad solas veritates explicite vel implicite revelatas extenditur, et *indirectum* seu *secundarium* quod ea, quae ex revelatis deducuntur, declarat. Hinc: 1) infallibilitas Pontificis nec magis nec minus late patet quam infallibilitas Ecclesiae in suis definitionibus de fide et moribus; 2) dogma catholicum est Romanum Pontificem, cum loquitur ex cathedra, infallibilem esse in proponendis veritatibus a Deo revelatis, sive ad fidem pertineant sive ad mores. 3) Certum est, non tamen de fide, Papam infallibilitate gaudere in iis determinandis, quae ex revelatis deducuntur et ad eorum conservationem necessaria sunt[1]. Infallibilitatem in iis rebus secundariis negare «error esset gravissimus» juxta Franzelin.

465. V. Formula locutionis ex cathedra. Quamquam nulla sit formula determinata, qua uti necesse sit in rebus definiendis, docent tamen communiter theologi Romanum Pontificem, quando loquitur ex cathedra, manifestare debere indicio aliquo clare cognoscibili suam intentionem obligandi Ecclesiam ad doctrinam credendam. In omnibus documentis, quae hactenus ex cathedra prodierunt, gravissimis verbis hanc voluntatem Pontifices manifestare consueverunt. Ut igitur bene dignoscantur locutiones ex cathedra, ponderanda sunt accurate Pontificis verba. Si quid auctoritative declarat esse dogma fidei a Deo revelatum, vel damnat ut haereticum, verbo Dei repugnans, etc., signum est locutionem esse ex cathedra.

466. Errores, a) Omnes haeretici, praesertim *schismatici graeco-rutheni, protestantes* et *anglicani,* inerrantiam Romani Pontificis in rebus fidei et morum practice inficiati sunt.

b) *Gallicani,* theorias *Marsilii Patavini, Richerii, Antonii de Dominis, jansenistarum* et *febronianorum* partim sequuti, celebrem *Declarationem Cleri Gallicani* a. 1682 evulgarunt, in cujus art. 4 haec decreverunt: «In fidei quoque quaestionibus *praecipuas Summi Pontificis esse partes,* ejusque

1 Brixinensis, ***Relatio ad sess. 4*** Concil. Vat. ***(Coll. Lac.,*** VII, p. 400). «Tutela Christi, ait iterum idem relator, et assistentia divina Petri successoribus promissa est causa ita efficax, ut judicium summi Pontificis, si esset erroneum et Ecclesiae destructivum, impediretur; aut si reapse Pontifex ad definitionem deveniat, illa infallibiliter vera exsistat». ***Coll. Lac.,*** VII, p. 401.

2 Cfr. Franzelin, ***De Traditione,*** th. 12, schol. 1, principium IV, «In hoc continetur»; et Brixinensis, ***Relatio ad sess. 4*** Concil. Vat. ***(Coli. Lac.,*** t. 7, 416-417).

decreta ad oinnes et singulas ecclesias pertinere, *nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit»* *.

c) *Nonnulli* professores universitatum Germaniae, sacerdotes et laici, quos inter eminuerunt *Dollinger, Friedrich, Reusch, Reinkens, Schulte,* et alii *(veteres catholici)* tempore Concilii Vaticani et annis posterioribus pertinaciter impugnarunt infallibilitatem Papae, et Patres vaticanos omnesque fideles definitionem dogmaticam admittentes accusarunt haereseos 1.

d) Hodierni *rationalistae, liberales* et *politici* plerique renuunt admittere infallibilitatem Romani Pontificis ex cathedra loquentis.

467. Arg. I. *Ex S. Scriptura.* 1) Christus Dominus sic affatus est Petrum ejusque successores: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* 3. Petrae nomine significatur hic basis seu fundamentum, saxum nempe et crepido, quae inamobiliter et solide sustentat totum Ecclesiae aedificium. Fundamentum autem et basis Ecclesiae est auctoritas. Unde Christus soliditate petrae annuntiavit auctoritatem Ecclesiae fore firmam ac stabilem. Sed firmitas auctoritatis in societate est indefectibilitas in docendo. Ergo Christus pollicitus est Petro ejusque successoribus infallibilitatem in docendo 4.

2) *Simon, Simon,* ait Dominus ad Petrum, *ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus* 5*confirma fratres tuos °. Haec autem verba a) soli Petro referuntur; b) eidem tanquam Ecclesiae capiti et Pastori universali diriguntur, et c) infallibilitatis praerogativam conferunt Petro, ut confirmet fratres suos.

a) *Soli Petro referuntur;* quia, licet Dominus omnes apostolos primo adlocutus fuerit, deinde tamen solum Petrum affatus est, ut nomen *Simon, Simon,* et pronomina secundae personae *pro te, fides tua, tu,* etc., satis ostendunt.

b) *Petro tanquam Ecclesiae capiti et Pastori ttniversali diriguntur,* quia rogavit Christus pro fide Petri, ut confirmaret fratres tentationum periculis expositos, quod est proprium Pastoris.

c) *Praerogativam infallibilitatis conferunt Petro,* quia rogavit Christus, ut non deficeret fidbs Petri, quatenus erat in munere Pastoris universalis constitutus et docendi munere auctus 7. Quare Concilium Vaticanum docet *Sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam per-*

1 In Concilio Vaticano habuit gallicanismus quosdam sectatores, qui noluerunt, ut infallibilitas Romani Pontificis definiretur, sed decisioni concilii humiliter se subjecerunt.

2 Cfr. Hergenrother, ***Hist, de la Ig.,*** t. 6, p. 540 sqq.

3 ***Matth.,*** 16, 18 sqq.

4 Cfr. S. Thomas, ***in Matth.,*** 16, n. 3.

5 Hoc verbum juxta nonnullos significat ***postquam a lapsu triplicis negationis resipueris;*** vide Corluy, ***Spicilegium dogmatico-biblicum,*** t. 1, comment. 4; juxta alios est hebraismus aequivalens verbo ***vicissim;*** juxta alios ita vertendum est: ***tu aliquando converte te ad fratres tuos et confirma eos in fide.*** Cfr. Passaglia, ***De Praerogativis S. Petri,*** p. 549 sqq.; et Pesoh, ***Inst. propaed.,*** n. 509.

3 ***Luc.,*** 22, 31.

7 Cfr. S. Ambrosius, ***De fide,*** lib. 4, c. 5, n. 56; ML 16, 653; S. Chrysostomus, ***in Act, Ap.,*** hom. 3, n. 3; MG 60, 37; et Theophilaotus, ***Enarrat, in Evang. Luc.,*** c. 22, 28-34; MG 123, 1073.

manere secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi jactam: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [1].

3) Petro ejusque successoribus commissum est a Domino munus pascendi Ecclesiam illis verbis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* [2]. Ecclesia autem pascitur non solum legibus et mandatis, verum etiam et praesertim doctrina et veritate. Unde Pontifices supremi acceperunt divinitus munus docendi ex officio veritatem. Munus autem divinitus collatum docendi veritatem ex officio secum fert infallibilitatis praerogativam. Ergo.

468. Arg. II. *Ex SS. Patribus.* Patres unanimiter exposuerunt eodem sensu, quo nos intelleximus, testimonia S. Scripturae ex *Matth.,* 16; *Luc.,* 22, et *Joan.,* 21, supra relata [3].

S. *Irenaeus* de Ecclesia Romana disserens ait: «Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem [4] principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles; in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio». Velim ex hoc deducas opus esse, ut omnes, qui sunt undique fideles, conveniant ad Ecclesiam Romanam, ne errent in rebus fidei credendis, et quidem «propter potentiorem principalitatem» Ecclesiae romanae, in qua «semper ab his, qui sunt undique fideles, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio» [5].

S. *Cyprianus* [6] laudat cathedram Petri «unde unitas sacerdotalis exorta est». S. *Ambrosius* Romanum Pontificem vocat Petrum et ait: «Ubi Petrus, ibi Ecclesia, ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna..., et portae inferi non praevalebunt ei» [7]. S. *Augustinus* post resolutionem Innocentii I in causa Pelagii ait: «Inde etiam (a Sede Apostolica) rescripta venerunt. Causa finita est» [8].*

469. Arg. III. *Ex Conciliis.* Concilium Vaticanum agens *de Romani Pontificis infallibili magisterio,* ad tria concilia generalia, constantinopolitanum scilicet IV, lugdunense II et florentinum provocavit [9], ut constantem Ecclesiae traditionem in hac materia demonstraret [10], et

1 ***Sess.*** 4, c. 4. Denz-Bannw., 1836. His addita voluit unus ex Patribus concilii: «Quae verba (Domini nostri apud Lucam) juxta univçjsalem et perpetuam Ecclesiae traditionem intelligenda sunt de infallibili magisterio Petri et ejus successorum». Cfr. Granderath, ***Const, dogm. S. Concit. Vat.,*** p. 2, c. 3.

2 ***Joan.,*** 21, 15-18.

3 Vide SS. Patrum testimonia apud Schrader, ***De unitate rom.,*** 2, 306 sqq.; Mazzella, ***De Relig. et Eccl.,*** 1056-1070.

4 In vetustis manuscriptis communiter legitur ***potentiorem,*** sed ex incuria librariorum aliquando scriptum est ***pontiorem,*** et inde, expuncta ***n,*** praevaluit in quibusdam lectionibus ***potiorem.***

5 ***Adv. haer.,*** 3, 3; MG 7, 849.

° ***Ep. 55 ad Cornelium,*** c. 14; ML 3, 845.

7 ***In Ps.*** 40, n. 30; ML 14, 1134.

8 ***Serm.*** 131, c. 10; ML 38, 734.

° ***Sess.*** 4, c. 4; Denz-Bannw., 1833 sqq.

10 Lubet haec testimonia breviter hic proferre:

a) Testimonium Concilii Constantinopolitani IV. Agitur de formula ab Hormisda Pontifice pro extinguendo Aeacii schismate olim proposita et ab episcopis orientalibus subscripta. Quam formulam Concilium Cpolitanum IV adoptavit et

gravissimis dein verbis solemnem definitionem emisit his verbis: *Itaque nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem,* cum ex cathedra loquitur, *id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina* de fide vel moribus *instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, anathema sit»*[1].

470. Arg. IV. *Ex Romanorum Pontificum agendi ratione.* Romani Pontifices semper hanc infallibilitatis praerogativam sibi vindicarunt, non solum praeclaris editis documentis, verum etiam haeresum condemnatione et Ecclesiae gubernatione.

a) *Documentis publicis.* Ad rem ait Papa *Zosimus:* «Cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia»[2].

omnibus episcopis, qui ad Photii partes confugerant, subscribendam proposuit, prout sequitur: «Prima salus est rectae fidei regulam custodire, deinde a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare... Et quia non potest D. N. Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu ***es Peints et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,*** haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina». Mansi, 16, 27.

b) Concilium Lugdunense II, cui graeci cum latinis interfuerunt et subscripserunt, haec habet: «Ipsa quoque sancta romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro, apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri». Denz-Bannw., 466.

c) Concilium Florentinum, cui etiam graeci interfuere, ait: «Definimus sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi, in B. Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino N. J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur». Denz-Bannw., 694. In relatione deputationis et in schemate Patribus concilii Vaticani tradito, necnon in altera relatione Brixinensis in Congregatione generali abunde ostenditur allegata trium conciliorum testimonia immediate ac directe referri ad praerogativam infallibilitatis Romani Pontificis. Cfr. Granderath, ***Consi, dogm. SS. Concit. Vat.,*** p. 2, comm. 7.

[1] Sess. 4, c. 4; Denz-Bannw., 1839. His accedunt alia innumera conciliorum generalium et particularium testimonia, quae probant constantem ac non interruptam hac in re Ecclesiae traditionem. Adeat lector, si velit, concilia ***ephesinum*** (Harduin, 1, 1471), ***chalcedonense*** (Harduin, 2, 306 sqq.), ***constantinopolitanum*** III (Harduin, 3, 1078 sqq.), ***nicaenum*** II (Harduin, 4, 102), etc. Conciliorum particularium acta confer apud Aguirre, ***Collectio maxima Cone. Hisp.;*** apud ***Collect. Lac.;*** et apud Manii, ***Collectio maxima Conciliorum.***

[2] ***Ep.*** 12, 1; MI. 20, 676.

S. *Leo:* «Soliditas illius fidei, quae in apostolorum principe est laudata, perpetua est; et, sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit... Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas nec pagana potuerit superare perfidia» h Vide, si lubet, *Gelasii 1, Agathonis* 3, et aliorum Pontificum expressa testimonia.

b) *Haeresum condemnatione.* Quando in Ecclesia haeresis aliqua suborta est, orbis catholici antistites ad Romanum Pontificem causam deferre ab eoque sententiam postulare consueverunt 4, et hic tanquam legitimus controversiarum judex errores semper condemnavit. Sic *Innocentius I* ad petitionem synodi carthaginensis pelagianismum proscripsit 5; *Caelestinus 1* Nestorium ejusque errores ante Concilium Ephesinum postulante S. Cyrillo damnavit 6; *Leo I,* data epistola dogmatica ad Flavianum patriarcham, monophysitismum Eutychetis contrivit 7; *Damasus* Papa Macedonii haeresim 8, *Agatho* monothelismum 9, et alii Pontifices alios errores condemnare non dubitarunt.

c) *Ecclesiae gubernatione.* Romani Pontifices, ut recte ait Concilium Vaticanum, «prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant» 10.11

471. Arg. V. *Ex theologorum unanimi consensu.* Theologi omnes etiam galli, uno vel altero excepto, hanc veritatem suo suffragio firmavere. Hinc S. *Thomas,* omnium magister et princeps, ait: «Dicendum quod nova editio symboli neccessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in *Decretal, extra de Bapt. c. Majores.* Unde et Dominus *Luc.,* 22, 32, Petro dixit: *Ego autem rogavi pro te, ut non dejiciat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae secundum illud *I Cor.,* 1,10: *Idipsutn dicatis omnes, et non sint in vobis schismata,* quod servari non potest, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur» n.

1 *Serm.* 3, cc. 2-3; ML 54, 145.
2 *Tr.* 2, n. 10. *Ep.* 4 seu *Commonitorium;* ML 59, 30.
3 *Ep. ad Augustos Imp.;* ML 87, 1169.
4 Cfr. S. Prosper., *C. Collât.,* c. 21; ML 51, 270 sq.
5 Inter Innoc., ep. 26, n. 1, 3; ML 20, 564; et inter Aug., ep. 181, ŋ. I et 9; ML 33, 780 sq.
6 Cfr. Cyrillus, ep. II; MG 77, 79; et Caelestinus, ep. 13, n. 11; ML 50, 483.
7 Flavianus, ep. 2, inter Leon., ep. 26; ML 54, 745.
8 Cfr. Sozomenus, *H. E.,* 6, 22; MG 67, 1351.
9 Harduin, 3, 1078 sqq.; Denz-Bannw., 291 sq.
10 Sess. 4, c. 4; Denz-Bannw., 1836.
11 *II-II,* q. i, a. 10.

S. Doctorem sequuntur omnes theologi communiter. Cfr. *Banez* [1] S. *Bellarminus* [2], *Suarez* [3] et alii.

Arg. VI. *Ex ratione.* Insignis tribunus *Vazquez de Mella* in sua admirabili oratione habita in comitiis Hispaniae die 12 Nov. 1906 validum ad hoc argumentum petiit et exposuit ex necessitate revelationis conservandae. Dogmata siquidem revelata sunt Ecclesiae concredita, ut integra serventur. Cum autem ratio individualis nequeat esse infallibilis, oportet in Ecclesia esse organon aliquod infallibile, quod revelationem custodiat.

Solvuntur difficultates.

472. Obj. 1.° Epistolae etiam dogmaticae Romanorum Pontificum examini non semel subjectae sunt in conciliis generalibus, ut illa S. Leonis in Concilio Chalcedonensi. Ergo concilia non admittebant infallibilitatem Romani Pontificis. Ita *Dollinger.*

Resp. 1.° Non omnes epistolae Romanorum Pontificum sunt dogmaticae rem ex cathedra definientes, sed quaedam sunt exhortatoriae, infallibilitate carentes.

2° Si agatur de epistolis, quae definitionem ex cathedra continent, possunt multiplici ratione examini subjici: 1) Ut investigetur, an revera sint documenta pontificia et non litterae suppositiae; 2) ut cognoscatur, an contineant definitionem ex cathedra, vel sint tantum exhortatoriae, ut saepe contingere solet; 3) ut sensus earum adipiscatur et instruantur praesentes; 4) ut semel cognitis earum fundamentis, sensu, ambitu, etc., confirmentur sententia Patrum.—Non solum Pontificum epistolae, verum etiam ipsa Scripturarum effata, traditionis documenta et conciliorum praecedentium decisiones examini subjici solent in episcoporum congressibus et in theologorum discussionibus.

Obj. 2.° Plures referuntur Pontificum errores in fide. Sic *Liberius* in causa arianorum formulae haereticae subscripsit; *Vigilias* in causa trium Capitulorum erravit; *Honorius* in monothelitarum errorem prolapsus tanquam haereticus est damnatus in Concilio Cp. III. Ergo.

Resp.—Neg. ant. Casus, qui in probatione referuntur, explicatione indigent.

1) Plures hodierni critici putant factum subscriptionis formulae, quod Liberio tribuitur, figmentum fuisse arianorum, ut catholicos incautos ad suas partes adducerent. Sed, quidquid sit de subscriptione, constat formulam, quae dicitur a Liberio subscripta, posse in sensu catholico explicari. Quatuor quippe fuerunt formulae ei exhibitae Sirmii, quarum secunda dumtaxat erat aperte haeretica. Hanc autem Liberius constanter recusavit, ut docet *Sozomenus* [4]. Addi potest illam subscriptionem non fuisse locutionem seu definitionem ex cathedra [5].

2) Vigilius nunquam fidei catholicae restitit, vel errorem docuit. Damnavit enim semel et iterum *tria Capitula,* quae erant scripta Theodori mopsuesteni, Theodoreti et Ibae erroribus nestorianis referta. Agebatur de condemnatione personarum Theodori, Theodoreti et Ibae, quorum primus ante Concilium Ephesinum et alii duo in pace Ecclesiae obierant. ATgilius, agente praesertim Justiniano imperatore, edidit *Judicatum,* et vulgato *Constituto,* varie mutavit sententiam, semper tamen doctrinam *trium Capitulo-*

1 *In II-II,* q. 1, a. 10.
2 *De Rom. Poni.,* lib. 4, c. 2.
3 *De fide,* disp. 5, sect. 8, n. 4.
4 *H. E.,* lib. 4, c. 15; MG 67, 1149 sq.
6 Cfr Sulpitius, *Sacr. hist.,* lib. 2, c. 39; ML 20, 151; Socrates, 77. *E.,* lib. 2, c. 37; MG 67, 322; Nioophorus, 77. *E.,* lib. 9, c. 35; MG 146, 364; Petavius, *De Triait.,* lib. i, c. 9.

rum rejiciendo. Deinde pacis amore aliquandiu approbare renuit Concilium V (Cp. II), quo tria Capitula damnabantur, sed tandem altero *Constituto* edito *tria Capitula* proscripsit et Synodum V approbavit. Non lapsus in haeresim sed inconstantiae fortasse signum in hoc dedit [1].

3) Celebris effecta est olim causa Honorii, postquam ejus duae epistolae ad Sergium cpolitanum, in quibus unam esse in Christo voluntatem adserebatur, publici juris factae sunt [2]. Sed quidquid sit de genuinitate praefatarum epistolarum et de integritate act. 8, 13 et 18 Concilii VI (Cp. III) [3] in quibus Honorius dicitur fuisse damnatus, tria possunt hic certissime teneri:

1) Honorius nullum docuit errorem in fide.

2) Honorii epistolae non fuerunt definitiones ex cathedra.

3) Honorius non fuit damnatus tanquam haereticus.

1) Honorius nullum docuit errorem in fide. Cum unam voluntatem in Christo adserit, duas voluntates contrarias in Christo reprobare intendit, unam scilicet carnis alteram spiritus, sicut nos habemus post peccatum, ut explicat S. *Maximus** et ex contextu facile conspicitur.

2) Honorii epistolae non fuerunt locutiones ex cathedra. Tum quia Honorius Sergii consultationi quoad voces unius vel duplicis operationis in Christo respondens incidentaliter tantummodo tetigit quaestionem de voluntate Christi; tum quia epistolae non fuerunt debito modo publicatae [5]; tum quia Pontifex epistola secunda silentium commendabat Sergio.

3) Honorius non fuit damnatus tanquam haereticus sed ut negligens. Leo II qui Concilium VI approbaverat haec habet in responso ad imperatorem: «Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, *Theodorum pharanitarum* episcopum, *Cyrum alexandrinunt...* necnon et *Honorium,* qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed persana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est» [6]. Iterum de hoc ad episcopos Hispaniae scribens-addit: «Qui... (Theodorus, Cyrus, etc.) aeterna damnatione multati sunt... cum Honorio qui flammam haeretici dogmatis, non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed *negligendo* confovit» [7]. Idem fere adserit in epistola ad Ervigium regem gothorum in Hispania [8].

473. Scholion I. De auctoritate SS. Congregationum in rebus fidei et morum. Sacrae Congregationes sunt quidam Ecclesiae Romanae Cardinalium coetus a Pontifice pro certis negotiis dirigendis, discutiendis ac per modum judicii decidendis erecti. Singulae Congregationes constant Praefecto, quibusdam Cardinalibus, qui sunt judices, et Secretario; his adjunguntur nonnulli viri docti Consultores. Numerus Congregationum pro temporum et negotiorum necessitatibus modo auctus est modo diminutus [9], sed Pius PP. X multis incommodis obviare cupiens litteris apostolicis *Sapienti Consilio* sub die 29 Junii 1909 datis undecim reliquit Congregationes, nempe: Congregationes S. Officii, Consistorialis, de Disciplina Sacramentorum, Concilii, de Religiosis, de Propaganda Fide, Rituum, Caeremonialis, pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Studiorum, et pro Ecclesia orientali [10].

Tum ex antiquo tum ex moderno jure sola Congregatio S. Officii tutatur

1 Documenta circa hanc quaestionem reperies apud ML 69. p. 60 et p. 177-178

2 Reperiuntur apud Harduin, 3, 1319 et 1351; et Kiroh, ***Enchiridion fontium hist. eccl. ant.,*** 1057 sqq.

3 De hoc enim disputant eruditi.

4 ***Disp. cum Pyrrho;*** MG 91, 329.

5 Latuerunt enim usque ad obitum Honorii et Sergii.

6 Mansi, II, 732.

7 ***Ep. 3 ad Constant. Imp.;*** ML 96, 4x4-419.

8 Cfr. Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. 4, c. 17, § 7, «Alii igitur»; Héfélé, ***Histoire des Conciles,*** liv. 16, ch. 2, § 324.

9 Vide Ferreres, ***Comentario de las SS. Congregationes,*** «Razôn y Fc», 1909.

10 ***Codex Juris Canonici,*** can. 247-257, adsignat negotia in singulis Congregationibus pertractanda.

doctrinam fidei et morum. Hinc, cum agitur de auctoritate Congregationum in rebus fidei et morum, limitatur quaestio ad Congregationem S. Officii. Quaeritur itaque, quam habeat haec Congregatio in rebus fidei et inorum auctoritatem.

Quamvis Romanus Pontifex nemini suam infallibilitatem delegare valeat, ut recte animadvertunt *Palmieri* [1], *Frawelin* [2] et alii, communicat tamen Congregationi S. Officii auctoritatem etiam ordinariam seu permanentem et per modum officii, ut decreta et sententias doctrinales in rebus fidei et morum edere valeat pro universa Ecclesia. Hi Congregationis actus approbatione indigent Romani Pontificis, ut publicentur, qua obtenta, sub formula *Sanctissimus decrevit* promulgantur.

Porro Pontificis approbatio potest esse *communis* vel *solemnis*. *Communis* ita impertitur, ut decretum post approbationem retineat naturam decisionis Congregationis. *Solemnis* est, qua Pontifex *decisiones facit omnino suas,* easque per Constitutionem solemniter publicat.

Non loquimur in praesenti de decisionibus Congregationum, quas Summus Pontifex facit suas, quia haec non jam actus Congregationis sed decreta reputantur Pontificis, et si *ex cathedra* proponantur irreformabiles sunt [3]. Agimus de illis decretis, quae, obtenta Summi Pontificis approbatione *communi,* ceu actus Congregationis vulgari solent.

1) *Sacrae Congregationes non sunt ex se infallibiles; adeoque definitiones, quae a Sancto Officio cum approbatione communi Romani Pontificis prodeunt, non sunt irreformabiles nec locutiones ex cathedra.* Ratio est, quia Romanus Pontifex non valet suam infallibilitatis praerogativam aliis communicare.

2) *Consequenter non tenemur adsensum fidei divinae eis praebere.* Quia non procedunt ab auctoritate infallibili.

3) *Non tamen sufficit silentium obsequiosum, sed decisionibus doctrinalibus S. Officii in rebus fidei et morum, de quibus loquimur, debetur adsensus internus religiosus.* Hoc patet tum ex litteris Pii PP. TX diei 21 Dec. 1863 ad archiepiscopum monachiensem, tum etiam ex ipsa ratione Congregationis, quae supremum in Ecclesia tribunal in materia fidei constituit, et pro doctrina catholica custodienda instituta est.

474. Scholion II. De valore Syllabi. Syllabi nomine venit elenchus propositionum damnatarum octoginta, quas *Em. Card. Antonelli* speciali mandato Pii PP. IX ex allocutionibus consistorialibus, encyclicis aliisque apostolicis litteris ejusdem Pontificis collegit, omnibusque Ecclesiae catholicae episcopis misit.

Nulla est propositionibus singillatim adjuncta censura specialis, sed negari non debet singulas earum talem censuram mereri, quali notatas conspicimus in documento pontificio, a quo desumptae sunt.

Quare ex duplici capite potest auctoritas Syllabi attendi: 1) ex 32 Actis Apostolicae Sedis ex quibus singulae propositiones excerptae sunt; 2) ex nova publicatione et promulgatione vel etiam confirmatione damnationis propositionum in Syllabo.

I) *Ex primo capite* notum est auctoritatem Syllabi eam esse, quam habent 32 Actus Pii PP. IX (9 Nov. 1846-29 Sept. 1864) ex quibus desumptae sunt. Unde Syllabi propositiones, alias a Pio IX damnatae, eadem nunc censura inuri debent qua in respectivis documentis. Quod ea certitudine putamus tenendum, qua Ecclesiam et Romanum Pontificem dicemus infallibiles in proscribendis erroribus et notandis propositionibus censura

1 ***Oe Rom. Pont.,*** p. 632.

2 ***De div. Trad.,*** th. 12, schol. 1, princip. 7, coroll. 2.

3 Cfr. Wilmers, n. 240. Disputant hic theologi, an decreta doctrinalia S. Officii specifice approbata a Summo Pontifice sint decisiones ***ex cathedra.*** Affirmant Bouix, De ***Curia Romana,*** ed. Paris 1859, th. 2, et P. Choupin, ***Études, 5*** Aug. 1907. Negat Frnnzolln, Dr ***div. Trad*** , th 12, princip. 7, cui subscribendum censemus. In decisionibus itaque Congregationis, quas Pontifex facit suas, requiruntur signa locutionis o.v ***cathedra,*** lll irreformabiles sint et adsensum fidei divinae mercantur.

aliqua etiam haeresi inferiori. Ex hac igitur parte potest Syllabus considerari, ut elenchus authenticus propositionum alias damnatarum x.

2) *Ex altero capite* disputatur, an Syllabus sit documentum condemnatorium *ex cathedra* octoginta propositionum. *Nonnulli* renuunt hoc admittere eo quod Syllabus ab Em. Card. Antonelli ad episcopos missus fuerit sine declaratione solemni Pontificis elenchum ex cathedra damnantis. Ita *Rinaldi* 1 et alii, quibus favere videtur *Palmieri* 3. *Alii* censent Syllabum esse documentum noviter damnans propositiones quas refert. Hoc probant i) ex declaratione Mercurelli, secretarii Pii PP. IX, qui die 14 Jan. 1865 scripsit: «errores (Syllabi)... *conjunctim* rursus damnati fuerunt». 2) Quia Pius IX die 17 Jun. 1867 episcopis Romae congregatis dixisse fertur: *Encyclicam* (Quanta cura) *necnon et Syllabum coram vobis nunc confirmo et vobis iterum tanquam regulam docendi propono.* 3) Leo XIII litteris encyclicis 21 Aprilis 1878 ex sua apostolica veritatis Sede confirmatas ac iteratas declaravit omnes condemnationes propositionum a praedecessoribus suis praesertim Pio IX decretas. Ita *Mazzella* 4*et alii non pauci. *Alii* contendunt Syllabum evasisse doctrinam infallibilem ex adhaesione corporis episcoporum. Ita *Wernz* 6. *Alii* denique volunt Syllabum non esse declarationem ex cathedra, sed tantum continere normam authenticam a Romano Pontifice praescriptam, cui se subjicere omnes tenentur. Ita *Pesch* et alii °.

§ 4

Quodnam sit infallibilitatis objectum primarium.

475. Status quaestionis. 1) Infallibilitatis objectum potest esse *primarium* vel *secundarium,* prout veritates a) in se ipsis revelatae fuerunt, ut omnes formaliter revelatae, vel b) ex formaliter revelatis per legitimam consequentiam deducuntur. In praesenti paragrapho de objecto primario, in sequenti de secundario erit sermo.

2) Ut autem titulus penitius explicetur, animadvertendum est depositum fidei seu revelationis, quod S. Scriptura et traditione catholica continetur, absolutum jam fuisse et completum in apostolis7. Hinc Ecclesia novas revelationes non accipit, sed jam alias acceptas diligenter custodit ac fideliter exponit 8. Magisterium igitur infallibile Ecclesiae *pro objecto primario habere dicitur res jidei et morum, quae in depositio catholicae revelationis formaliter explicite vel formaliter implicite continentur 9.*

Dicitur 1.° *Res fidei,* eae saltem quae ad aedificationem doctrinae Christianae spectant. Ex iis enim, quae ad fidem pertinere dicuntur, quaedam *«directa intentione* a Deo inspirante suggesta sunt, quaedam *per concomitantiamr»*10. Ad rem apposite S. *Thomas:* «Fidei objectum

1 Vide Franzelin, ***Études Religieuses,*** Juillet 1889; Rinaldi, ***Il valore del Syllabo,*** 7 sqq. (Roma 1888).

2 ***Il valore del Syllabo,*** 7 sqq.

3 ***Opus theol. mor.;*** Ballerini, t. 2, sect. 1, n. 166 (ed. 2).

4 ***De Rel, et Eccl.,*** n. 1052, not.

3 ***In Decret.*** I, n. 278.

6 ***Inst, propaed.,*** n. 520.

7 Cfr. Concil. Trid., ***sess.*** 4, de canone S. S., Denz-Bannw., 783; et Decret. Pii PP. X, ***Lamentabili sane exitu,*** prop. 21; Denz-Bannw., 2021.

8 Cfr. Concil. Vat., sess. 4, c. 4: Denz-Bannw., 1836.

9 Cfr. Billot, ***De Ecclesia Christi,*** th. 17; «Proinde».

10 Cfr. Billot, ***De Ecclesia Christi,*** th. 17; «Ut autem».

per se est id, per quod homo beatus efficitur... *Per accidens* autem aut secundario se habent ad objectum fidei omnia quae in S. Scriptura divinitus tradita continentur, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai, et alia hujusmodi»[1]. Quae *directe* et *per se* a Deo intenduntur in revelatione, ut sunt dogmata et praecepta moralia, conferunt proculdubio *ad aedificationem doctrinae Christianae,* et pertinent ad objectum primarium magisterii infallibilis Ecclesiae; quae vero ad objectum fidei pertinent *per concomitantiam, per accidens et indirecte,* ut sunt phira adjuncta physica, geographica, genealogica, etc., quae religiosa non sunt, excluduntur a quibusdam, nonnullis reclamantibus, ab objecto primario infallibilis magisterii, quia nihil videntur ad aedificationem doctrinae Christianae conferre. De his ait *Billot:* «Etsi eo modo et sensu, quo fuerunt a Deo inspirata, res fidei dicenda sint, non tamen res fidei facientes ad aedificationem doctrinae Christianae. Unde tandem sequitur non opus fuisse speciali providentia ad incorruptam eorum conservationem in editionibus seu versionibus Scripturae, nec etiam speciali magisterio ad eorumdem propositionem et authenticam interpretationem in populo fidelium» [2]. Idem defendit *Ludovicus de San* [3] et innuere videtur Concilium Vaticanum [4].

Dicitur 2.° *Res fidei et morum* juxta formulam a Concilio Tridentino [5]*consecratam. Distinctio *fidei et morum* quoad revelationem non est realis, ut scite animadvertit *Franzelin* [6], sed *rationis cum fundamento in re;* quia doctrina *fidei* potest esse aliquando moralis, et doctrina *morum* est vicissim quandoque de fide. Praefata itaque verba innuunt objectum primarium magisterii infallibilis esse veritates *fidei* theoricas, quae, revelatae cum sint, credi tantummodo debent, et veritates *morum,* quae, utpote revelatae, et credendae sunt et regulas actuum humanorum in praxim reducendas continent.

Dicitur 3.° *quae in deposito catholicae revelationis... continentur.* Hoc depositum constituitur veritatibus revelatis, quae in S. Scriptura et traditione catholica continentur. Hinc revelationes privatae, quae passim Ecclesiae Sanctis, ut S. Birgittae, S. Catharinae senensi, S. Theresiae, etc., factae sunt, non pertinent ad objectum magisterii infallibilis Ecclesiae. «Innititur fides nostra, ait ad rem S. *Thomas* [7], revelationi

[1] ***II-II,*** q. 2, a. 5. «Ad fidem, ait iterum Angelicus, pertinet aliquid dupliciter: uno modo ***directe,*** sicut ea quae nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse trinum et unum.....***Indirecte*** vero ad fidem pertinent ea ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei, sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanae; ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam». ***I p.,*** q. 32. a. 4.

[2] ***De Ecclesia Christi,*** th. 17; «Ut autem».

[3] ***De divina traditione,*** n. 89.

[4] Sess. 3, c. 2. ***De revelatione.*** Denz-Bannw., 1788. Cave tamen ne dixeris cum nuperis quibusdam scriptoribus inspirationem divinam ad res fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae conferentes restringi. Cfr. Encycl. Leonis XIII ***Providentissimus; Acta S. Sedis,*** 26, 288.

[5] ***Sess.*** 4, ***Decret, de ed. et USU sacr. lib.;*** Denz-Bannw., 786.

[6] ***De Ecclesia Christi,*** th. 5; «In primis», nota.

[7] ***I p*** , q. i, n. 8 ad 2.

prophetis et apostolis factae, qui canonicos libros scripserunt, non vero revelationi, si qua fuit, aliis doctoribus factae» [1].

Dicitur 4.° *jormaliter explicite vel jormaliter implicite continentur;* id est, objectum primarium magisterii infallibilis Ecclesiae est a Deo formaliter sive in propriis terminis sive aequivalenter (ut pars in toto, singulare in universali) revelatum. Unde ea quae juxta superius tradita [2] dicuntur virtualiter revelata, ut conclusiones theologicae per discursum ex principiis deductae, non pertinent ad objectum primarium magisterii infallibilis.

476. Errores, a) Plerique protestantes Ecclesiae infallibilitatem *ad articulos* ut ajunt *fundamentales* restringunt, facta in caeteris unicuique cogitandi libertate.

b) *Giintheriani* cum *Huber* et aliis docuerunt nullum fuisse primitus dogma catholicum nisi incarnationis et redemptionis mysterium; caetera dogmata effectum esse putarunt disquisitionis philosophicae, progredique posse per evolutionem scientificam. Unde magisterii ecclesiastici munus esse dixerunt dogmatum intclligentiam cuivis aetati magis accommodatam et progressu philosophico excultam proponere [3].

c) *Modernistae* docent dogmata catholica esse symbola seu imagines veritatis legibus evolutionis subjectas, ac reformari oportere juxta progressum scientiarum, quando, mutatis infinitis adspectibus veritatis, desinent esse accommodata progressui scientiarum. Consequenter volunt objectum magisterii ecclesiastici esse formulam illam, quae communi conscientiae rectius respondeat [1].

477. Thesis. Objectum primarium magisterii infallibilis Ecclesiae sunt omnes et solae veritates fidei et morum, quae a Deo fuerunt revelatae formaliter explicite vel formaliter implicite.

Pars 1.a Revelata formaliter explicite.

Diximus superius revelata formaliter explicite ea esse, quae Deus in se ipsis et in propriis terminis manifestavit, ut Deum esse trinum.

Arg. I. Concilium Vaticanum ait: «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur» [3].

Arg. II. Eo fine instituit Christus magisterium infallibile in Ecclesia, ut tota revelatio quantum ad res fidei et morum sensu superius explicato et in thesi expresso integre servaretur populoque Christiano traderetur. Ergo res fidei et morum, quae in deposito revelationis formaliter continentur, sunt objectum primarium magisterii infallibilis Ecclesiae [4]. Pleraque documenta quae Christus tradiderat, constant in Scripturis, sed alia plura Spiritu Sancto dictante acceperunt apostoli. *Adhuc,* inquit Christus discipulis, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis por-*

1 Cfr. Salmanticenses, ***De fide,*** disp. I, n. 104 sqq.

2 Vid. ***Proleg.,*** a. 8, § 2.

3 Cfr. Hergenrüther, ***Historia de la Iglesia,*** t. 6, p. 530 sqq. Item Breve Pii PP. IX, ad Arch, colon., 15 Jun. 1857; Denz-Bannw., 1655.

1 Cfr. Encycl. ***Pascendi,*** «Sed modernistarum»; Denz-Bannw., 2093.

3 ***Sess.*** 3, c. 3; Denz-Bannw., 1792. Cfr. ***Codex Juris C.,*** can. 1323, § 1.

3 Cfr. ***Codex,*** can. 1322.

tare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur... De meo accipiet et annuntiabit vobis Horum plura, sive a Christo sive a Spiritu Sancto apostolis dictata, non sunt in sacris libris exarata [1] sed oretenus a majoribus ad posteros transmissa continentur in traditione [3]. Quare Scriptura et traditione completur depositum revelationis, et res fidei et morum, quae in eo formaliter continentur, sunt objectum primarium magisterii infallibilis Ecclesiae.

478. Corollarium. Ex his facile colliges Ecclesiam primario infallibilem esse:

1) In cognoscendo et custodiendo deposito revelationis. Ecclesia infallibiliter discernit et custodit libros divinitus inspiratos, traditiones divinas exponit, atque extensionem propriae infallibilitatis declarat.

2) In componendis symbolis fidei et declarandis dogmatibus catholicis, docendo omnes fideles ea, quae in materia fidei tenere debeant.

3) In legibus moralibus condendis et praeceptis consiliisque evangelicis explicandis. Sic enim regit et gubernat fideles in finem aeternae beatitudinis.

479. Scholion. a) Non opus fuit, ut omnia dogmata a principio explicita magisterii praedicatione palam proponerentur, sed satis fuit, ut ex revelatis ea ab initio populo christiano declararentur, quae veluti substantiam Evangelii et religionis Christi constituebant, et pro illius temporis adjunctis necessaria videbantur, caeteris omnibus in deposito revelationis relictis, quousque eorum clara notitia haberetur et fidelibus foret necessaria. Plura decursu temporis per magisterium authenticum Ecclesiae proponuntur, ut abscondita etiam Scripturarum et traditionis revelatae mysteria eatenus pateant, quatenus ad aedificationem doctrinae Christianae conferre exsistimantur.

b) Quando Ecclesia per infallibile magisterium dogmata definit aut declarat, non augetur vel ditescit depositum revelationis, sed ipsae, quae alias revelatae sunt, veritates in explicita et manifesta praedicatione proponuntur. Definitio enim dogmatica alicujus veritatis nihil aliud est nisi authenticum Ecclesiae testimonium, quo declaratur veritatem aliquam jam olim esse revelatam et in deposito revelationis contineri. Progressus itaque dogmaticus, qui in Ecclesia cernitur, non est *objectivus* in sensu giintherianorum, americanorum, et modernistarum, quasi Ecclesiae definitiones forent novi dogmatis inventiones adjunctis temporum accommodatae, sed *subjectivus* consistens in explicita propositione et declaratione eorum, quae in formaliter revelatis a principio continebantur. Nullam revelationem catholicam accipit Ecclesia, sed ea, quae in Scriptura vel traditione formaliter revelata sunt, declarat, vel quae in dogmatibus alias notis virtualiter continebantur,

1 ***Joan.,*** 16, 12-14.

2 Cfr. ***Joan.,*** 20, 30; 21, 25.

3 «Supernaturalis revelatio, ait Concilium Vaticanum, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta tridentina synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt» Sess. 3, c. 2; Uanz-Bnnnw., 1787.

studio et inquisitione sub adsistentia Spiritus Sancti nanciscitur, et per suum infallibile ac universale magisterium proponit credenda V Unde Giintheri doctrina merito damnata est a Pio IX 1 et Concilio Vaticano 3, necnon modernismus solemniter proscriptus fuit a Pio X 4.

480. Pars 2.a Revelata formaliter implicite.

Ex alibi dictis constat, quae dicantur formaliter implicite a Deo revelata. Sunt illae veritates, quae non in propriis terminis sed aequivalenter a Deo revelata sunt. Sic:

1) In revelatione propositionis universalis revelantur omnes propositiones singulares, ut cum revelatur omnes homines fuisse a Deo redemptos, revelatur pariter Petrum, Paulum, etc., fuisse redemptos.

Juxta hanc regulam formaliter implicite revelata sunt sequentia facta dogmatica: Concilium Vaticanum fuisse oecumenicum, quia continetur sub hac propositione universali: «omnia concilia legitime congregata et a Papa confirmata sunt legitima»; Pium XI esse Summum Ecclesiae Pontificem, quia continetur sub universali: «Omnis homo rite electus ab Ecclesia in successorem Petri est Summus Ecclesiae Pontifex»; Petrum. Paulum et Andream ab Ecclesia canonizatos esse in gloria, quia continetur sub propositione universali: «Omnis homo rite canonizatus ab Ecclesia est in gloria»; Ordines carmelitaruin, jesuitarum, dominicanorum, etc., ab Ecclesia solemniter adprobatos continere rectam regulam morum, quia continetur sub universali propositione: «Omnis doctrina et regula morum ab Ecclesia solemniter adprobata est vera atque honesta».

2) In revelatione cujuslibet propositionis manifestatur ejus contradictorium, quia affirmatio unius est negatio alterius. Unde propositiones, quae contradictorie opponuntur veritatibus fidei, damnantur ab Ecclesia ut haereticae.

3) In revelatione cujuslibet rei definitae implicite revelatur ejus definitio, ut in propositione revelata «Christus est homo» revelatur Christum esse animal rationale.

4) In toto revelato revelantur partes essentiales ejusdem, ut in eadem propositione «Christus est homo» revelatur implicite Christum habere animam rationalem.

1 «Fas est, inquit Vincentius Lirinensis, ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem... Nullusne ergo in Ecclesia habebitur profectus religionis? Habeatur plene et maximus... Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae aetatum ac singulorum gradibus intclligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia». ***Commonit.,*** c. 23: ML 50, 667. Haec Lirinensis verba ad litteram transcripsit Concilium Vaticanum, ***sess.*** 3, C. 4; Denz-Bannw., 1800.

2 Denz-Bannw., 1656.

3 ***Sess.*** 3, ***De fide et rat.,*** can. 3; Denz-Bannw., 1818.

4 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2071 sqq.

Haec omnia certe pertinent ad objectum primarium infallibilitatis Ecclesiae, quia, licet non in propriis terminis, aequivalenter tamen a Deo revelata sunt et depositum revelationis constituunt. Quare, Ecclesia, quae munus accepit a Domino depositum fidei sancte custodiendi et fideliter exponendi, ea infallibiliter declarare valet.

Haec ipsa, ubi ab Ecclesia solemni suo judicio vel ordinario et universali magisterio declarantur a Deo esse revelata, non fide ecclesiastica sed fide divina credenda sunt, quia sunt res fidei et morum a Deo revelatae et ab Ecclesia ad credendum propositae. Unde, adsertiones factis dogmaticis ab Ecclesia approbatis contradictorias, scripta haeretica Arii, Nestorii et aliorum, necnon plures doctrinas veritati revelatae oppositas, damnat Ecclesia sub anathemate, seu eadem formula, qua definiri solent res fidei et morum fide divina credendae.

481. Scholion I. *An Ecclesia sit infallibilis in dijudicandis factis dogmaticis.*

Praenotanda. Factum dogmaticum in genere dicitur quodlibet factum cum dogmate ita connexum, ut necessarium sit ad ipsius dogmatis custodiam, defensionem et applicationem, ut legitimitas Romani Pontificis et conciliorum oecumenicorum, canonizatio sanctorum, authentia librorum sacrorum, etc.

Facta dicuntur esse triplicis generis: 1) *Personalia* seu *particularia* non revelata, ut Titium commisisse tale delictum, Petrum scripsisse hunc librum, etc.; et de his certum est Ecclesiam posse errare, ut diserte docet S. *Thomas* his verbis: «In aliis vero sententiis, quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiae errare» [1]. 2) *Particularia* a Deo formaliter explicite revelata, ut Christum fuisse natum in Bethlehem, Joannem Baptistam decollatum fuisse in carcere, Judam se laqueo suspendisse. Haec sunt formaliter explicite a Deo revelata, et constituunt objectum primarium infallibilitatis Ecclesiae. 3) *Dogmatica,* quae non in terminis sed aequivalenter sunt a Deo revelata, et talem relationem dicunt cum alio dogmate revelato, ut ad ejus conservationem sarta tecta servari debeant. Hujusmodi sunt Concilium Tridentinum oecumenicum esse regulam fidei, Pium XI esse verum Ecclesiae Pontificem, S. Theresiam solemniter ab Ecclesia canonizatam esse in caelo, editionem vulgatam Bibliorum esse Scripturam authenticam, librum *Augustinus* Jansenii continere haeresim.

Difficultas hic movetur, an hujusmodi facta dogmatica constituant objectum infallibilitatis Ecclesiae, et ubi ab Ecclesia definiuntur, sint fide divina et catholica credenda.

Ex una parte certum est depositum revelationis absolutum fuisse morte apostolorum, et ex altera parte novimus nihil ad fidem catholicam pertinere, quod non fuerit a Deo revelatum. Cum hujusmodi facta dogmatica acciderint post mortem apostolorum, quaestio est, quomodo dici possint a Deo revelata et fide catholica credenda.

482. Opinio. Aliqui docent ea non esse a Deo revelata, sed, cum fuerint ad custodiam et defensionem fidei necessaria, esse objectum infallibilitatis Ecclesiae, et postquam definita fuerint, credi oportere *fide ecclesiastica.*

483. Vera doctrina. Nihilominus satius crediderim omnia facta dogmatica esse formaliter implicite a Deo revelata, ut propositiones particulares in propositionibus universalibus conditionalibus, quae secum ferunt conditionem adimpletam.

Unde facta dogmatica, quae retulimus, sequentia implicant argumenta, quorum minor applicat praemissas revelatas in conclusiones:

«Omne Concilium Oecumenicum, id est, si est oecumenicum, est regula

[1] *Quodl.* 9, n. 16

fidei (propositio universalis revelata). Sed Concilium Vaticanum est oecumenicum (propositio naturalis certa applicans et conducens doctrinam majoris in conclusionem). Ergo Concilium Vaticanum est regula fidei (conclusio implicite revelata et objectum infallibilitatis Ecclesiae)».

Item: «Omnis homo rite electus, id est, si est rite electus, ab Ecclesia in successorem Petri est summus Ecclesiae Pontifex (praemissa universalis revelata). Sed Pius XI est rite electus in successorem Petri (minor naturalis certa applicans doctrinam majoris ad conclusionem). Ergo Pius XI est summus Ecclesiae Pontifex (conclusio implicite revelata et objectum infallibilitatis Ecclesiae)» [1].

Item: «Omnes sancti solemniter ab Ecclesia canonizati, id est, si sunt solcmniter ab Ecclesia canonizati, sunt in caelo (praemissa universalis revelata). Sed S. Theresia est solemniter ab Ecclesia canonizata (praemissa naturalis certa applicans doctrinam praemissae revelatae ad conclusionem). Ergo S. Theresia est in caelo» [2].

Ita de caeteris.

Haec cum ita sint, Ecclesia dicenda est infallibilis in dijudicandis factis dogmaticis, ipsaque facta dogmatica, ubi ab Ecclesia definiuntur, credenda sunt fide catholica.

Ratio deducitur ex dictis. Pacta siquidem dogmatica sunt implicite a Deo revelata, et officium depositi fidei custodiendi ac munus docendi fideles, quod accepit Ecclesia, postulat praerogativam infallibilitatis in eisdem dijudicandis.

Praeterea, Ecclesia est infallibilis in determinando objecto sui magisterii; hoc enim ad munus depositi fidei custodiendi pertinet. Sed Ecclesia infallibilitatem sibi vindicat in dijudicandis factis dogmaticis. Ergo.

484. Scholion II. *Casus specialis de libro Jansenii ejusque quinque propositionibus.*

Cum Alexander VII, constitutione *Ad sacram,* a. 1656, declaravit ac definivit quinque celebres propositiones, de quibus multum disputatum est, ex libro Cornelii Jansenii excerptas et sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento fuisse damnatas, jansenistae excogitarunt distinctionem juris et facti, dixeruntque Ecclesiam esse infallibilem in quaestionibus *juris* non in quaestionibus *facti.*

Ut quaestio de factis dogmaticis relate ad quinque propositiones Jansenii radicitus examinetur, quaedam sunt animadvertenda:

1) Sensus ab auctore intentus dupliciter sumi potest: a) *pro sensu subjectivo,* quem forte conceperat auctor, dum librum scribebat, et de hoc non judicat Ecclesia; b) *pro sensu obvio,* quem prae se ferunt verba, et de hoc procedit quaestio.

2) In damnatione libri Jansenii sub duplici adspectu se offert difficultas: a) «An quinque propositiones Jansenii sint haereticales» (quaestio juris). Haec propositio est formaliter implicite a Deo revelata juxta regulam de oppositis, ut omnes catholici et jansenistae concedunt, quia revelata qualibet doctrina, revelatur implicite falsitas propositionis, quae ipsi con-

1 Salmantioenses egregie exponunt hoc argumentum dicentes: «Propositio particularis contenta in universali toti Ecclesiae revelata est immediate de fide, sicut ipsa universalis; sed haec propositio. ***Innocentius XI est Summus Ecclesiae Pontifex,*** continetur in propositione universali toti Ecclesiae revelata; ergo hujusmodi propositio est immediate de fide... Quae continentia declaratur in hoc syllogismo: «Omnis homo rite electus ab Ecclesia in successorem Petri est Summus Ecclesiae Pontifex. Sed Innocentius XI est rite electus ab Ecclesia in successorem Petri: ergo Innocentius XI est Summus Ecclesiae Pontifex... Propositio naturalis, quae subsumitur, est pura explicatio propositionis universalis, et applicatio ejus ad determinatum et particulare subjectum. Unde si semel propositio universalis est immediate de fide, propositio naturalis media qua applicatur, minime impedit, quod propositio particularis, quae habet rationem consequentis, sit etiam immediate de fide». ***De fide,*** disp. 4, n. 33 sqq.

2 Cfr. Marin, ***La evoluciân homogenea del dogma cah'dico,*** n. 255 sqq.

tradictorie opponitur, b) «An hae propositiones inveniantur in libro Jansenii» (quaestio facti).

Jansenistae dixerunt Ecclesiam in dijudicanda quaestione facti non esse infallibilem.

Plures catholici, putantes factura dogmaticum nullatenus esse a Deo revelatum sed esse cum dogmate connexum et ad ejus custodiam necessario declarari oportere, dixerunt Ecclesiam esse infallibilem in judicanda quaestione facti; post declarationem vero Ecclesiae ipsum factum non esse credendum fide divina sed *fide ecclesiastica* '.

Haec tamen resolutio non videtur admittenda. Si enim factum dogmaticum, de quo agitur, non esset a Deo revelatum, et Ecclesiae declarationi circa ipsum esset adhibenda sola fides ecclesiastica, non divina, huic declarationi Ecclesiae contradicere non esset haereticum, imo jansenistae, qui renuebant Ecclesiae doctrinam circa hoc admittere, liberi fuissent a nota haereseos, quia nemo est haereticus, nisi neget veritatem a Deo revelatam. Hinc aliter oportet rem explicare.

Verius ego puto cum cl. *Marin* [1] factum dogmaticum de continentia propositionis *haereticalis* in uno vel alio libro non distingui realiter a quaestione juris de doctrina ipsius propositionis, quia dicere talem propositionem *haereticalem* contineri in tali libro, idem est ac dicere illum librum esse haereticalem.

Ecclesia igitur gaudet infallibilitate in judicio de continentia, non cujuslibet propositionis in genere, sed propositionis *haereticalis* in aliquo libro, quem propter haeresim damnat.

485. Corollarium I. Ecclesia est infallibilis in judicando valore dogmatico propositionum et censuris doctrinalibus cuilibet falsae doctrinae inurendis.

Nota. Ecclesia in exercitio sui muneris solet veram doctrinam approbare et falsam reprobare.

1) Propositio vera a) interdum dicitur esse *de fide,* ut innuatur doctrinam de qua agitur esse revelatam et ab omnibus credendam; b) aliquando vocatur *certa,* ut significetur doctrinam non quidem revelatam sed ex revelatis certe esse deductam, cui opponitur propositio erronea ante definitionem Ecclesiae; c) appellatur non raro *probabilis,* si solidis argumentis nititur.

2) Propositio, quae doctrinae catholicae contradicit, quandoque authentice ab Ecclesia, interdum doctrinaliter a theologis, inuritur seu qualificatur censura vel nota aliqua. Non hic agimus de theologorum censura doctrinali, sed'de authentica Ecclesiae declaratione.

In supremo gradu solus Romanus Pontifex et concilia oecumenica pollent facultate censurandi propositiones, sed in gradu inferiori participant hanc facultatem singuli episcopi, concilia particularia et Congregationes Romanae. Loquimur hic de supremo Ecclesiae magisterio, quod revelatam doctrinam tuetur et explicat, propositionesque revelationi oppositas reprobat ac damnat.

3) Quandoque propositiones singillatim, interdum in globo seu elencho, una vel pluribus censuris inuruntur «ita ut, ait Franzelin, nulla esset propositio, cui aliqua ex enumeratis notis non conveniret, et nulla posita esset nota, quae ad aliquam ex his propositionibus non pertineret» [3].

Recensentur et breviter explicantur censurae.

1) *Haeretica* est, quae directe opponitur veritati a Deo revelatae et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio propositae, v. gr., *Christus, Dei Filius, non est consubstantialis Patri.*

2) *Haeresi proxima* dicitur propositio opposita doctrinae, quae communi fere consensu censetur revelata, esto nondum fuerit ab Ecclesia ut talis declarata.

3) *Sapiens haeresim* cujus verba, materia, locus, tempus, etc., «dant

1 Cfr. Marin, ***La evoluMn homogônea,*** η. 257.

2 ***La evoluciôn homogi'nea, η.*** 264.

3 ***De tradition»,*** th. 12, schol. 2.

ansam timendi, ut ait *Lugo,* ne lateat haeresis» *. Quod si vehemens adsit motivum suspicandi propter personam loquentis et alias circumstantias, dicitur *sapiens haeresim;* ut *fides justificat* absolute prolata ab auctore suspecto post tempora Lutheri; si indicium haeresis fuerit minus grave, ut plerumque accidit in propositionibus aequivocis, vocatur *suspecta de haeresi;* ut *Christus est minor Patre.*

4) *Erronea* appellatur, «quae immediate et evidenter opponitur veritati a Deo revelatae mediate et secundario; sive quae immediate et evidenter adversatur conclusioni theologicae (ante definitionem Ecclesiae), ut haec propositio: *Christus non est risibilis».* Ita *Salmanticenses* cum S. Thoma, *Banez,* etc. [1].

5) *Errori proxima, errorem sapiens et de errore suspecta* dicuntur, quae ob aliqua indicia vel circumstantias personae, loci, vocum, etc., praebent motivum suspicionis de errore, vel, ut alii explicant, opponuntur veritati deductae ex principiis fidei per consequentiam non evidentem metaphysice sed certam moraliter; v. gr.: *Parvulis in baptismo non infunditur gratia intrinsece inhaerens* [3].

6) *Temeraria* est, quae in rebus fidei et morum recedit sine fundamento a communi sententia Patrum et theologorum; v. gr., *B. V. Maria non fuit anima et corpore in caelum adsumpta* [4]*

7) *Scandalosa,* quae in materia morum praebet proximo occasionem ruinae spiritualis, ut illa incredulorum adsertio: *Ex sacramentorum frequenti receptione plura sequuntur mala.* Vix ab ea differt *periculosa.*

8) *Piarum aurium offensiva* est, quae verum quidem enuntiat, sed taceri oportet ob dignitatem subjecti, de quo agitur, vel ob reverentiam ad sancta; ut *Magdalena meretrix, ora pro nobis.*

9) *Male sonans* dicitur, quae verum sensum verbis non congruis exprimit.

10) *Blasphema* seu *impia, schismatico* seu *seditiosa, injuriosa, athea, judaica, pagana* et aliae, si quae sint, ex terminis patent.

Statuimus in thesi magisterium Ecclesiae tum in yalore dogmatico tum in falsis propositionibus censurandis esse infallibile.

Hoc patet ex Concilio Vaticano quod ait: *Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam* (Coloss. 2,8). *Quapropter omnes Christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino* [6].

Codex Juris Canonici ad rem: «Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae hujusmodi opiniones a S. Sede proscriptae et prohibitae sunt» [°].

Ratio est, quia custodia depositi revelationis a Christo Domino Ecclesiae commissa requirit infallibilitatem tum in declarando valore dogmatico verae doctrinae, tum in respuendis propositionibus, quae vel dogmati contradicunt vel animos fidelium pervertunt.

[1] ***De fide,*** disp. 20, sect. 3, n. 88.

[2] Salmanticenses, ***De fide,*** disp. 9, n. 48; S. Thomas, ***II-II,*** q. 11, a. 2; Banez, ***in II-II,*** q. xi, a. 2; «Nihilominus».

[3] Salmanticenses, ***De fide,*** disp. 9, n. 49.

[4]* Nonnulli, ut Suarez, ***De fide,*** disp. 19, sect. 2, n. 20; Groot, ***Summa Apol.,*** q. 10, a. 5, et alii temerariam vocant illam etiam propositionem, quae sine ullo fundamento et sine suffragio Patrum et theologorum aliquid affirmat; v. gr., ***finale mundi judicium post centum annos immediate erit.*** Sed has propositiones magis improbabiles dixeris.

[5] ***Sess.*** 3, c. 4; Denz-Bannw., 1798.

[6] Can. 1324.

486. Corollarium II. Ecclesia ita est infallibilis in legibus disciplinaribus pro universa Ecclesia condendis, ut nihil unquam statuat, quod rectae fidei vel bonis moribus contradicat.

Nota. Disciplina ecclesiastica vocatur *illa legislatio* seu *legum collectio, quibus homines ad Deum recte colendum et ad vitam Christianam bene instituendam ordinantur.* Decreta igitur disciplinaria sunt leges humanae, subordinatae tamen legi Dei naturali et positivae.

Ut Ecclesiae infallibilitas in his legibus condendis patefiat et certa ab incertis secernantur, tria sunt observanda, i) Decreta disciplinaria quandoque sunt *generalia* pro universa Ecclesia, interdum *particularia* pro Ecclesia particulari dioecesis, provinciae, etc. Hic solummodo agitur de decretis generalibus; quae pro universo fidelium coetu feruntur. 2) Haec decreta possunt diversos habere gradus perfectionis. Minime intendimus probare Ecclesiae leges disciplinares esse omnium, quae excogitari possunt, perfectissimas, adeo ut omnes semper attingant summum perfectionis gradum, sed tantum affirmamus leges disciplinares, quotquot a potestate legitima conditae sunt pro Ecclesia universali, semper cum fide et bonis moribus cohaerere. 3) Leges disciplinares, quantumvis universales et fidei moribusque accommodatae, possunt ab eadem auctoritate a qua editae sunt, mutatis circumstantiis temporumque adjunctis, quandoque mutari; sed semper verum erit Ecclesiam omnia juxta fidem et bonos mores statuisse.

Arg. a) Ostensum est superius Ecclesiam infallibilitate gaudere in his, quae ad fidem et mores spectant, vel ad eorum conservationem necessario requiruntur. Sed leges disciplinares, quae ad Deum colendum et vitam Christianam recte instituendam pro universa Ecclesia praescribuntur, implicite in materia morum revelantur, et sunt necessariae ad fidem bonosque mores conservandos. Ergo. Hinc apostoli, cum legem disciplinarem condiderunt prohibitionis *suffocati, sanguinis* et *idolothytorum,* adsistentiam Spiritus Sancti experti sunt: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* 1. b) Concilium Tridentinum anathemate punit eos, qui receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus... aut contemni aut pro lubito omitti posse docent 3. Jure igitur ait S. *Thomas,* quod «Ecclesiae consuetudo... errare non potest, utpote a Spiritu Sancto instructa» 4.

487. Corollarium III. Ecclesia est infallibilis in solemn! canonizatione sanctorum.

Nota. 1) Canonizatio est *ultima ac definitiva Ecclesiae sententia, qua declaratur aliquem defunctum sanctitate floruisse, gloriam caelestem adeptum esse, et tanquam exemplar atque patronum a fidelibus invocandum et colendum esse.* Consequenter possunt ejus imagines radiis depingi, reliquiae publice venerari, in ejus honorem templa erigi, sacrificia offerri, horae canonicae recitari, etc.

2) Canonizationem inter et beatificationem plures sunt differentiae: 1.a praecipua et essentialis consistit, ut ait *Benedictus XIV,* «in extrema et definitiva de sanctitate sententia, cultum aliis sanctis debitum in universali Ecclesia per canonizationem non per beatificationem praecipiente» 5. 2.a Canonizatio est sententia *praeceptiva,* beatificatio *pertnissiva.* Unde Romani Pontifices in canonizatione ajunt: *definimus, decernimus, mandamus,* etcetera; in beatificatione; *indulgemus, concedimus,* etc. 3.a Sanctis in universa Ecclesia defertur cultus; beatis autem in una provincia, ordine religioso, etc.

3) Diximus in *solemni canonizatione sanctorum,* ut innueremus non eamdem normam super hac re semper observatam fuisse in Ecclesia. Usus obtinuit a primis saeculis, ut sancti ad altarium honores eveherentur absque formali examine et processu. Martyres, quorum acta fuerunt ab episcopo

1 *Act.,* 15, 28.
3 *Sess.* 7, can. 13 de sacram.; Denz-Bannw., 856.
3 Cfr. Pistoriensium prop. 78 a Pio V! damnatam; Denz-Bannw., 1578.
4 *HI P·.* ·| 83, a. 5, «Sed contra».
6 *De beatificat, et canonisât. SS.,* lib. 1, c. 39 sqq.

adprobata *(Vindicatio martyrum),* invocari coeperunt a fidelibus. Hic martyrum cultus, consentientibus episcopis et Romano Pontifice, in universam Ecclesiam paulatim extensus est *(canonizatio aequipollens).* Quod de sanctis martyribus primum actum est, tractu temporis—a saeculo saltem iv—de confessoribus insignioribus de consensu episcoporum factum esse referunt historiae. Solemnis canonizatio, praemisso examine et processu circa virtutes heroicas et miracula patrata, sicut hodie fit, inducta dicitur saeculo x J. Alexander III saeculo xn tum canonizationem tum servorum Dei beatificationem soli Romano Pontifici reservavit. Consulendi sunt canones 2125-2141.

De sola hic solemni sanctorum canonizatione saeculo x introducta agimus.

488. Theologorum placita, a) *Nonnulli* absolute negaverunt et negant Ecclesiam esse infallibilem in solemni canonizatione sanctorum, imo et autumant aliquando de facto errasse. Ita *Launoyl* et alii hodierni increduli ac protestantes.

b) *Alii* censent nostram thesim esse certam de fide. Ita *Valentia* [2]*, *Arriaga* *, etc.

c) *Alii* denique arbitrantur thesim a nobis enuntiatam esse theologice certam, non tamen de fide, atque idcirco, qui eam negaret, non fore *haereticum* sed *temerarium* et *scandalosum.* Ita *Cano* [5], *Salmanticenses* [6], *Suarez* [7], *Joannes a S. Thoma* [8], *Benedictus XIV* [9] [10] et alii. Hanc opinionem certo tenet S. *Thomas* cum ait: «Quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est [11], quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit». «Divina providentia, ait ad 2.[um], praeservat Ecclesiam, ne in talibus (in rebus fidei et canonizatione SS.) per fallibile testimonium fallatur» [12].

489. a) Solemnis canonizatio ad communem doctrinam morum spectat, et implicite revelata est sanctitas eorum, qui canonizantur, quia sancti canonizati honorandi sunt atque imitandi a fidelibus ut exemplaria sanctitatis. Ergo Ecclesia in solemni canonizatione sanctorum est infallibilis. «In Ecclesia, ait apposite S. *Thomas,* non potest esse error damnabilis. Sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tanquam sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata ejus crederent hoc esse falsum; et, si ita contigerit, possent ad errorem perduci. Ergo Ecclesia in talibus errare non potest» [12] [13].

b) Solemnis canonizatio sanctorum est declaratio veritatis implicite revelatae; quia, sicut apposite ait S. *Thomas,* «honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus» [13].

1 S. Udalricus fuit juxta bollandistas, ***Propyl. Maji diss.*** 20, primus a. 993 solemniter canonizatus.

2 ***Opera*** 1 (ed. Colon. All. 1731).

3 ***II-II,*** disp. I, q. 1, p. 7, § 41.

4 ***De fide,*** disp. 9, sect. 2, n. 27.

5 ***De locis,*** lib. 5, c. 5.

6 ***De fide,*** disp. 4, n. 46.

7 ***De fide,*** disp. 5, sect. 8, n. 8.

8 ***De fide,*** disp. 9, a. 2.

9 ***De canonizat. SS.,*** lib. i, c. 43.

10 Particula ***pie*** non infirmat vim adsertionis sed innuit diversum gradum certitudinis, quam habemus de infallibilitate Ecclesiae in rebus fidei et in canonizatione sanctorum.

11 ***Quodlib. 9,*** a. 16.

12 ***Quodlib.*** 9, a. 16, «Sed contra».

13 ***Quodlib.*** 9, a. 16. In actis canonizationis S. Didaci haec habentur ad rem.

490. Objicies. In martyrologio romano, quod est authenticus sanctorum catalogus, interdum reperiuntur qui immerito in sanctorum numerum relati sunt.

Resp. Inscriptio in martyrologio non est canonizatio sed relatio eorum, qui vel beatorum aut sanctorum numero adscript! sunt, vel virtutibus florentes aliquem in Ecclesia adepti sunt honorem. Hinc omnes quidem sancti solemniter canonizati in martyrologio inscribuntur, sed non omnes in eo descripti sunt solemniter canonizati. Quare S. R. Congr. quandoque martyrologium emendandum curavitl.

491. Scholion. Nonnulli arbitrantur Ecclesiam esse pariter infallibilem in beatificatione servorum Dei, eo quod permittit beatis defferre cultum et honorem et ab eis opem petere, quod certe foret inconveniens, si quando beatus aeternis afficeretur cruciatibus 2. Longe tamen communior est sententia negativa, quia in beatificatione servorum Dei non datur Ecclesiae judicium definitivum, nec cultus praescribitur sed permittitur beatis dare.

492. Corollarium IV. Ecclesia est infallibilis in ordinibus religiosis definitive adprobandis.

Nota. Ordo religiosus definitur: *societas seu coetus quorumdam ad perfectionem per tria vota obedientiae, castitatis et paupertatis sub certa institutorum forma tendentium ab Ecclesia adprobatus.* Tria, ut vides, in quolibet ordine religioso sunt consideranda, r) *Essentia,* quae in tribus votis obedientiae, castitatis et paupertatis consistit; et in qua omnes ordines conveniunt divinamque agnoscunt institutionem. 2) *Certa institutorum forma,* quae ex regula et constitutionibus propriis enascitur; ex hoc capite oritur in Ecclesia varietas ordinum religiosorum, in quibus diversa sanctificationis media praescribuntur. 3) *Ecclesiae adprobatio,* non quoad vota essentialia, quae a Christo adprobata sunt, sed quoad compaginem ipsius instituti, finem, quem sibi proponit et regulam atque leges, quibus se gubernat.

Haec adprobatio, ubi praesertim de institutis votorum simplicium agitur, potest esse quadruplex: a) *Litterae* dantur fundatoribus, quibus scopus seu finis instituti laudatur, b) *Decretum laudis* quo ipsum institutum amplissimis verbis laudatur atque commendatur, c) *Adprobatio* constitutionum ad tempus, d) *Adprobatio* constitutionum definitiva, qua ordo solemniter adprobatus censetur 3. De adprobatione definitiva solummodo hic agimus

Solemnis et definitiva Ecclesiae adprobatio potest circa duo versari: a) *Circa doctrinam et honestatem* talis ordinis, b) *Circa opportunitatem* hic et nunc istius ordinis, an scilicet expediat in determinatis circumstantiis hunc ordinem admitti.

An Ecclesia sit infallibilis quoad judicium de opportunitate hic et nunc alicujus ordinis, controvertitur inter theologos. Affirmativam sententiam tenet *Valentia* 5, quam *Suarez* 6 magis piam vocat. Alii tamen cum *Cano* 7, *Banez* 8, etc., renuunt id admittere.

«Demonstravit (Sixtus V concione habita in Consistorio) et sacris litteris et rationibus ex interna theologia depromptis omnique argumentorum genere Romanum Pontificem, verum successorem B. Petri, apostolorum principis, pro quo oravit Dominus, ***ne ejus fides deficeret,*** eumdemque verum caput Ecclesiae, quae est firmamentum et columna veritatis, quaeque a Spiritu Sancto regitur et gubernatur, in sanctorum canonizatione errare et falli non posse».

1 Cfr. Benedictus XIV, l. c., lib. i, c. 43, nn. 13-14; et Laemmer, ***De Martyrologio Romano.***

2 Cfr. Benedictus XIV, ***De canonizat. SS.,*** lib. I, c. 42, n. 10.

3 Cfr. Santi, ***Praelectiones jur. can.,*** 3, 36, n. 3; ***Normae,*** nn. 1-5.

4 Episcopi hodie nequeunt adprobare instituta religiosa, nisi obtenta facultate a S. Sede. Motu prop. ***Dei providentis*** Pii PP. X, 16 Julii 1906; ***Acta S. Sedis,*** vol. 39, p. 344-

5 ***De fide,*** disp. 1, p. 7, § 41.

6 ***De religione, De statu perf.,*** lib. 2, c. 17, n. 22.

7 ***De locis,*** lib. 5, c. 5, in fine.

8 ***U-II,*** q. 1, a. 10, dubitatur 8.

Sensus corollarii propositi est Ecclesiam esse infallibilem in definitivo judicio et solemni adprobatione doctrinae atque honestatis ordinum religiosorum.

a) Luculentum argumentum hujus doctrinae petitur ex ipsa declaratione Ecclesiae, quae in ordinibus religiosis adprobandis hac formula communiter uti consuevit: «Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae adprobationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum».

b) Judicium definitivum et doctrinale de honestate vitae ordinum religiosorum pertinet ad doctrinam morum, quia ordo religiosus per definitivam Ecclesiae adprobationem authentice proponitur et commendatur universis fidelibus tanquam semita tutissima nedum ad rectitudinem vitae honestatemque morum adipiscendam, verum etiam ad acquirendam perfectionem animae. Ergo judicium definitivum Ecclesiae de honestate ordinum religiosorum est infallibile.

§ 5

Ad quae secundario se extendat injallibilitas Ecclesiae.

493. Status quaestionis. Objectum secundarium infallibilitatis Ecclesiae illud esse diximus, quod in se quidem revelatum non est, bene tamen in alio, id est, in formaliter revelatis virtualiter, tanquam proprietas metaphysica in essentia, continetur, et ex eis per legitimam consequentiam deducitur. Hujusmodi sunt plures veritates, quae in deposito revelationis virtualiter inclusive continentur.

Quaeritur in praesenti, an hujusmodi veritates constituant objectum secundarium infallibilitatis Ecclesiae, ita ut judicium Ecclesiae de his rebus sit semper infallibile.

494. Thesis I. Ecclesia est infallibilis in defendendis et exponendis veritatibus, quae non in se sed in alio virtualiter inclusive continentur et revelatae sunt.

Arg. I. Christus Dominus contulit Ecclesiae magisterium infallibile, ut depositum revelationis plene custodiret ac rite exponeret. Sed infallibile magisterium ad custodiendum depositum revelationis supponit in subjecto infallibilitatem in cognoscendis veritatibus, de quibus agimus. Ergo simul contulit ei infallibilitatem in his cognoscendis et discernendis veritatibus, quae, licet in se revelatae non sint, ex revelatis tamen tanquam eorum proprietates metaphysicae legitime deducuntur. Hinc potest Ecclesia declarare in *theologia* Christum risibilem esse; in *philosophia* nos animam rationalem habere, sine qua credere non possumus, in *philologia* determinata verba hunc vel alium sensum habere, sicut fecisse novimus tempore arianorum cum verbo ομοοσιον; in *politica* relationes inter Ecclesiam et statum determinare, ut jura et praerogativae Ecclesiae sarta tecta serventur; et alia id genus plura.

Arg. II. Concilium Vaticanum paraverat schema *De Const, dogm. de Ecclesia Christi* in quo haec leguntur; «Objectum infallibilitatis tantum patere docemus, quantum fidei patet depositum et ejus custodiendi officium postulat; adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Christi

Ecclesia pollet, ambitu suo complecti tum universum Dei verbum revelatum, tum id omne quod, licet in se revelatum non sit, est tamen ejusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo ac definitive ad credendum proponi et explicari aut contra errores hominum ac falsi nominis scientiae oppositiones valide adseri defendique non possit». «Si quis dixerit Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendi, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur, a. s.» x.

Ea autem, quae in se, sive explicite sive implicite, revelatae non sunt, sed oportet integre servari, ne depositum revelationis corrumpatur, sunt virtualiter inclusive revelata, id est, sunt proprietates essentiales veritatis revelatae, quibus negatis, periclitaretur ipsa veritas revelata. Unde magisterium Ecclesiae est infallibile in his veritatibus declarandis.

«Haec infallibilitatis extensio, ait *Franzelin,* omnibus theologis consentientibus, veritas est theologica ita certa, ut ejus negatio error esset gravissimus vel ex plurium sententia etiam haeresis, quamvis hactenus explicite hereseos damnata non sit» 1.

495. Corollarium. Ex his facile deducitur Ecclesiam esse infallibilem in declarandis conclusionibus theologicis.

Arg. Objectum infallibilitatis Ecclesiae tantum patet, juxta schema Concilii Vaticani, quantum depositi fidei custodiendi officium postulat. Sed officium depositi fidei custodiendi postulat infallibilitatem circa conclusiones theologicas. Ergo. Veritatem sane revelatam, quae in praemissa est, Ecclesia defendere ac custodire non posset, si cuilibet foret libertas negandi conclusiones theologicas atque ex eis negatis insurgendi contra praemissas, in quibus illae continentur. «Ratio... connexi, ait *Cano,* cum concesseris superius, cogit inferius concedere, et quum inferius negaris, superius item negare cogit» 3.

Huic doctrinae consonant, quae *Leo XIII* docet his verbis: *judicare posse Pontifex pro auctoritate debet, quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepent,... quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae causa, necesse sit; aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset* 4.

§ 6

Utrum Ecclesia sii supremus et infallibilis judex controversiarum fidei.

496. Status quaestionis. Veritates revelatae continentur, sicut dictum est, in S. Scriptura et Traditione; quia tamen aliquando sensus

1 ***Const, dog. de Ecclesia Christi, c.*** 9, et can. 9. Cfr. ***Coll. Lac.,*** vol. 7, p. 570 et 577.

2 ***De traditione,*** th. 12, sch. 1, prine. 4.

3 ***De locis theol.,*** lib. 12, c. 6; «Primus earuin».

4 Encycl. ***Sapientiae christianae,*** 10 Jan. 1890. ***Acta S. Sedis,*** vol. 22, 395.

revelationis obscurus est, magnae nonnunquam controversiae in rebus fidei exoriuntur, quas dirimi oportet, ne unitas fidei in discrimen adducatur. Sicut porro in qualibet humana societate praeficitur supremus quidam judex, cui ultimo deferuntur causae dirimendae, ita potiori jure requiritur in Ecclesia supremus judex—et quidem infallibilis sicut Ecclesiae constitutionem et fidei firmitatem decet—ut controversias, quae in rebus fidei exoriuntur, decidere valeat et fidei unitatem servare. Quis ille sit et qua polleat auctoritate, venit hic investigandum.

497. Errores, a) *Faustus Socinus* saeculo xvi ejusque dein sequaces dixerunt solam rationem esse arbitrum controversiarum fidei b Hodierni quoque *increduli, deistae* et *rationalistae* huic doctrinae facile subscribunt dicentes *disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum adsertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri... possint* 1.

b) *Lutherani* et *calvinistae* exsistimant S. Scripturam esse judicem controversiarum fidei. Sensus S. Scripturae adipiscitur juxta veteres protestantes per afflatum Spiritus Sancti in singulos homines, juxta recentiores per instinctum et naturalem sensum religiosum, quem quisque experitur 3.

c) *Anglicani* concedunt quidem Ecclesiae auctoritatem quamdam speculativam in controversiis fidei4;* sed in praxi singulis hominibus tribuunt facultatem inquirendi et interpretandi sensum S. Scripturae.

d) *Puseystae* spectant aliquando fore, ut Ecclesia tribus communionibus romana, anglicana et graeco-schismatica constituatur, et tunc Ecclesiae concessum iri auctoritatem dirimendi controversias fidei.

e) Plures ecclesiae schismaticae, puta ruthena, hellenica, etc., sanctae synodo vel etiam principi saeculari tribuunt facultatem definiendi controversias doctrinae.

498. Thesis. Sola Ecclesia catholica est supremus ac infallibilis judex controversiarum fidei.

Arg. I. Auctoritas dirimendi causas controversas consequitur potestatem docendi. Christus autem Ecclesiae contulit potestatem docendi. Nam, ut ait Apostolus, datum est Ecclesiae *evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*&. Unde cum Hierosolymis contentio orta esset de legis mosaicae observantia, fideles rogaverunt apostolos, ut controversiam definirent.

Arg. II. Unitatis fidei conservandae causa instituit Christus in terris aliquem judicem controversiarum fidei. Hic autem non est ratio naturalis, nec S. Scriptura, nec Ecclesia tribus communionibus constituta, nec status aut princeps aliquis saecularis. Ergo sola Ecclesia catholica. Probo minor, per partes.

a) *Non est ratio naturalis,* quia veritates revelatae superant plerumque captum humanae rationis.

1 Cfr. Socini *Catechismus,* Racov. a. 1609. Hergenrother, *Historia de la Iglesia, t. 5,* p. 299.

2 Cfr. Concil. Vat., *sess.* 3. *De fide et ratione,* can. 2; Denz-Bannw., 1817.

3 Cfr. quae diximus, q. 4, a. 2.

4 Art. 20 ex 39 art. quibus subscribere tenentur omnes ministri ecclesiae anglicanae.

° *Ephes.,* 3, 8-10.

b) *Non est S. Scriptura juxta ajjlatwn Spiritus Sancti,* quia a) hic afflatus Spiritus Sancti gratis supponitur, et β) si daretur, omnes eodem modo doctrinas fidei interpretarentur.

c) *Non est S. Scriptura interpretata juxta instinctum et naturalem sensum religiosum,* quia a) non datur talis instinctus et naturalis sensus religiosus ad cognoscendum sensum doctrinae fidei; et β) si daretur, nequiret, utpote naturalis, sensum fidei supernaturalis declarare.

d) *Non est Ecclesia tribus communionibus constituta,* quia judex controversiarum fidei debet esse certus et minime sibi contradictorius. Communiones autem romana, anglicana et graeco-schismatica in rebus fidei maxime inter se pugnant.

e) *Nec est denique status aut princeps aliquis saecularis,* quia status quandoque et principes saeculares athei sunt, infideles, haeretici, et schismatici, quibus unitatem fidei servandae atque dirimendarum controversiarum fidei auctoritatem conferre nefas est.

499. Obj. S. Petrus [1] hortatur fideles, ut sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem.* Ergo singuli fideles sunt judices doctrinarum et controversiarum fidei.

Resp.—Neg. conseq. S. Petrus non agit in textu allato de dirimendis controversiis, sed hortatur universos fideles, ut ita sanctificentur gratia Jesu ChriSti et instruantur doctrina fidei sub magisterio Ecclesiae, ut possint omni rationem poscenti satisfactionem reddere.

ARTICULUS IV

DE POTESTATE REGIMINIS

500. Potestas jurisdictionis amplectitur, sicut diximus, potestatem magisterii et regiminis. Explicata jam potestate magisterii, restat, ut de potestate regiminis agamus.

§ 1

Utrum Christus contulerit Ecclesiae potestatem jurisdictionis liberam et a principum auctoritate independentem.

501. Errores, a) *Novatores* saeculi xvi, *waldensium, Marsilii Patavini, Wicleffi, Joannis Hus* aliorumque errores renovantes, dixerunt Christum vel nullam Ecclesiae suae potestatem jurisdictionis contulisse, vel, si contulit, ad tempus concessisse, et quaecumque externe nunc aguntur, ad forum caesaris, nullatenus ad Ecclesiae jus, pertinere [2].

b) *Alii* docuerunt jurisdictionem non a Christo sed a principibus laicis esse Ecclesiae collatam, et a potestate civili essentialiter dependere. Ita *M. Antonius de Dominis, Edmundus Richer, Febronius, pistorienses, Van Espen, gallicani* plures, etc.

c) Huic theoriae facile subscribunt nuperi statistae, qui Machiavellum sequuti docent potestatem religiosam qua politiale instrumentum esse necessariam, ut pauperum erga divites invidiam refrenet, sed ab auctoritate

[1] ***I Petri,*** 3, 15.

[2] Cfr. Lutlierun, ***Lib. dc captiv. babyl.,*** c. ‹le baptismo; «Dico itaque».

civili adeo dependere, ut doctrinae, dogmata et actus religionis debeant semper sub Status inspectione contineri *. Diversi tamen diversimode hanc theoriam exponunt, *a) Aliqui* contendunt Ecclesiam non esse *Statum* seu societatem perfectam, sed *Collegium,* quod societati civili subordinatur, et qua tale potestate jurisdictionis caret. Ita *Pufendorffius, Pfaffius, Mosheim, J. Boehmer* et alii non pauci 1. *b) Alii* concedunt quidem Ecclesiam habere rationem Status et aliquam potestatem jurisdictionis, sed hanc potestatem volunt a Statu civili dependere. Ita liberales absoluti, quorum lemma est *Ecclesia serva sub Statu libero, c)* Liberales denique moderati dicunt Statum et Ecclesiam ita esse potestates independentes, ut Statui conveniant quaedam praerogativae, ut invisendi Ecclesiae documenta, etc., quae jura ecclesiastica valde coarctant et practice principum auctoritati subordinant.

502. Thesis. Christus Ecclesiae suae contulit potestatem jurisdictionis fori externi liberam et ab omni humana auctoritate independentem.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus ait Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* 3. Eadem fere verba repetens deinde collegio apostolico addidit: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus... Quaecumque alligaveritis*4, etc. Nomine autem *clavium regni caelorum* potestatem jurisdictionis a qualibet societate civili independentem imo ad successores transmittendam hic intelligi communiter tenent commentatores5.

Arg. II. *Ex Ecclesiae documentis,* a) *Pius VI* per bullam *Auctorem fidei* damnavit ut hareticam pistoriensium propositionem tertiam, qua docebatur *potestatem Ecclesiae a communitate fidelium in pastores derivari.* b) *Pius IX* damnavit in Syllabo propositionem 19: *Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus furibus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat*°. c) Ipse Pontifex in encyclica *Quanta cura* damnavit propositionem, quae dicebat *ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis,* d) Concilium Vaticanum declaravit Christum Dominum B. Petro, apostolorum Principi, immediate contulisse *Primatum jurisdictionis* super universam Ecclesiam, in eoque habere perpetuos successores, Romanos Pontifices, cum plena et suprema potestate jurisdictionis in universam Ecclesiam, in iis etiam, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae

1 Hujus theoriae rationem esse volunt politici, quia Status est proprietarius et dominus territorii in quo conscientiae communicantur, et sicut nemo potest sine domini licentia fundum occupare, ita nec Ecclesia actus publicos religionis in Status territorio exercere. Cfr. Taine, ***Origines de la France contemporaine,*** t. ult. Haec et alia similia dicta sunt paucis abhinc annis in comitiis deputatorum Galliae.

2 Cfr. Zigliara, ***Propaedeulica,*** c. 67, 4.

3 ***Matth.,*** 16, 19.

4 ***Matth., 18,*** 17-18.

5 Cfr. Knabenbauor, in ***Matth.,*** 16, 19; et 18, 18.

° Cfr. Prop. 20, 24 et 25, ejusdem Syllabi; Denz-Bannw., 1720 sqq.

spectant e) *Leo XIII* in encyclica *Immortale Dei* haec habet: *Christus apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, judicandi puniendique potestate*[1].

Arg. III. Ecclesia est societas 1) *perfecta,* cui scilicet praestitutus est finis proprius, mediaque praesto sunt ad hunc finem adipiscendum idonea, et 2) *suprema,* nulli alteri societati directe vel indirecte subordinata. Sed societati perfectae ac supremae auctoritas perfecta et in suo ordine independens convenit. Ergo Ecclesia habet potestatem regiminis liberam et ab omni humana auctoritate independentem.

Solvuntur difficultates.

503. Obj. 1.° Nemini licet in alieno territorio jurisdictionem exercere, sicut non licet in alieno fundo sine domini licentia venari vel in aliena republica proprios capere criminales. Sed territoriis ab Ecclesia occupatis praesunt principes saeculares. Ergo sine principum licentia nequit Ecclesia suam jurisdictionem in fideles exercere.

Resp. Territorium Ecclesiae est universus mundus juxta illud Salvatoris: *Quaecumque alligaveritis vel solveritis super terram,* etc. Nihil obstat, quominus in eodem territorio duplex exerceatur potestas, una ab altera independens. Sicut principibus saecularibus tradidit Deus quoddam territorium, ut potestatem civilem in eo exercerent, ita Ecclesiae tradidit mundum universum, ut fidelium curam haberet.

Instabis 1." Princeps saecularis unius nationis nequit potestatem exercere in proprios subditos, qui sunt in territorio alterius principis; ex. gr., rex Hispaniae non potest jura imperii exercere in hispanos Romae degentes. Ergo Ecclesia nequit regere eos subditos, qui in principum saecularium ditione manent.

Resp.— Neg. paritatem. Principes saeculares habent territorium certis limitibus circumscriptum, ultra quos nequeunt imperium exercere, sed Ecclesiae territorium nullis limitibus constringitur. Quod ideo factum est, quia, cum jura omnium principum saecularium sint ejusdem rationis, potest quilibet princeps saecularis extraneorum in suo territorio exsistentium regimini providere; sed societas ecclesiastica, diversa cum sit a societate civili, sola potest regimini fidelium attendere; hinc necesse fuit, ut Ecclesia potestatem haberet in universo mundo.

Instabis 2.° Nulli societati regulariter datum est limites sui territorii extendere, quia hoc in damnum vergit aliorum principum, qui jura habent acquisita in singulis regionibus. Ergo nec Ecclesia valet in regionibus non catholicis jura imperii de novo acquirere, quin laedat aliorum jura.

Resp. Ecclesia Christi est essentialiter catholica et ex sua institutione jus habet sese dilatandi per universum mundum juxta illud Servatoris: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelittm omni creaturae* [3], et *quaecumque alligaveritis* vel *solveritis super terram* [4]. Unde, cum se expandit ad novas nationes, non violat nec diminuit jura civilia principum, sed, relicta propriis administratoribus potestate civili, regimini ecclesiastico curam impendit. At in expansione territoriali potestatis civilis principes per acquisitionem provinciarum expellunt gubernium prius exsistens, cujus jura acquisita violant dominiumque diminuunt.

Ob. 2." Christus Dominus ait apostolis: *Principes gentium dominan-*

[1] S«ss. 4, cc. 1-3; Denz-Bannw., 1823, et 1831.

[2] Encycl. ***Immortale Dei,*** *1* Nov. 1885; ***Acta S. Sedis,*** vol. 18, p. 165. Cfr. ***Codex,*** can. 196.

[3] ***Marc.,*** 16, 15.

[4] ***Matth.,*** 18, 18.

tur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus [1].

Resp. Christus Dominus non damnavit his verbis exercitium potestatis ecclesiasticae, sed humilitatem commendavit etiam illis, qui ad pastoris munia adsumpti sunt. Abusum et faustum potestatis, quo principes gentium delectantur, non regimen pastorum improbavit.

504. Scholion. Ex hactenus dictis satis liquido constat Ecclesiam habere duplex forum, unum *externum* et publicum, ad quod omnes fidelium causae ecclesiasticae, quae externe et publice manifestantur, deferri solent et debent, alterum *internum* (forum Dei seu conscientiae) ad quod spectant actus hominum externi occulti et interni. Ad utrumque forum se extendit quodammodo Ecclesiae jurisdictio ratione potestatis clavium. Discrimen tamen interest satis magnum inter ambo.

1) *Ad forum externum* pertinet potestas ligandi atque solvendi ligamine legis. Et quia lex humana non potest saltem directe et per se nisi actus externos praecipere aut prohibere, ad forum externum Ecclesiae spectant omnes actus seu causae fidelium externae publicae, quae sanctificationem animae respiciunt. Consequenter jure potest Ecclesia leges ferre, et, ubi oportet, delinquentes judicare et statutis etiam poenis coercere.

2) *In foro interno* seu conscientiae, quod est proprium Dei, neminem potest Ecclesia *directe* ligare, sed *indirecte* dumtaxat, actus externos qui in conscientia obligant praecipiendo. Virtute tamen clavium a Christo accepta potest fideles ab obligationibus, quas sibi per votum, juramentum promissorium et contractus voluntarie imposuerunt, solvere et in sacramento poenitentiae ab omnibus debitis et ligaminibus peccati absolvere [2].

§ 2

Virum Christus contulerit Ecclesiae potestatem legiferam.

505. Status quaestionis. Potestas legifera recte definiri potest: *Potentia faciendi ordinationes ad bonum commune in eo residens, qui praeest communitati.*

Dicitur 1) *potentia,* quia ut S. *Thomas* ait: «potestas autem proprie nominat potentiam activam cum aliqua praeeminentia» [3].

Dicitur 2) *jaciendi ordinationes ad bonum commune,* id est, leges ferendi in iis, quae ad Dei cultum animarumque salutem et regimen Ecclesiae spectant.

Additur 3) *in eo residens, qui praeest communitati,* quo designatur subjectum potestatis legiferae, caput scilicet communitatis perfectae [4].

506. Errores, a) Saeculo iv *Aerius,* sacerdos Sebastae, et *Jovinianus,* monachus romanus, negaverunt Ecclesiam habere potestatem jejunii instituendi.

b) Omnes praeterea, qui quoquo modo potestatem jurisdictionis in foro externo Ecclesiae negaverunt, ejus pariter potestatem legiferam inficiati sunt.

507. Thesis. Veram potestatem legiferam Christus Ecclesiae suae contulit.

1 ***Matth.,*** 20, 25-27.
2 Cfr. Billot, ***De Ecclesia Christi,*** th. 21
3 ***In IV Sent.,*** dist. 24, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 3.
4 Cfr. Raphael a S. Joseph, ***De Legibus,*** n. 7.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Hanc potestatem promisit Dominus Petro dicens: *Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelo* 1; dein de facto eam contulit apostolis simul cum Petro his verbis: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus... Quaecumque alligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis* 2. Quomodo potuerint apostoli ligare nisi leges ferendo?

Arg. II. *Ex traditione.* Potestatè legifera usi sunt a) apostoli, cum in Concilio Hierosolymitano statuerunt, ut omnes se abstinerent *ab immolatis simulacrorum, et suffocato et sanguine,* b) Paulus et Timotheus, *cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Jerosolymis* 34 c) Paulus iterum jussit corinthiis, ut viri detecto capite, mulieres vero velato capite, in ecclesia orarent, esurientes domi manducarent, non opulentam coenam in conventu ecclesiastico sumerent, etc., quorum fidelitatem ut vidit, *laudo vos,* inquit, *fratres quod... sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis..... Caetera autem cum venero disponam**. d) *Collectiones conciliorum* et *Actuum Romanorum Pontificum* innumera perhibent testimonia potestatis legiferae Ecclesiae.

Arg. III. Idipsum ostenditur ex ratione societatis perfectae, quam diximus Ecclesiae competere. Societas enim perfecta secum fert potestatem legiferam.

§ 3

Utrum Ecclesia habeat potestatem judiciariam.

508. Status quaestionis. 1) Potestas judiciaria est *facultas auctoritative declarandi sensum legis et conformitatem vel difformitatem actionum cum jure.* Judicare enim est quasi *jus dicere* et unicuique, quod suum est, in lite reddere. Enascitur ut consequentia necessaria ex potestate legislativa.

2) Tres praecipue personae et una causa in judicio requiruntur. Personae sunt *actor,* qui juris protegendi causa judicium provocat; *reus,* qui de jure laeso accusatus in judicium vocatur; et *judex,* qui audita disceptationis utraque parte nomine principis sententiam pronuntiat. *Causa* seu materia judicanda sunt vel sensus legis quaesitus vel actiones sociorum in concreto, de quarum conformitate vel difformitate cum lege inter actorem et reum disputatur.

3) Quaerimus hic, utrum Christus potestatem judiciariam modo explicatam ita contulerit Ecclesiae, ut in fidelium causis ecclesiasticis auctoritative ei modo obligatorio cognoscere valeat.

Errores. Adversantur nobis non solum antiqui potestatis ecclesiasticae impugnatores verum etiam hodierni increduli, rationalistae et liberales.

* *Matth., 16,* 19.
1 *Matth.,* 18, 17-18.
2 *Act., 16,* 4
3 *1 Cor.,* 11, 2 ut 34

509. Thesis. Christus Ecclesiae contulit veram potestatem judiciariam.

Arg. I. *Ex S. Scriptura. Si autem peccaverit in te jratrer tuus,* ait Dominus, *vade, et corripe eum inter te et ipsum solum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* x. Hic, ut vides, traduntur lex et ordo correctionis fraternae, et ultimo processus judicialis, in quo sunt *actor* qui accusat, *reus* delinquens, *judex* Ecclesiae Pastores, *causa* delictum commissum; imo sententia et poena exprimuntur his verbis: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et ptiblicanus.*—Hoc ipsum manifeste docuit Apostolus cum Timotheo scripsit: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus*2.

Arg. II. *Pius PP. IX* damnavit in Syllabo propositionem 31 his verbis conceptam: *Ecclesiasticum jorum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede* 34 Praeterea Ecclesia in *Jure Canonico* praescripsit ordinem judiciorum

Arg. III. Ecclesia pollet potestate legifera, ut modo diximus et probavimus. Ergo potest legum a se latarum sensum authentice exponere et de actionum conformitate vel difformitate cum lege judicare.

§ 4

Utrum Ecclesiae competat potestas coactiva.

510. Status quaestionis. 1) Potestas *coactiva,* quae derivatur a potestate legifera, est *facultas cogendi reos per poenas et coercendi eos, qui applicationem legis impediunt.* Duo, ut vides, importat; transgressores punit, et, quae legis observantiam impediunt, removet.

2) Poenae, quibus rei ad legem implendam coguntur, possunt esse *spirituales, temporales* et *corporales.* «Cum malum poenae, ait *Suarez,* consistat in violenta privatione alicujus boni, quot sunt genera bonorum tot distingui posse (oportet advertere) genera poenarum. Dicuntur ergo *spirituales* poenae, quae privant spiritualibus bonis, quibus Ecclesia subditos suos privare potest, ut sunt censurae ecclesiasticae... *temporales* autem poenae dicuntur, quae privant externis bonis fortunae, ut confiscatio bonorum et inhabilitas ad temporalia officia vel honores. *Corporales* autem poenae dicuntur, quae corpus ipsum attingunt, inter quas etiam exilium computatur» 5.

3) Item poenae possunt habere rationem *medicinae* vel *vindictae,* prout infliguntur ad emendationem peccatoris vel ad satisfactionem

1 ***Matth.,*** 18, 15-17.
2 ***I Tim.,*** 5, 19.
3 Denz-Bannw., 1731.
4 Cfr. ***Codex Juris Canonici,*** can. 1553
5 ***De /ide,*** disp. 20, sect. 3, n. 13.

justitiae laesae. Semper tamen ordinantur ad aliquod bonum delinquentis in ordine ad finem societatis.

4) Quaerimus hic, an Ecclesia Christi ex sua institutione habeat potestatem coactivam, qua suos subditos reos punire queat et ad legum observantiam per vim coercere.

511. Errores, a) *Marsilius Patavinus* in libro *Defensor pacis,* quem Joannes XXII damnavit, defendere ausus est Ecclesiam non posse «ullum hominem, quantumcumque malum, punire poena coactiva, nisi habeat ab imperatore potestatem». Sectatores habuit olim pistorienses et regalistas, atque hodie plures statistas radicales.

b) *Alii* docent Ecclesiam habere potestatem infligendi poenas spirituales, non temporales et corporales, quantumvis id facere praetendat auxilio brachii saecularis. Ita olim *donatisiae* \ quos dein sequuti sunt *albigenses, waldenses,* atque plures *novatores* saeculi xvi. Huic theoriae subscribunt hodierni Statuum moderatores non pauci, volentes actionem Ecclesiae nonnisi in solitario conscientiae sanctuario exercendam esse.

c) *Alii* denique volunt Ecclesiam posse interdum poenas etiam temporales infligere, dummodo per magistratus civiles id facere curet.

512. Thesis. Ecclesia Christi habet potestatem coactivam ab auctoritate civili independentem, adeo ut possit violatores legum poenis non modo spiritualibus verum etiam temporalibus coercere [1].

Prob. 1.° in genere.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* 1) Christus Dominus ait de peccatore rebelli: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [3]. Hoc autem pro christianis est poena gravissima, quia privantur communione suffragiorum, atque participatione sacramentorum, ad quae ethnici jure carent.

2) Apostolus item Corinthiis ajebat: *Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam... Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* [4] Et rursus: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes... in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* [5]. Quare incestuosum corinthium tradidit *satanae in interitum carnis* [6], et Hymenaeum atque Alexandrum iterum *satanae, ut discant non blasphemare* [7].

Arg. II. *Ratione.* Profundissimam hujus doctrinae rationem exponit *Suarez* dicens: «*Potestas* ad puniendos malefactores est necessaria in omni republica bene instituta ad illius conservationem et bonum regimen... Sed Christus Dominus instituit suam Ecclesiam, ut esset unum corpus mysticum per unam fidem, perducendam ad unum supernaturalem finem. Ergo reliquit in illa potestatem ad puniendos et coercendos

1 Cfr. S. Augustinus, lib. cont. lit. Parmen., lib. 1, c. 8; ML 43. 43 sqq.
2 Cfr. *Ilazôn y Fe,* t. 34, p. 50 sqq.
3 *Matth.,* 18, 17.
4 *I Cor.,* 4. 18 sqq.
5 *II Cor.,* 10, 4-6.
6 *I Cor., a,* 3-5.
7 *I Tini.,* 1, ao.

malefactores, qui maxime huic corpori nocere possunt, et ab illo fine quo tendit, illud perturbare»[1]. Et S. *Thomas* docet principem ea facultate pollere, ut «poenis et praemiis homines sibi subjectos ab iniquitate coerceat et ad opera virtuosa inducat» [2].

513. Prob. 2.° de poena temporali.

Arg. I. S. Paulus ad Timotheum scribens ait: *Peccantes coram omnibus argue* [3]. Incestuosum tradit satanae *in interitum carnis* [4]. Corinthios interrogat, an velint eum venire in virga [5]. *In promptu* adserit se habere ulcisci omnem inobedientiam [6,7]. Ac denique durius dicit se posse agere, si praesens esset, secundum potestatem a Domino sibi datam [7]. Hae autem poenae temporales sunt, ut compertum est. Ergo.

Arg. II. *Ex documentis Ecclesiae.* 1) Pius VI bulla *Auctorem fidei* proscripsit doctrinam pistoriensium, qui dicebant ad Ecclesiam *non pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis.* 2) Pius PP. IX in Syllabo damnavit prop. 24 ex doctrina *Nuytz,* professoris taurinensis, his terminis excerptam: *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.* 3) Idem Pontifex in encyclica *Quanta cura* proscripsit propositionem: *Ecclesiae jus non competit violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi.*

Arg. III. Ratio hujus doctrinae est, quia, ut bene ait *Suarez*[8], poenae spirituales parum movere solent homines carnales, praesertim haereticos, qui fidem et spiritualia contemnunt. Hos igitur ut moveat et cogat, opus habet Ecclesia potestate infligendi poenas temporales, non quidem emendicata ab auctoritate civili, sed, ut societatem perfectam decet, a suo auctore accepta.

§ 5

Utrum Romanus Pontifex habeat potestatem jurisdictionis supremae in universam Ecclesiam.

514. Status quaestionis. Potestas episcoporum bifariam dividitur. *ordinis* et *jurisdictionis.* Quantum ad potestatem *ordinis,* quae confertur in consecratione pro sacramentis conficiendis et administrandis, eamdem habet Romanus Pontifex facultatem ac caeteri episcopi. Omnes episcopi obtinent supremum gradum hierarchiae, in quo superiores quidem sunt, uti diximus, jure divino presbyteris et aliis Ecclesiae mi-

1 ***De fide,*** disp. 20, sect. 3, n. 12.
2 ***De regimine prine.,*** lib. 1, c. 15.
3 ***I Tini.,*** 5, 20. Reprehensionem publicam, quae confusionem parit, esse poenam temporalem negabit nemo.
4 ***I Cor.,*** 5, 3-5.
5 ***I Cor.,*** 4, 21.
6 ***II Cor.,*** 10, 6.
7 ***II Cor.,*** 13, 10.
8 ***De fide,*** disp. 20, sect. 3, nn. 16-26.

nistris, sed inter se pares exsistunt. Potestas *jurisdictionis,* si in utroque foro, interno et externo, spectetur, est facultas pascendi, regendi et gubernandi fideles, editis ubi oportet legibus, etc.[1].

Quaeritur hic, an Romanus Pontifex habeat non solum officium inspectionis et directionis verum etiam supremam et episcopalem potestatem jurisdictionis proprie dictae in universam Ecclesiam.

515. Error. *Febronius* [2] et *Pelms Tamburinius* [3], consentientibus jansenistis, gallicanis regalistis et parlamentariis hodiernis, docent potestatem Romani Pontificis in universam Ecclesiam non aliam esse quam *simplex officium inspectionis et directionis.*

216. Thesis. Romanus Pontifex habet veram et supremam potestatem episcopalis jurisdictionis in universam Ecclesiam.

Arg. I. Christus Dominus contulit Petro ejusque successoribus supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam. Sed Romanus Pontifex succedit Petro in omnibus praerogativis concernentibus primatum. Ergo. Prob. ant.

a) Christus declaravit Petrum esse *petram et fundamentum Ecclesiae*[4]; contulit ipsi *claves regni caelorum*[5]; commisit ei officium *confirmandi fratres* [6] et munus pascendi gregem dominicum [7]. Sed haec supremam potestatem jurisdictionis significant. Ergo.

b) Petrus accepit primatum, ut unitati fidei in universa Ecclesia consuleret. Sed unitati fidei in universa Ecclesia consuli nequit sine suprema potestate jurisdictionis. Ergo.

Arg. II. *Ex conciliis. Ipsi* (Romano Pontifici) ait Concilium Florentinum, *in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et ih sacris canonibus continetur* [8]. Idem decrevit Concilium Vaticanum dicens: *Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam... a. s.* [9].

Arg. III. *Codex Juris Canonici* haec habet: «Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus, quae ad fidem et mores, tum in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent» [10].

1 Haec potestas jurisdictionis antonomastice vocatur ***episcopalis,*** quia episcopi jurisdictionem exercent in suum gregem.

2 ***De Statu Eccl. et legit, potest. Rom. Pont.,*** t, 2, c. i.

3 ***Vera idea della S. Sede,*** p. 2, c. 2, § 5.

4 ***Matth.,*** 16, 18.

5 ***Matth.,*** 16, 19.

6 ***Luc.,*** 22, 32.

7 ***Joan.,*** 21, 16-17.

8 ***Decreto Unionis pro graecis;*** Denz-Bannw., 694.

9 ***Sess.*** 4, c. 1 et 3; Denz-Bannw., 1831.

10 ***Can.*** -218.

517. Corollarium. Potestas jurisdictionis, qua pollet Romanus Pontifex est vere *episcopalis,* quia, ut recte arguerunt *Mons. Pie* et *Mons. Zincili* in Concilio Vaticano \ ex verbis Christi et traditione apparet «auctoritatem Summi Pontificis... in Ecclesiam... naturam *pastoralis* et ideo *episcopalis* jurisdictionis prae se ferre». Hinc Patres Concilii dixerunt: *Docemus... hanc Rpmâni Pontificis jurisdictionis potestatem,* quae vere episcopalis est, immediatam esse»[1]. Hujus doctrinae rationem reddidit Angelicus Doctor dicens [3][4] «Ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina... alias non posset esse colligatio ad unum. Et ideo, cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae supra potestatem episcopalem... et haec est potestas Papae» [*]. Unde *Codex* ait: «Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria eUimmediata, tum in omnes et singulas Ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis auctoritate, independens [5].

§ 6

Utrum Romanus Pontijex habeat plenitudinem potestatis ■jurisdictionis in universam Ecclesiam.

518. Status quaestionis. 1) Plenitudo potestatis jurisdictionis in Ecclesiam, de qua hic agimus, potest in Romano Pontifice duplici ex capite attendi: a) *ex parte objecti,* b) *ex parte subditorum.*

a) *Ex parte objecti* dicitur potestas alicujus plena, si ejus auctoritas extendatur ad ea, quae sunt *de jide et moribus,* et ad ea, quae disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae respiciunt. Auctoritas extendi dicitur *ad /idem et mores* per magisterium, *ad disciplinam et regimen* per facultatem legiferam, judiciariam et coactivam. Ideo, si Romanus Pontifex magisterio polleat infallibili in rebus *jidei et morum,* et independenter a qualibet alia auctoritate facultatem habeat legiferam, judiciariam et coactivam in universam Ecclesiam, certe gaudebit plenitudine potestatis jurisdictionis *ex parte objecti.*

b) *Ex parte subditorum* est potestas plena, quando omnes in Ecclesia universali sive fideles sint sive pastores, tum singuli seorsim tum omnes collectim, Papae subjiciuntur. Hinc non obstat, quominus in Ecclesia sint multi pastores jurisdictionem in suum respective gregem habentes, dummodo ipsi etiam supremo Pastori se subjiciant[6].

1 ***Disp. schem*** , De vi et ratione primatus R. P. ***Coll. Lac.,*** VII, 295 et 351.

2 ***Sess.*** 4, C. 3; Denz-Bannw., 1827.

3 ***IV Sent.,*** dist. 24, q. 3, a. 2, quaest. 3, sol. 3.

4 Jurisdictionem episcopalem in Summo Pontifice agnoscere nolunt P. Tamburini, Nuytz, et auctor operis ***Causa di S. E. Rvma. il Card. Girol. d'Andrea,*** p. 310, quia putant per eam jurisdictioni episcoporum detrahi; sed concilium huic difficultati satisfecit dicens: «Tantum abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur et vindicetur». ***Sess.*** 4, c. 3; ***Coli. Lac.,*** VII, 484.

5 ***Can.*** 218.

6 Ad hanc plenitudinem potestatis plures requirunt, ut omnis jurisdictio praelatorum inferiorum a Summo Pontifice derivetur, sed hoc, licet multum agitatum

2) Quaeritur hic, an potestas jurisdictionis, qua pollet Romanus Pontifex, sit ita plena, ut a) *ex parte objecti* tum ad fidem et mores tum ad disciplinam et regimen Ecclesiae se extendat, et b) *ex parte subjecti* omnes et singulas ecclesias et omnes singulosque fideles et pastores, etiam in Concilio congregatos, respiciat.

519. Errores, a) *Nonnulli* dixerunt potiores tantum partes non plenam potestatem Romano Pontifici competere in Ecclesiae regimine. Ita *Dupin* [1] gallicani [2] et plerique hodierni rationalistae ac liberales, quibus favere visus est *Gerson* [3].

b) *Alii* contenderunt Romanum Pontificem habere quidem potestatem in singulos fideles et episcopos, sed non supra corpus Ecclesiae et minus supra corpus episcoporum in Concilio congregatorum; et consequenter fas esse a sententia Romani Pontificis ad futurum concilium universale appellare. Ita post febronianos, richerianos, jansenistas, gallicanos, etc., *Petrus Tamburinius* [4].

520. Thesis. Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis tum «ex parte objecti» tum «ex parte subditorum» in universam Ecclesiam.

Prob. 1.° in genere.

Arg. I. Romanus Pontifex, utpote successor Petri, est petra super quam tota extructa est Ecclesia, *pastor* totius ovilis in quo sunt oves et agni, fideles scilicet et pastores, *claviger* regni caelestis cum potestate ligandi atque solvendi. Haec autem innuunt in Romano Pontifice esse potestatem omnino plenam. Ergo.

Arg. II. *Ex Conciliis.* Concilium Florentinum in Decreto Unionis expresse docuit Romano Pontifici *in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Concilium item Vaticanum declaravit primatum esse institutum in Ecclesia, *ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore;* et anathemate condemnavit eum, qui dixerit Romanum Pontificem non habere *plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam* [5].

521. Prob. 2.° per partes.

Pars 1.a Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis ex parte objecti.

fuerit in Concilio Tridentino (Cfr. Pallavioini, *Concilii Tridentini historia,* lib. i8, cc. 14-15; et lib. 21, c. n; et Palmieri, *De Rom. Pont.,* th. 19), nondum constat. Alii putant potestatem Romani Pontificis ex parte subditorum plenam esse, si ad omnes fideles extendatur, et nullatenus limitetur jurisdictione episcoporum, licet haec supponatur a Deo immediate derivari.

1 *De ant. Eccl. discipl.,* diss. 6, § 1. Cfr. *Coll. Lac.,* VII, p. 608.

2 «In fidei quoque quaestionibus, ait clerus gallicanus art. 4 suae declar., praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit». Denz-Bannw., 1325.

3 *Dc potest. Eccl. consid.,* 10-11.

4 *Vera idea della S. Sede,* p. 2. c. 2, § 17 et 32.

5 *Sess.* 4, c. 3; Donz-Bannw., 1831.

Arg. Potestas Romani Pontificis extenditur ad ea quae sunt *de fide et moribus* et ad ea quae *disciplinam et regimen Ecclesiae* per totum orbem diffusae respiciunt. Ergo est plena ex parte objecti. Prob. min.

a) *Extenditur ad ea quae sunt de fide et moribus,* quia per magisterium infallibile, quo pollet, potest res fidei et morum authentice declarare. Hinc Concilium Vaticanum expresse docuit Romano Pontifici competere *plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam non solum in rebus, quae* ad fidem et mores, *sed etiam in iis, quae* ad disciplinam et regimen Ecclesiae... *pertinent* x.

b) *Extenditur ad ea, quae disciplinam et regimen Ecclesiae respiciunt.* Ad disciplinam Ecclesiae ea pertinere dicuntur, quibus fideles in fide continentur et ad vitam aeternam facilius diriguntur, ut cultus et administratio sacramentorum, constitutio dioecesium, etc.; ad regimen vero proprie spectat potestas Içgifera, judiciaria et coactiva. Haec autem omnia jure pertinent ad Romanum Pontificem, ut patet ex potestate *pascendi* agnos et oves, et ex facultate *clavium* eidem collata. Unde Concilium diserte declaravit potestatem Romani Pontificis ad ea etiam se extendere, *quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent* 1.

522. Pars 2.a Romanus Pontifex habet plenitudinem potestatis ex parte subditorum.

Arg. a) Juxta ordinationem Christi Romanus Pontifex est *Pastor ovium et agnorum.* Nomine autem ovium et agnorum significatur tota fidelium multitudo, non exceptis episcopis, ut communiter docent Patres et expositores S. Scripturae, b) Potestas item clavium collata fuit Romano Pontifici, ut vinculo legis ligaret vel solveret quoscumque vellet fideles absque ulla restrictione, c) Concilium Vaticanum expresse declaravit Romanum Pontificem habere in Ecclesia universa potestatem. *erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur* 3.

1 Sess. 4, C. 3; Denz-Bannw., 1831.

2 *Sess.* 4, C. 3; Denz-Bannw., 1831.

3 Sess. 4, c. 3; Denz-Bannw., 1827. -Huic non obstat potestas episcoporum in greges sibi commissos, quia, ut episcopus tarvisinus egregie ait inConcilio Vaticano *(Resp. ad emendationes cap. 3 primae Const, de Ecclesia),* haec quae pertinent ad jurisdictionem «episcopus non potest facere nisi sub dependentia Pontificis Summi; haec autem dependentia non est nisi limitatio jurisdictionis episcopalis... Nonne in praemium triplicis declarationis amoris dedit illi (Petro) munus pascendi gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine quod episcopis datum est tantum pascere qui in eis est gregem *(I Petr.,* 5, 2), scilicet determinatas partes gregis illis commissas: Petro autem et successoribus ejus datum est pascere omnem gregem, agnos et oves, simplices fideles nempe et episcopos, in suo regimine independenter ab aliis, dum contra episcopi pascunt semper, ut diximus, dependenter a Petro et Petri successore... Eadem igitur quoad speciem est episcopalis potestas episcoporum in singulis suis dioecesibus, et in Pontifice summo quoad omnes dioeceses, cum hoc discrimine quod in l'ontifice Summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in Summo Pontifice independens, in episcopis dependens; in episcopis coarctata ad suas dioeceses, in Pontifice Summo sine ulla limitatione loci, sed ad terminos terrae». *Coli. Lac.,* 7, 351.

523. Corollarium I. Ex his manifeste sequitur Romanum Pontificem superiorem esse episcopis tum seorsim consideratis tum in Concilio congregatis. Ad Summum enim Pontificem spectat concilium universale convocare, praesidere et cpnfirmare, adeo ut decreta conciliaria nunquam sint firma et irrevocabilia nisi confirmentur a Papa.

Coroll. II. Non licet a sententia Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad concilium universale appellare. «A recto veritatis tramite aberrant, ait Concilium Vaticanum [1], qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare» [2]. «A sententia Romani Pontificis non datur ad concilium oecumenicum appellatio» [3].

Coroll. III. Absurda est theoria gallicanorum qui dicebant fas esse *appellare a Papa non bene informato ad Papam bene informatum.* Hac posita doctrina, nullum esset dogma nullaque Romani Pontificis sententia, quam non possent rebelles eludere cum gravi detrimento unitatis ecclesiasticae.

§ ?

Utrum Romanus Pontifex habeat potestatem jurisdictionis ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam, et in omnes singulosque fideles.

524. Status quaestionis. 1) Potestas *ordinaria,* ad praesens quod attinet, dicitur *quae alicui competit habitualiter ratione sui muneris* [4].

2) «*Immediata* est ea potestas, ait episcopus tarvisinus in Concilio Vaticano, quae exerceri potest sine adhibito medio necessario, scilicet medio ad quod adhibendum tenemur»[5].*

Hoc supposito, investigandum est in praesenti, an Romanus Pontifex ratione sui muneris potestatem semper et immediate absque ullo adhibito medio exercere possit in universam ecclesiam, id est, in omnes et singulas ecclesias et in omnes ac singulos fideles atque pastores.

525. Errores, a) *Marsilius Patavinus* [6], *Ed. Richerius* [7], *Van Espen, Febronius* et alii dixerunt potestatem jurisdictionis primo esse collatam coetui fidelium, ac deinde ad Petrum ejusque successores esse translatam, ut nomine et delegatione Ecclesiae eam exercerent.

b) *Alii* docuerunt potestatem Romani Pontificis in universam Ecclesiam non esse *ordinariam* sed *extraordinariam* ad modum metropolitarum, qui defectus et negligentiam suffraganeorum possunt aliquando supplere et in casu appellationis causas decidere. Ita *Eybel*[8] et alii.

c) *Doctores gallicani,* quibus adstipulati sunt nonnulli in Concilio Vaticano [8], tenuerunt Romanum Pontificem non habere potestatem immediatam, sed mediatam tantum, in omnes et singulas ecclesias, et in omnes ac singulos fideles. Exaggerantes hanc doctrinam plerique hodierni politici nolunt, ut Papa jurisdictionem in exteras nationes exerceat, et pro viribus impedire conantur liberam cum eo fidelium et pastorum communicationem.

1 ***Sess.*** 4, c. 3; Denz-Bannw., 1830.
2 Cfr. Mosheim, dis. ad ***H. E.,*** t. I, p. 577.
3 ***Codex Juris Canonici,*** can. 228, § 2. Cfr. Can. 2332.
4 Cfr. ***Codex,*** can. 197.
5 ***Relatio ad cap. 3.*** Const. «Pastor aeternus»; ***Coll. Lac.,*** 7, 352.
8 ***Defensor pacis.***
7 ***De ecclesiastica et politica potestate,*** cap. 1 et 2.
" 1 ib. ***Quid est Papa.*** Cfr. ***Coll. Lac.,*** 7, 614.
" Clr. ***Coll Lac.,*** 7, 337.

526. Thesis I. Romanus Pontifex habet potestatem «ordinariam» et «immediatam» in universam Ecclesiam et in omnes ac singulos fideles, sive subditi sint sive pastores.

Prob. 1.a pars. Habet potestatem ordinariam.

Arg. Romanus Pontifex ratione primatus constitutus est episcopus Ecclesiae universalis, adeo ut omnes fideles sint ejus subditi. Sed episcopus ratione sui muneris habet potestatem ordinariam in suos subditos. Ergo. Ad rem Concilium Lat. IV (a. 1215) declaravit Ecclesiam romanam *disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere primatum* 1; et Concilium Vaticanum 2 addidit hanc Summi Pontificis potestatem in universam Ecclesiam esse *ordinariam.*

Prob. 2.a pars. Habet potestatem immediatam.

Arg. Ex ipsa vi et ratione primatus committitur Petro ejusque successoribus potestas in universum gregem, pastores et fideles, sicut episcopis committitur jurisdictio in gregem particularem. Dictum est enim summo Pastori: *pasce agnos meos, pasce oves meas* 3, sicut episcopis dictum est: *pascite, qui in vobis est, gregem Dei*4. Sed jurisdictio episcoporum est immediata in omnes et singulos fideles gregis sibi commissi. Ergo et potestas Romani Pontificis in omnes et singulas ecclesias singulosque fideles est immediata. Unde Concilium Vaticanum expresse declaravit Romani Pontificis potestatem esse *ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles*5. Ad rem optime S. *Thomas*6: «Papa habet immediatam jurisdictionem in omnes Christianos, quia Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit»7.

527. Thesis II. Omnibus fidelibus indiscriminatim liberum est cum Romano Pontifice, cum voluerint, sese communicare et ab eo causarum solutionem postulare.

Concilium Vaticanum ait ad rem: «Ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari

1 ***Cap.*** 5; Denz-Bannw., 436.
2 ***Sess.*** 4, C. 3; Denz-Bannw., 1831.
3 ***Joan., 21,*** 15 sqq.
4 ***I Petr.,*** 5, 2.
5 ***Sess.*** 4, c. 3; Denz-Bannw., 1831.
6 ***Contr. impugnant. Dei cultum et relig.,*** c. 4; § «Ad aliud quod objicitur».
7 Hac potestate solet Romanus Pontifex legatos in exteras nationes mittere, non solum ut diplomatice res gerant, verum etiam ut auctoritative negotia ecclesiastica componant causasque dirimant.

potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur»[1]. Idem docet *Codex Juris Canonici*[2]. Merito hac in re damnata est in Syllabo propositio 49: *Civilis auctoritas -potest impedire, quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.*

§ 8

Utrum singuli episcopi habeant -jurisdictionem ordinariam et plenam in suos subditos.

528. Status quaestionis. Episcopi, qui et principes, praesules et summi sacerdotes, sunt successores apostolorum, et canonice instituuntur electione Romani Pontificis.

Qui praeficiuntur alicui determinatae dioecesi canonice erectae, vocantur *residentiales,* et qui solam episcopalem consecrationem sucepti titulo alicujus dioecesis olim exsistentis decorantur, dicuntur *titulares.*

529. Thesis. Omnes et singuli episcopi residentiales habent potestatem jurisdictionis ordinariam et plenam, particularem et subordinatam in suos subditos.

1) Ordinariam, a) S. *Petrus* admonuit episcopos, ut pascerent gregem proprium dicens: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* [3].

b) *Concilium Vaticanum* ait: «Episcopi... tanquam veri pastores adsignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt»[4].

c) *Codex Juris Canonici:* «Episcopi residentiales sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis»[5].

2) Plenam, quia in omnibus pascunt fideles doctrina et monitis, reguntque eos tam in foro interno quam externo legibus, judiciis, poenis.

3) Particularem tamen et subordinatam, quia eorum auctoritas restringitur ad unam dioecesim, et exercenda est sub auctoritate Romani Pontificis 6*

530. Scholion. *An episcopi potestatem jurisdictionis in proprium gregem immediate a Deo vel mediante Romano' Pontifice accipiant.*

1) Non hic agitur de potestate *ordinis* sed de potestate *jurisdictionis,* qua episcopi pollent in proprium gregem juxta illud S. Petri *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* [8].

2) Certum omnino est et admissum a theologis Romano Pontifici jus hodie competere *eligendi* seu *designandi* personas, quae episcopali dignitate augeri debeant ·.

1 *Sess.* 4, C. 3; Denz-Bannw., 1829.
2 *Can.* 1569.
3 *I Petri,* 5, 2.
4 Sess. 3, c. 3; Denz-Bannw., 1828.
5 *Can.* 334.
° *Codex,* can. 329.
' *I Petri,* 5, 2.
» Potestas ordinis immediate a Deo in episcopos derivatur.
ll Cfr Sanll, *Praelectioni s juris can.,* lib. 1, tit. 6. n. 2, ubi addit: «Vetus modus eligendi praelatos fuit ex delegatione vel expressa vel tacita Romani Pontificis».

3) Potestas episcopalis in genere, seu ordinatio qua decretum est, ut episcopi habeant in Ecclesia facultatem regendi fideles, provenit immediate a Christo, qui immediate instituit episcopatum et *potestatem jurisdictionis* juxta illud Apostoli [1]: *Ipse dedit quosdam quidem apostolos... alios autem pastores et doctores*[2].

4) Titulus controversiae intelligitur de potestate jurisdictionis *in concreto,* quatenus exsistit in episcopo a, b, etc., quae rursus tripliciter spectari potest: a) *Quoad aptitudinem* seu *in actu primo,* quae in consecratione simul cum charactere confertur, b) *Quoad actualitatem* seu *in actu proximo,* qua episcopus constituitur dioecesim habens et jurisdictionem exercere valens, c) *Quoad exercitium* seu in *actu secundo.* Jurisdictio *quoad aptitudinem* seu in actu primo a Deo immediate, et quoad exercitium seu in actu secundo a Summo Pontifice confertur. Quaestio est, an jurisdictio episcopalis *quoad actualitatem* seu in actu proximo immediate a Deo procedat.

a) Plures theologi, praesertim ex antiquioribus, tenent potestatem jurisdictionis modo hic explicato immediate a Deo in episcopos derivari. Sic *Franciscus de Victoria*[3], *Vazquez*[4], *Collet*[5], *Alphonsus de Castro*[6] et alii non pauci, b) Alii docent potestatem jurisdictionis mediate a Deo, immediate a Summo Pontifice episcopis conferri. Ita tenent summa theologiae capita *S. Thomas*[7], *S. Bonaventura*[8], *Suarez*[9], *Bellarminus*[10], *Benedictus XIV*[11] et plerique moderni[12].

Ex his sententiis secunda videtur probabilior ac nostro judicio tenenda. Ratio est, quia Romanus Pontifex integram accepit a Christo potestatem pro regimine Ecclesiae, adeo ut possit aperire et claudere, ligare et solvere, quaecumque ad Ecclesiae gubernationem pertinent. Hoc enim significat ratio *Vicarii Christi* et potestas universalis clavium. Sed si episcopi suam potestatem jurisdictionis acciperent immediate a Deo, non jam integra gubernatio Ecclesiae nec potestas universalis clavium competeret Romano Pontifici. Ergo.

QUAESTIO XX

DE MEMBRIS ECCLESIAE

ARTICULUS I

NOTIONES GENERALES TRADUNTUR

531. Status quaestionis. 1) Possunt homines *actu* vel *in potentia* ad Ecclesiam pertinere, prout a) *de jacto* Ecclesiae accensentur vel b) *idonei* sunt ad eam ingrediendam.

1 ***Ephes.,*** 4, ii.
2 Cfr. Crosta, ***Theol. dogm.,*** vol. 1, n. 597.
3 ***De potestate Eccl.,*** Relect. 1, q. 3, prop. 6.
In I-II, disp. 152, c. 3, n. 28.
5 ***De ordinat.,*** p. 2, c. 4, n. 3.
6 ***De justa haeret, punit.,*** lib. 2, c. 24.
7 ***II-II,*** q. 39, a. 3; et ***Contr. Gent.,*** lib. 4, c. 76.
8 ***Quare Fratres min. praedicent:*** n. 3.
9 ***De legibus,*** lib. 4, c. 4, n. 5 sqq.
10 ***De Rom. Pont.,*** lib. 4, c. 24.
11 ***De Synodo dioeces.,*** lib. 1, c. 4. n. 2.
13 Hanc sententiam ***communem*** et hodie certam vocat Cavagni·, ***Inst. juris pubi, eccl.,*** ed. 3.% lib. 2, n. 56.

Certum est omnes homines ad Ecclesiam pertinere saltem in potentia, quia, ut ait Apostolus, Deus *omnes homines vult salvos fieri* [1] et Christus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [2]. Quapropter S. *Thomas* ait: «Infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia» [3].

2) De his qui actu ad Ecclesiam pertinere dicuntur, nonnulli *ad animam,* alii *ad corpus* Ecclesiae pertinent. *Ad animam* Ecclesiae *perfecte* pertinent qui gratia sanctificante et aliis donis eam consequentibus potiuntur, ut omnes justi; *imperfecte* seu *inchoative,* qui gratia habituali destituti quibusdam interioris gratiae donis initiantur ad vitam spiritualem, et ad gratiam sanctificantem disponuntur; cujusmodi sunt qui fide illustrati nondum gratiam perceperunt. *Ad corpus* Ecclesiae pertinent qui sacramento baptismi regenerati vinculum unitatis fidei, per veram professionem et catholicam cum capite et membris communionem servant. Tres ut vides requiruntur conditiones, ut adulti sint membra corporis Ecclesiae, *sacramentum* scilicet *baptismi, vinculum unitatis fidei* et *communio catholica cum capite et membris.*

a) Requiritur *baptismus,* quia per ipsum incipimus participare de bonis communibus Ecclesiae. *Qui ergo receperunt,* inquit ad rem S. *Lucas, sermonem ejus, baptizati sunt, et appositae sunt* (Ecclesiae) *in die illa animae circiter tria millia* [4]. Apostolus: *In uno spiritu, omnes nos in unum corpus baptizati sumus* [5]. Hinc baptismus dicitur communiter *janua Ecclesiae;* et *Eugenius IV* ait: «per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae» [6].*

b) *Vinculum unitatis fidei.* Per baptismum unusquisque in societatem ecclesiasticam coalescit, et per fidem conservatur conjunctus corpori Christi. Quare utrumque Dominus ad salvationem exigit dicens: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* [7]. Cui consonat illud Pauli: *Una fides, unum baptisma* [8].

c) *Vinculum communionis ecclesiasticae.* Ecclesia sicut est una unitate professionis et fidei, ita etiam una sit oportet unitate communionis, quia est corpus Christi mysticum, cujus nos membra sumus per bapti-

1 *I Tim.,* 2, 4.
2 *I Tim.,* 2, 6.
3 *III p.,* q. 8, a. 3 ad 1. Vid. S. Aug., *De vera religione,* c. 6; ML 34, 127.
4 *Act.,* 2, 41.
5 *I Cor.,* 12, 13.
6 *In Decreto pro Armenis;* Denz-Bannw., 696.—S, Bellarminus, *De Ecclesia,* lib. 3, c. 10 docet baptismum cxsistimatum ad hoc sufficere, adeo ut, qui bona fide se exsistimat baptizatum, sit in corpore Ecclesiae, licet *aliunde quant per ordinariam portam* ingressus fuerit. S. Bellarminum sequuntur Pesch, *Praelect. propaed.,* n. 329; et alii nuperi scriptores. Communius tamen putant theologi baptismum valide susceptum requiri, ut quis ad Ecclesiae corpus pertineat; quia sicut nemo potest alia sacramenta suscipere, ita nec bona communia Ecclesiae participare, nisi sit revera baptizatus. Pueri, usum rationis nondum adepti, unitatem fidei et communionis catholicae suis actibus destruere non valentes, sola susceptione baptismi, etiamsi in secta haereticali nati fuerint, corporis Ecclesiae membra fiunt, quousque ipsi actibus contrariis sponte ab eo desciverint.
7 *Mare.,* 16, 16.
• *Ephe.*, . i, 5. Hoc vinculum unitatis fidei dissolvitur per hacresim.ut modo dicetur.

smum juxta illud Apostoli: *Omnes nos inunum corpus baptizati sumus* [1]. De ratione autem membrorum est, ut cum corpore communicent. Dupliciter haec communio solvitur, per *schisma* scilicet et per *excommunicationem*.

ARTICULUS II

UTRUM OMNES ET SOLI PRAEDESTINATI AD ECCLESIAE CORPUS PERTINEANT

532. Status quaestionis. Praedestinati proprie dicuntur qui in finem salutis aeternae a Deo certissime ordinati sunt; nonnulli gratia sanctificante actu fulgent, alii, licet aliquando sint sanctificandi, actu tamen peccatis insordescunt. Quàeritur, an Ecclesia omnibus ac solis praedestinatis coalescat.

533. Errores, a) *IValdenses* primo et dein *Joannes Wicleff,* anglus (a. 1375), et *Joannes Hus,* bohemus (1408), a quibus *wicleffitae* et *hussitae* [2], docuerunt Ecclesiam Christi vere et proprie constare omnibus et solis praedestinatis, sive baptizati fuerint sive non.

b) Hunc errorem aliquantulum temperavit *Calvinus* dicens Ecclesiam solis quidem praedestinatis constare, non tamen omnibus indiscriminatim, sed iis dumtaxat, qui jam praedestinationis effectum, scilicet fidem, consequuti sunt [3].

534. THESIS. Non omnes semper neque soli praedestinati sunt actu membra corporis Ecclesiae.

Prob. 1.a pars. Non omnes praedestinati sunt semper membra corporis Ecclesiae.

Arg. I. Sacra Scriptura diserte nos docet eos, qui aliquando extra Ecclesiam versati sunt, in sanctam electorum societatem admissos esse. *Vos autem,* inquit S. *Petrus* [4], *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti,* id est, qui aliquando non erant populus Dei, facti sunt populus Dei et Ecclesiae membra. Ad rem apposite ait S. *Thomas:* «membrum non judicatur secundum id quod de eo fieri potest, sed secundum id quod est»[5].

1 ***I Cor.,*** 12, 13.

2 Damnati sunt in Concilio Constantiensi, ***sess.*** 8.

3 En Calvini articuli: i. «Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas». 3. «Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis caritas quae ipsam ligat non excidit». 5. «Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia sed non a gratia praedestinationis».

4 ***I Petr.,*** 2, 9-10.

5 ***III Sent.,*** dist. 13, q. 2, a. 2, q. 3 ad 3.

Adde non omnes praedestinatos habere semper conditiones quae requiruntur, ut aliquis ad Ecclesiam vere pertineat.

Prob. 2.a pars. Non soli praedestinati sunt membra Ecclesiae.

Arg. I. Ex omnibus comparationibus a Christo in Evangelio factis certissime deducitur plures ad Ecclesiam pertinere qui non sunt praedestinati. Ecclesiam ait Christus esse similem *areae,* in qua paleae tritico admiscentur igne comburendae x; *sagenae* missae in mare et ex omni genere piscium congreganti, quorum boni sunt in vasa eligendi, mali vero foras mittendi 2; *convivio nuptiali,* cui aderat homo non habens vestem nuptialem et ejectus est in tenebras exteriores 3. Ergo sunt in Ecclesia nonnulli igne inextinguibili comburendi, alii foras mittendi, alii in tenebras exteriores ejiciendi. Ex praedestinatis autem nemo est igne inextinguibili comburendus. Ergo in Ecclesia sunt aliqui non praedestinati.

Arg. II. Pueri usum rationis nondum adepti et ex adultis non pauci, si baptismo regenerentur, reapse sunt Ecclesiae membra. Verum non omnes ii sunt praedestinati, ut patet. Ergo non solum praedestinati sunt membra Ecclesiae. Huc veniunt Domini nostri Jesu Christi et apostolorum exhortationes, ne quis acceptam gratiam per praevaricationem amittere audeat. *Qui se exsistimat,* ait Apostolus, *stare, videat ne cadat;* et alibi passim hortatur fideles ad perseverantiam. Unde S. *Augustinus* ajebat 4: «Secundum praescientiam Dei et praedestinationem *quam multae oves foris, quam multi lupi intus»* 5.*

ARTICULUS III

UTRUM ECCLESIA CONSTITUATUR SOLIS JUSTIS

535. Status quaestionis. Investigandum est, utrum Ecclesia constituatur solis justis, ita ut peccatores baptizati, etiamsi fidem et communionem catholicam incolumem servent, ab Ecclesia sint excludendi.

536. Error. Corpus Christi mysticum solis constare justis tuiti sunt: a) *Montanistae, cathari* seu *novationi e, donatistae* ' et *pelagiani* 8; b) *protestantes* plerique, ex grege praecipue anabaptistarum, qui, ut ait *Melchior*

1 ***Matth.,*** 3, 12.

2 ***Matth.,*** 13, 47.

3 ***Matth.,*** 22, 13. Vide S. Bellarminum qui ***(De Ecclesia,*** lib. 3, c. 7) de his egregie disserit, et Knabenbauor, ***Comment in Matth.,*** 13.

4 ***Tr. 45 in Joan.,*** n. 12; ML 35, 1725.

3 Alia SS. Patrum testimonia et Ecclesiae definitiones videri queunt apud Murray, ***De Ecclesia,*** 1, 143 sqq.; S. Bellarminum, ***De Ecclesia milit.,*** lib. 3, c. 7; Libarium a Jo»u, ***Controversiae,*** t. 8, p. 1, disp. I, controv. 3.

° De his agit S. Aguatinua, haer. 38; MI. 42, 32.

' S. Aug., haer. 69; MI. 42. 43.

H S. Aug., huer. 88; MI. 42, 47.

*Cano*l, nullam in Ecclesia infirmitatem ferebant; c) denique *Paschasius Quesnell,* Congregationis Oratorii presbyter, et post ipsum *janseniani synodi pistoriensis* 1.

537. Thesis. Dogma catholicum est ad Ecclesiam non solum justos sed etiam plures peccatores pertinere.

Arg. I. *Ex S. Scriptura,* a) Argumenta S. Scripturae super hac re luculenter expendit *Bellarminus,* cujus verba lubet heic transcribere. «Praeterea, inquit, sunt alia loca apertissima. *Matth.,* 18, 15, *Si peccaverit in te jraler tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Hic negari non potest, quin sermo sit de vera Ecclesia; nam Christus loquitur de Ecclesia sua, et in hac Ecclesia constat inveniri peccatores, et tales peccatores, qui saepe non emendantur per correptionem fraternam, nec etiam adhibitis duobus testibus; et tamen in Ecclesia manent, donec ab ipsa Ecclesia per sententiam praelati ejiciantur... Item *Matth.,* 24, 48, Dominus describit praepositum malum, qui percutit conservos, et comedit et bibit cum ebriosis, etc., et dicit: *veniet. Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum. partemque ejus ponet cum hypocritis.* Ubi de praepositis Ecclesiae agi docent *Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus* et alii in hunc locum. Item *I Cor.,* 1, 2, *Paulus* dicit se scribere *Ecclesiae Dei, quae est Corinthi,* et mox ibidem subdit: *Significatum est mihi de vobis, quia contentiones sunt inter vos.* Et cap. 5: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Quid hic dicent? Non esse hanc veram Ecclesiam? At Apostolus dicit esse Ecclesiam Dei. Non fuisse istum peccatorem gravissimum et manifestum? At Apostolus hoc dicit. Non fuisse in illa Ecclesia? At Apostolus jubet, ut expellant eum per excommunicationem. *Tollatur,* inquit, *de medio vestrum.* Praeterea *Apocal.* 2-3 scribit *Joannes* septem Ecclesiis Asiae, et fere singulas reprehendit de rebus non levibus. Et, ut notat *Augustinus,* lib. 2, c. *Parmen.,* c. 10, non solum Ecclesias sed etiam praepositum reprehendit significatum per *Angelum Sardensis Ecclesiae: Nomen,* inquit, *habes quod vivas et mortuus es, esto vigilans,* etc.» 3.

b) Aliud non minus efficax argumentum sumitur ex parabolis Christi de area, de sagena, de convivio nuptiali 4, de decem virginibus, etc., quibus Ecclesia dicitur similis. In arca palea et triticum simul inveniuntur, in rete pisces boni et mali capiuntur, in convivio nuptiali homo sine veste nuptiali observatur, ex decem virginibus quinque sunt fatuae et quinque prudentes. Ita pariter in Ecclesia justi et peccatores simul

1 ***De locis,*** lib. 4, c. 3.

2 Hi damnati sunt a Pio VI per Bullam ***Auctorem fidei,*** an. 1794; Denz-Bannw., 1501 sqq.

3 ***De Ecclesia milit.,*** lib. 3, c. 9.

4 «Hic per nuptias, ait S. Thomas, praesens Ecclesia, illic per coenam aeternum et ultimum convivium designatur, quia et in hanc nonnulli exituri intrant, ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exibit·. ***Catena aurea in Matth.,*** 22, n. **i** in principio.

inveniuntur, etsi non omnes aeque participent de vita spirituali. Hinc Paulus apostolus egregie ait: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam l.*

Arg. II. *Ex Summorum Pontificum declarationibus.* Summi Pontifices, qui vere sunt doctrinae sacrae custodes, saepius declaraverunt justos et peccatores etiam manifestos ad Ecclesiam pertinere. *Clemens PP. XI,* Bulla *Unigenitus,* damnavit Quesnelli propositionem 78 his verbis expressam: «Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio» 1. Item propositionem 15 synodi pistoriensis, intellectam «hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate», haereticam declaravit *Pius VI* 3.

Arg. III. *Ex traditione.* Universalis et nunquam interrupta traditio in ipsum conspirat. S. *Hieronymus* haec habet: «Ut in illa (arca) omnium animalium genera, ita et in hac (Ecclesia) universarum et gentium et morum homines sunt: ut ibi pardus et haedi, lupus et agni, ita et hic justi et peccatores»4. S. *Augustinus,* ut alios omittamus ait: «Mali et boni sunt in Ecclesia catholica»5.

Arg. IV. *Ex inconvenientibus.* Ut apposite arguit *Billot*6 cum *Bellarmino,* si justi tantummodo essent in Ecclesia, frustra institutum fuisset sacramentum poenitentiae, tolleretur necessaria membrorum visibilitas, praelati legum transgressores amitterent auctoritatem et jurisdictionem in Ecclesia 7, subditi item semel in peccatum lapsi extra Ecclesiae curam relinquerentur, frustra esset institutio sacerdotii 8 et collatio potestatis clavium 9 ad remittenda fidelium peccata, etc.

Difficultatibus satisfit.

538. Obj. 1.° Apostolus saepe nos docet Ecclesiam esse sanctam et immaculatam. Ait enim: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* 10. Ergo peccatores non sunt in Ecclesia.

Resp.—Dist. ant. Apostolus nos docet Ecclesiam esse sanctam et immaculatam, non habentem maculam aut rugam in sua doctrina et mediis sanctificationis, conc.; in suis membris, subdist.: in statu patriae, conc., in statu viae, neg. Ita hunc locum interpretatus est S. *Thomas* dicens: «Esse Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus *finis* ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu

1 ***II Tini.,*** 2, 20.
2 Bulla ***Unigenitus;*** Denz-Bannw., 1428.
3 Bulla ***Auctorem fidei;*** Denz-Bannw., 1515.
4 ***Contra Lucifer.,*** n. 22; ML 23, 185.
° ***Tr. 6 in Joan.,*** n. 12; ML 35, 1431.
8 ***De Eccl. Christ.,*** q. 7, th. 13; «Adde».
7 Wiclofl dicebat: «Si episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat». Denz-Bannw., 584
8 ***Hebr.,*** 5, 1.
• ***Joan.,*** 20, 23.
'° ***Eph.,*** Ü, 25-27.

patriae, non autem in statu viae, in quo *si dixerimus, quoniam pecccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* ut dicitur *I Joan.,* i, 8» [1].

Posset etiam responderi Ecclesiam sanctam et immaculatam ab Apostolo denominari a parte *potiori,* quam constituunt justi, non ab omnibus ejus membris.

Obj. 2.° Nemo potest esse simul membrum diaboli ac Christi. Sed peccatores sunt membra diaboli. Ergo. Ad rem S. *Augustinus* contra Cresconium sic argumentatus est: «Propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata. Proinde et ipsi extra Ecclesiam baptizant. Omnia quippe ista monstra, absit omnino, ut in membris illius columbae unicae computentur; absit ut intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est qui non potest falli» [2].

Resp.—Dist. maj. Nemo potest esse simul membrum diaboli ac Christi sub eodem respectu, id est, membrum vivum et animatum spiritu utriusque, conc.; sub diverso respectu, participans nempe aliquid ab utroque, neg. Peccatores dicuntur membra diaboli, quia spiritum ejus et ductum sequuntur, sed possunt revera filii esse et membra Christi, non quidem perfecta et animata, sed imperfecta et mortificata, quatenus fidem, quam in baptismo professi sunt, retinent, et vinculum communionis ecclesiasticae servant. Locus S. *Augustini* intelligendus est de membris vivis, quae constituunt potiorem partem Ecclesiae, non de imperfectis; quod constat ex ipso S. *Augustino* qui disertis verbis ait: «Ubicumque in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa: nunc enim propter qua: dam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: *Dimitte nobis debita nostra»* [3].

539. Scholion. Ut plura SS. Patrum effata rite intelligantur operae pretium est quasdam rectae interpretationis regulas statuere.

1) Patres antiqui Ecclesiam *sanctam* vocavere, imo et sanctis constitutam, a parte principaliori quam efficiunt sancti. Mos enim est aliquando S. Scripturae et SS. Patrum de parte tanquam de toto loqui. Concionatores, hunc morem sequuti, non semel laudant vel accusant populum de virtutibus aut peccatis, non quod omnes sint sancti vel peccatores, sed quatenus virtutes vel peccata dominantia universo populo tribuunt [4].

2) Interdum omnes fideles sanctos vocavere, non quod sint singuli a culpa immunes, sed quatenus ad sanctam societatem pertinent, et de bonis spiritualibus fidei, spei, orationum, etc., participant.

3) Item Ecclesiam pulchram, sanctam, non habentem maculam, etc., dixere ratione *status* quem habitura est in patria [5] vel etiam ex intentione Christi, quatenus Servator noster omnia paravit ut fideles cuncti essent sancti.

4) Non semel dicta est Ecclesia sancta, sine macula, etc., ratione doctrinae et sacramentorum. Hoc sensu Concilium Toletanum VI dicit: «Ecclesiam quoque catholicam credimus sine macula in opere et absque ruga in fide» [6].

ARTICULUS IV

UTRUM CATECHUMENI PERTINEANT AD ECCLESIAM

540. Status quaestionis. Appellantur *catechumeni* in Ecclesia, qui, veritatem religionis catholicae agnoscentes, fidemque Christi amplexi,

1 ***III*** *p.,* q. 8, a. 3 ad 2.
2 *Contra Crescon.,* lib. 2, n. 26; ML 43, 482.
3 *Retract.,* lib. 2, c. 18; ML 32, 637.
4 Cfr. Melchior Canus, *De locis,* lib. 4, c. ult., arg. 11; Liberius a Jesu, *Controversiae,* t. 8, p. i, disp. i, controv. 4.
5 Cfr. S. Augustinus, lib. 2, *Retract.,* c. 18; ML 32, 637.
6 *De plenitudine fidei cath.,* c. 1; ML 84, 395.

quibusdam caeremoniis praeparantur per magistros idoneos ad baptismum suscipiendum. Quaeritur, an ii sint vera Ecclesiae membra.

541. Placita theologorum, à) Eximius *Suarez* ait: «Qui veram fidem retinent, sunt membra Christi, nam ab illo recipiunt influxum et actum spiritualis vitae, ergo et Ecclesiae» 1. Consequenter docuit omnes schismaticos, excommunicatos et cathechumenos, qui fidem retinent, ipsosque haereticos materiales esse membra Ecclesiae. De catechumenis addidit: «Mihi tamen magis placet fidelem catechumenum inter Ecclesiae membra numerare, quod sentit *Castro,* ac probari potest rationibus iis, quibus ostendimus fidem esse formam, quae unit Ecclesiae membra».

b) Communius et verius dicunt theologi cum S. *Bellarmino* 1 et *Liberia a Jesu* 3 catechumenos non esse *actu* membra Ecclesiae sed *in potentia* tantum vel *in voto* 4.

542. Thesis. Catechumeni non sunt «actu» membra Ecclesiae.

Arg. Character baptismalis est conditio necessaria, ut quis inter Ecclesiae membra connumeretur. «Primum omnium sacramentorum, ait *Concilium Florentinum,* locum tenet baptisma, quod vitae spiritualis janua est; pèr ipsum enim membra Christi ac *de corpore efficimur Ecclesiae»* 5. Quare SS. Patres semper docuerunt catechumenos non esse Ecclesiae membra. «Quandiu in catechumenorum numero es, inquit *Nazianzenus,* in pietatis vestibulo versaris. Intrare te oportet, atrium pertransire, Sancta contueri, Sancta Sanctorum perspicere, cum Trinitate conjungi»6,

543. Scholion. *Quaeres:* a) Quomodo catechumeni, si membra non sunt ac subditi Ecclesiae, poenas quandoque ecclesiasticas subire cogantur, ut statutum est in *Concilio Nicaeno,* can. 14; et b) qua ratione catechumeni, qui vera fide imbuti et gratia sanctificante ac caritate perfusi martyrium subierunt, in sanctorum catalogo ab Ecclesia relati sint, et ut tales a fidelibus venerentur.

Resp. ad l.«m Catechumeni ex quo fidem divinam susceperunt, tenentur instrui et pro baptismo suscipiendo se praeparare. Quare magisterio Ecclesiae quodammodo subjiciuntur. Si autem se instruere negligant, vel a congrua praeparatione aliquo delicto impediantur, possunt protractione catechumenatus et dilatione baptismi puniri; quae quidem dispositiones rationem magis habent probationis quam poenae.

Ad 2,llm dicendum est catechumenos, qui fide divina imbuti sunt et caritate perfusi, ad *animam* Ecclesiae pertinere, et esse cum Christo et Ecclesia in *uno spiritu.* «Qui ergo, egregie ait *Franzelin,* in eo statu sive per martyrium sive sine martyrio decedunt, juncti cum Domino et cum spiritu, quem dedit Ecclesiae suae, quamvis elemento visibili ejusque charactere sine sua culpa careant, uniuntur Ecclesiae triumphanti et communioni omnium sanctorum. Unde intelligitur, sicut martyres antiqui testamenti ita etiam martyres catechumenos non secus ac martyres baptizatos ab Ecclesia militante honorandos; cognoscuntur enim et agnoscuntur ex visibili actu martyrii ab ipsa Ecclesia militante ut membra sua *secundum quid* perfectione dispositionis... et ex eadem dispositione *simpliciter* ut membra Ecclesiae triumphantis» '.

1 ***De fide,*** disp. 9, sect. 1, 14.

2 ***De Ecclesia milit.,*** lib. 3, c. 3.

3 ***Controv.,*** tom. 8, p. 1, disp. 1, controv. 6.

4 Valentia, ***II-II,*** disp. i, q. i, p. 7, § 16 in fine, dicit catechumenos esse in Ecclesia ***secundum meritum.***

4 ***Decret, pro armenis;*** Denz-Bannw., 696.

" ***Orat.*** 40, n. 16; MG 36, 380.

' ***De Eccl. Christi,*** th. 23: «Quod igitur».

ARTICULUS V

UTRUM HAERETICI SINT MEMBRA CORPORIS ECCLESIAE

544. Status quaestionis. Haereticus dicitur in genere, qui post susceptum baptismum aliquam fidei veritatem negat vel in dubium vertit. Potest esse *materialis* vel *formalis,* prout bona vel mala fide errorem profiteatur 1. Ex haereticis alii sunt *occulti* qui actu solummodo interiori, vel exteriori aliis ignoto, fidem abdicant; alii *notorii,* qui coram aliis suum errorem manifestant.

Quaerendum est hic, an haeretici sint membra corporis Ecclesiae.

545. Placita theologorum, a) Nonnulli putant *haereticos materiales* non esse membra Ecclesiae. Ita *Hurter*, *Billot* 2 et alii. Alii tamen censent haereticos materiales esse revera de corpore Ecclesiae. Ita *Franzelin*4 8 *Groot* s, etc. Sed vereor, fueritne quaestio de nomine. *Billot* ° vult haereticos materiales, illos esse tantummodo, «qui invincibili ignorantia circa ipsam Ecclesiam laborantes bona fide eligunt aliam regulam directricem», a magisterio Ecclesiae bona fide totaliter se subtrahentes. Verum alii haereticum materialem appellant etiam illum, qui magisterio Ecclesiae se subjiciens bona fide negat quodlibet dogma catholicum, nesciens illud esse definitum.

Ex quo exsurgit dubium qualem ignorantiam supponat haeresis materialis, an ignorantiam juris de magisterio Ecclesiae, vel ignorantiam facti de dogmatis definitione.

Si primum, verum arbitramur cum auctoribus laudatis haereticos materiales esse extra Ecclesiam. Secus vero si *haereticus materialis* dicatur is, qui errorem dogmaticum profitetur putans illum esse Ecclesiae doctrinam.

Merito tamen ait *Franzelin:* «In foro externo omnes, qui plenum rationis usum adepti adhuc persteterunt in secta haeretica, ab Ecclesia praesumuntur et habentur haeretici» '.

b) *Haereticos occultos* esse membra Ecclesiae mortua et arida absolute tuentur S. *Bellarminus*, Mazzella*, Palmieri'°, Pesch u, Tanquerey* 12, *Billot*13 18 et alii bene multi. Quidam distinguunt inter haereticum mere internum, et haereticum externum occultum. *Primum* dicunt esse Ecclesiae membrum, secus vero *secundum.* Ita *Dens u, Hurter* 1δ, etc. Alii prorsus negant haereticum occultum ad Ecclesiam pertinere. Sic *Suarez* 10, *Billuart* ", *Franzelin* 13

1 Vid. S. Thomas, ***II-II,*** q. II, aa. 1-2.
2 ***De Ecclesia,*** n. 236.
3 ***De Eccl. Christ.,*** q. 7, th. 11.
4 ***De Eccl. Christ.,*** th. 23.
5 ***Summa apologet.,*** q. 3, a. 3:
° ***De Eccl. Christ.,*** th. 11; «Dividuntur».
' ***De Eccl. Christ.,*** th. 23.
8 ***De Eccl. milit.,*** lib. 3, c. 10.
9 ***De Relig. et Eccl.,*** n. 604 sqq.
10 ***De Rom. Pont.*** Proleg., §11, nn. 3-4.
11 ***Inst, propaed.,*** n. 329.
12 ***De Ecclesia,*** n. 903.
13 ***De Eccl. Christ.,*** q. 7, th. 11.
14 ***De Ecclesia,*** n. 71.
15 ***Theol. gen.,*** n. 237.
18 ***De fide,*** disp. 9, sect. I, nn. 23-24.
" ***De regulis fidei,*** diss. 3, a. 2, § 4.
18 ***De Ecclesia,*** th. 23.

et alii. In hac sententiarum varietate non inutiliter tentarunt nonnulli diversas theologorum opiniones conciliare. *Billuart* suo tempore animadverterat quaestionem magis esse de nomine, ac *Hurter* et *Groot* locis citatis expresse ajunt omnes sententias posse bono sensu explicari, si notetur cum *Pcumieri* ', principium formale Ecclesiae esse auctoritatem, a qua membra dicuntur animari. Haec auctoritas duplicem vitam confert Ecclesiae: «alteram *externam et socialem* cujusmodi competere potest cuique bene institutae societati; alteram *interiorem* (et supernaturalem), quae singula membra afficit vel afficere potest». Prout unusquisque subsit auctoritati Ecclesiae, ita participat de ejus vita. Qui interius aliquod dogma catholicum detrectantes, exterius fidem profitentur, privantur quidem vita interiori et supernaturali, quae individuis competit, sed quia vinculum externum sociale retinent, auctoritati obediunt, et cum corpore sociali in participatione vel etiam in administratione sacramentorum communicant, ad corpus sociale Ecclesiae pertinere dicuntur tanquam membra arida et mortua.

c) Protestantes contendunt omnes haereticos etiam notorios, qui admittunt articulos, ut ajunt, fundamentales ad Ecclesiam Christi pertinere.

546. Thesis I. Haeretici occulti sunt membra externa imperfecta et arida Ecclesiae, quia participant de vita externa et vinculo ejus sociali, non tamen interna et perfecta, quia privantur vita interiori propter haeresim.

Prob. 1.° in genere.

Arg. S. Scriptura id diserte docuisse videtur, cum ait: *Et nunc antichristi multi facti sunt... Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nani, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed, ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis* 1. *Antichristi* nomine hic veniunt haeretici qui doctrinam Christi respuunt 3. Hos dicit S. *Joannes,* antequam exirent de Ecclesia, ex nobis non fuisse, et nihilominus ex nobis prodiisse. Quomodo ex Ecclesia prodierunt, si in ea non fuerunt? «Utrumque verum est, ait S. *Augustinus,* et *ex nobis* et *non ex nobis;* secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis»4. Externe et imperfecte in Ecclesia, perfecte quoad vitam spiritualem extra Ecclesiam. Ad rem S. *Thomas:* «sicut operationes, inquit, quae sunt ad alterum possunt aliquo modo fieri per membra arida, ut percutere, vel aliquid hujusmodi, non tamen operationes, quae sunt animae in membris; ita nec mali recipiunt spiritualis vitae operationes a Spiritu Sancto; sed tamen Spiritus Sanctus per eos operatur spiritualem vitam in aliis, secundum quod aliis sacramenta ministrant, vel alios docent» 5.

547. Prob. 2.° per partes.

1.a pars. Haeretici occulti sunt membra externa et imperfecta Ecclesiae.

a) Vinculum sociale, quo quis Ecclesiae addicitur, est, qua tale, externum ac visibile, et non solvitur nisi actu externo et notorio, im-

1 *De Doni. Pont.* Proleg., § II.
2 *I Joan., 2,* 18-19.
3 Cfr, Alapldo, *in I Joan.,* 2, 18.
4 *Tr. 61 in Joan.,* n. 2; ML 35. 1800.
6 *III Sent.,* dist. 13, q, 2, a 2, q. 3, sol. 2.

pediente externam cum Ecclesia communionem. Ergo haereticus occultus, qui fidem externam profitetur, praepositis obedit et communicat in sacris cum fidelibus, est membrum externum et imperfectum Ecclesiae.

b) Haeretici occulti quandoque obtinent et exercent jurisdictionem ordinariam, puta episcopalem, in subditos I. Ergo haeretici occulti sunt saltem externe membra Ecclesiae.

2.a pars. Haeretici occulti non sunt membra perfecta et interna Ecclesiae.

Arg. Qui non participant de vita interna ac supernatural! Ecclesiae, quae inchoative consistit in fide aliisque donis eam consequentibus, perfecte vero in gratia et caritate, non sunt ejus membra interna ac perfecta. Sed haeretici occulti non participant de vita interna et supernatural! Ecclesiae. Ergo. Ad rem *Pius PP. IX* ajebat: «Quapropter, si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint *corde sentire,* ii noverint ac porro sciant se proprio judicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse, et *ab unitate Ecclesiae* defecisse» [1]. Ab unitate scilicet interna et perfecta, non externa et imperfecta.

548. Thesis II. Haeretici notorii nullo pacto sunt corporis Ecclesiae membra.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Veritas hujus theseos luculenter ostenditur ex textu allato S. *Joannis: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* [3]. Cujus legitimus sensus est: illi, qui externa professione erant imperfecte in Ecclesia, exierunt per haeresim manifestam ab ea etiam quoad vinculum externum. Quam doctrinam manifeste confirmat *Paulus* dicens: *Quidam... circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare* [4]. Quae Apostoli verba sedulo notanda sunt: *circa fidem,* ait, *naufragaverunt,* id est, haeretici ab Ecclesia subtracti in mare submersi sunt; quapropter tradidi eos *Satanae,* utique ab Ecclesia exclusos.

Arg. II. *Ex ratione.* Dictum est superius articulo primo inter Ecclesiae membra non esse connumerandos qui yinculum professionis fidei; a magisterio Ecclesiae propositae, scienter solverint. Character enim principalis ac nota hujus sponsae Christi est unitas doctrinae. Sed haeretici notorii solvunt, ut manifestum est, hoc vinculum professionis fidei. Ergo. Ad rem S. *Augustinus* ait: «Haereses omnes de illa (Ecclesia) exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa» [6]. Et Concilium Nicaenum [6]

1 Consulto diximus ***jurisdictionem ordinariam,*** quia, si agatur de extraordinaria, puta ***in articulo mortis,*** quilibet sacerdos haereticus etiam vitandus habet jurisdictionem delegatam, qua minime efficitur caput Ecclesiae particularis.

2 Bulla ***Ineffabilis Deus*** quo dogma Immaculatae Conceptionis B. M. V. definitum est. Denz-Bannw., 1641.

3 ***I Joan., 2,*** ig.

4 ***I Tim.,*** i, 19-20.

5 ***Serm. de Symbolo ad catechumenos,*** c. 6; MI. 40, 635.

6 ***Can.*** 8-9; Denz-Bannw., 55.

docet haereticos posse in Ecclesiam recipi, si redire velint et certas conditiones adimplere.

549. Dices. Peccatores etiam publici, licet sanctitate careant, sunt in Ecclesia. Ergo a pari haeretici notorii, non obstante defectu professionis fidei, sunt Ecclesiae membra.

Resp.—Neg. conseq. Peccatores, sive sint publici sive occulti, qui non sunt haeretici, non solvunt vincula requisita ad unitatem, et sunt membra Ecclesiae, sed haeretici solvunt unitatem professionis, et sunt extra Ecclesiam.

550. Schollon. Heic obiter juvat dicere pueros, qui in secta haereticali rite baptizati sunt, quousque ad usum rationis pervenerint, vere esse Ecclesiae membra; sed, si usum rationis adepti erroribus patrum adhaeserint, ab Ecclesiae corpore excludi. «Exploratam habemus, ait *Benedictus XIV* (epist. *Singulari nos,* 9 Febr. 1749), ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis per se dispescere possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli».

ARTICULUS VI

UTRUM SCHISMATICI SINT MEMBRA CORPORIS ECCLESIAE

551. Status quaestionis. 1) «Nomen schismatis, ait S. *Thomas,* sicut Isidorus dicit, a scissura animorum vocatum est; scissio autem unitati opponitur... quam caritas facit... Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput... Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex; et ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant» [1]. Unde schisma potest definiri cum *Salmant.* [2]: *A b unitate Ecclesiae voluntaria separatio; separatio,* inquam, non *in credendo* sed *in communicando.* «Inter haeresim et schisma, ait S. *Hieronymus,* hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur» [3][4].

2) Quemadmodum dictum est de haeretico, schismaticus potest esse a) *materialis* vel *formalis,* prout bona vel mala fide ab unitate communionis ecclesiasticae se subtraxerit, et b) *occultus* vel *publicus,* quatenus ejus ab Ecclesia separatio aliis innotescit vel non.

552. Doctrina admittenda, a) Schismaticum materialem publicum, Ecclesiae membrum non esse, probabilius putamus contra *Groot** et quosdam alios. Schismaticus enim materialis non solum habet ignorantiam de dogmate aliquo particulari, sed de ipso quoque jure Romani Pontificis, et de communione membrorum; atque voluntarie se subtrahit ab unitate communionis Ecclesiae. Unde, qui bona fide sunt in schi-

1 ***II-II,*** q. 39, a. 1.
2 Salm. Moral., tr. 2t, ***De praeceptis Decalogi,*** c. 8, n. 14.
3 ***In ep. ad Til.,*** 3, 10; ML 28, 633.
4 ***Sumina Apologet,,*** q. 3, a. 3.

smate graecorum, ruthenorum, etc., nullatenus videntur esse membra corporis Ecclesiae.

b) Idem a fortiori dicendum est de schismaticis *formalibus publicis.* Hi certissime scindunt unitatem Ecclesiae, non solum a communione fidelium se subtrahentes verum etiam capiti visibili Ecclesiae obedire renuentes. Sunt quasi rami, ab arbore abscissi, qui nullam e trunco possunt vitam reciperex. Quare S. *Cyprianus*1 comparat Ecclesiam tunicae inconsutili Christi, et S. *Augustinus* ait: «Nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quae diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum» 3.

c) Ex quibus colliges quam ridicula sit doctrina protestantium et schismaticorum, qui ecclesias nationales ubique statuendas esse contendunt ab Ecclesia Romana subductas. Unde *Pius PP. IX* damnavit in Syllabo, prop. 37, quae sic se habet: «Institui possunt Ecclesiae nationales ab auctoritate Romani Pontificis subductae, pleneque divisae».

Hic quaerimus, utrum schismatici occulti sint membra corporis Ecclesiae.

553. Thesis. Schismatici occulti, etiam formales, sunt membra externa et arida, non interna et viva, Ecclesiae.

Arg. Schismatici occulti, licet a vita spirituali et interna Ecclesiae defecerint, retinent tamen communionem externam cum membris et capite, a quo participant vitam socialem, quemadmodum dictum est de haereticis occultis. Haec autem communio externa et participatio vitae socialis sufficit, ut aliquis sit externe membrum Ecclesiae.

Adde schismaticos occultos jurisdictione *ordinaria* in Ecclesia saepe gaudere, quod fieri non posset, si extra Ecclesiam totaliter versarentur.

Sunt tamen membra *arida* et *mortua,* non viva, quia per rebellionem a vita et influxu spirituali Ecclesiae desciverunt.

ARTICULUS VII

UTRUM EXCOMMUNICATI SINT MEMBRA CORPORIS ECCLESIAE

554. Status quaestionis. 1) Excommunicatio est *censura ecclesiastica, qua fidelis baptizatus, pertinaciter delinquens, excluditur a communione Ecclesiae.*·—Per schisma unusquisque se separat a communione Ecclesiae, per excommunicationem a legitima auctoritate expellitur, ut suum reatum agnoscens, resipiscat, et ad meliorem frugem se recipiat. Excommunicatio est semper poena medicinalis, per quam arcentur, ut diximus, fideles a communione Ecclesiae et participatione quorumdam bonorum ecclesiasticorum, qualia sunt orationes, sacramenta, cultus, etc., non divinorum, ut sunt fides, spes, caritas, character sacramentalis et

1 Cfr. Perujo, ***Diccionario de Ciendas Eclesidsticas;*** v. «Cisma».

2 ***Lib de unitate Ecclesiae,*** n. 7; ML 4, 520.

3 ***Lib. de fide et Symbolo,*** c. 10; ML 40, 193. Vid. S. Fulgentius, ***De fide ad Petrum,*** cc. 37-38; ML 40, 776.

alia hujusmodi. Unde qui excommunicatione ligantur, possunt habere caritatem, gratiam, aliaque dona interna Spiritus Sancti, sed avulsi sunt a vinculo communionis ecclesiasticae[1].

2) Excommunicat! alii sunt *vitandi* (quos oportet in divinis vitari) alii *tolerati,* a) *Vitandi* hodie duo recensentur: *nominatim* a Sede Apostolica publice excommunicati, declarando expresse in decreto vel in sententia eos vitari debere *(Can.* 2258), et qui manus violentas in personam Romani Pontificis injecerint *(Can.* 2343, § 1.°, n. 1); b) *Tolerati* sunt qui quoquo modo caeteras excommunicationes ab Ecclesia latas incurrunt.

3) Excommunicatos toleratos tum occultos tum publicos esse proprie corporis Ecclesiae membra communis docet doctorum sententia, et ratio luculenter ostendit. *Tolerati* enim, etiamsi arceantur a participatione sacramentorum et ab omnibus divinis officiis, retinent tamen jurisdictionem ordinariam, imo et sacramenta valide, et, si a fidelibus petantur, aliquando licite administrant[2].

Discutiendum hic venit, an excommunicati vitandi sint proprie membra corporis Ecclesiae.

555. Theologorum placita. Voluit *Suarez*[3] juxta regulam generalem, quam praemiserat, excommunicatos omnes qui fidem retinent esse vera Ecclesiae membra. Alii theologi communiter negant.

556. Thesis. Excommunicati «vitandi» non sunt corporis Ecclesiae membra.

Arg. Ad excommunicatos *vitandos* referuntur proculdubio, ut tota docuit antiquitas Christiana, illa Christi verba: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et 'publicanus* 45 Quare S. *Cyprianus* 6, excommunicari idem esse dixit ac «arceri a communione», «abstineri a coetu fidelium», «exsortem in Ecclesia esse communionis», «de Ecclesia pelli», «a Christi corpore separari». Quod manifeste confirmant ipsa verba, quibus Ecclesia sententiam excommunicationis ferre consuevit; declarans se peccatores contumaces *a gremio sanctae Matris Ecclesiae et consortio totius christianitatis eliminare.* Excommunicati igitur vitandi ab Ecclesiae corpore praecisi sunt ac expulsi[0].

557. Scholion. *De anima Ecclesiae.* Omnes et soli justi viatores sunt *perfecte* in anima Ecclesiae, *imperfecte* vero et *inchoative* illi qui nondum justificati, fide tamen et donis interioris gratiae locupletati, in vitam spiritualem initiantur.

1 Cfr. Berardi, ***V. Deer.*** 2, diss. 3, C. 5, aliosque canonistas et moralistas.
2 Cfr. Const. Martini V, ***Ad evitanda;*** et Billot, ***De Ecclesia Christi,*** th. 12.
3 ***De fide,*** disp. 9, sect. 1, n. 13 sqq.
4 ***Matth.,*** 18, 17.
5 ***Ep.*** 28, 38, 39, 4ï et 52; ML 4, 309 sqq.
8 Quod in contrarium legitur in S. Augustino ***(Contradonatistas, post. Collât.,*** 〈 20, n. 28, Ml. 43. 669), aliisque Patribus, intelligenduin est de excommunicatione ***minori.*** quae sacramentorum participationem solummodo prohibebat, vel de toleratis, qui, ut dictum est, in corpore manent Ecclesiae.

a) Ad animam quippe Ecclesiae ii perfecte spectant, qui vitam spiritualem et supernaturalem ita vivunt, ut influxum Christi capitis salutarem plene accipiant. Sed omnes et soli justi, sive *re* sive *voto* corporis Ecclesiae membra sint, hanc vitam supernaturalem vivunt influxumque Christi plene accipiunt. Ergo. Superius ostensum est et quamplurima Pontificum documenta declarant eos, qui invincibili laborantes ignorantia extra Ecclesiae corpus versantur, dummodo praecepta divina quae norunt exsequantur, et gratiam justificationis adepti fuerint, ad animam Ecclesiae pertinere et salutem aeternam obtinere posse.

Ex quo colliges omnes ethnicos, catechumenos, haereticos materiales, schismaticos, excommunicatos, etc., si gratiam sanctificantem et caritatem habeant, *volo* saltem ad Ecclesiae corpus, et perfecte ad ejus animam pertinere.

b) Eo magis aliquis pertinet ad animam Ecclesiae, quo magis participat de ejus vita spirituali. Vita autem spiritualis incipit a fide et completur in justificatione. Unde Concilium Tridentinum, sess. 6, c. 8, docet fidem esse fundamentum et radicem omnis justificationis; et ibid., c. 6, describit modum quo inchoatur et promovetur justificatio.

Excitatio divinae gratiae qua quisque in Deum movetur, fides qua divinitus revelata creduntur, divinae justitiae timor, quo culpae corde concutiuntur, detestatio et odium peccati, etc., quae plenam peccatoris justificationem praecedunt, sunt participatio quaedam vitae spiritualis; et qui hujusmodi donis ad gratiam et caritatem disponuntur inchoative et imperfecte ad animam Ecclesiae pertinere merito dicuntur.

QUAESTIO XXI

DE MUTUIS INTER ECCLESIAM ET STATUM RELATIONIBUS

ARTICULUS I

UTRUM ECCLESIA STATUI SUBORDINETUR

558. Status quaestionis. 1) Examinanda nunc veniunt jura et officia Ecclesiae cum Statu et vicissim Status cum Ecclesia, ut inde pateat, quomodo ambo inter se gerere debeant et negotia resolvere. Et primo quidem investigandum est, qualis sit in genere respectus Ecclesiae ad Statum, an scilicet Ecclesia Statui subordinari debeat, ab eoque in exercitio suae potestatis dependere.

2) Ut punctum difficultatis plenius intelligatur, praenotandum est unam societatem posse alteri subordinari directe vel indirecte, a) *Directe,* quando societas inferior ex natura sua et intra suum ordinem ac finem habet societatem et auctoritatem superiorem, a qua dependeat. Hoc pacto provincia subordinatur nationi, b) *Indirecte,* quando societas per se quidem independens est, sed finem habet fini alterius societatis subordinatum, ut finis temporalis fini spirituali subordinatur. Quaeritur hic, an Ecclesia, sive ratione sui sive ratione finis Status obtinendi, potestati civili subordinetur.

559. Errores, a) *Joannes Jandunus* et *Marsilius Patavinus,* scripto opere *Defensor pacis,* dixerunt potestatem ecclesiasticam a populo, mediantibus principibus saecularibus, in Ecclesiae pastores derivari, cum sub-

jectione ad auctoritates civiles exercendam. Directe igitur Ecclesiam Statui subjecerunt.

b) *Protestantes* Ecclesiam principibus saecularibus directe subordinant juxta illud axioma: *cujus regio illius et religio.* Ad hoc excogitaverunt systemata *episcopale, territoriale* et *collegiale,* de quibus supra n. 347 '.

c) *Pationalistae* item et *increduli* volunt Ecclesiam esse Statui omnino subjectam.

d) *Gallicani, jansenistae, febroniani, josephistae,* aliique *regalistae* Ecclesiam Statui indirecte subjiciunt, cum *jura,* ut ajunt, *majestatica* circa sacra principibus tribuunt. Horum praecipua sunt: jus *instituendi* ministros Ecclesiae *educandique* alumnos; jus *reformandi* res ecclesiasticas, *extirpandique* abusus; jus *supremae inspectionis* in res et personas ecclesiasticas; jus *placiti* et *exsequatur,* quo vetatur bullas, encyclicas et acta pontificia publicari, priusquam in tribunali civili examinentur; jus *appellationis tanquam ab abusu,* et excipiendi appellationes a sententia judicis ecclesiastici.

560. Thesis. Ecclesia nullatenus Statui subordinatur.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus, cum Ecclesiam instituit, contulit Petro ejusque successoribus plenam atque supremam potestatem absque ulla principibus civilibus subordinatione dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* 1; et: *Pasce agnos meos... pasce oves meas* 3. Ergo Ecclesia nullatenus Statui subordinatur.

Arg. II. *Ex traditione,* a) *Magnus Hossius,* episcopus olim Cordubensis, Constant, imperatorem sic affatus est: «Ne nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit»4.

b) S. *Ambrosius* ait: «Ecclesia Dei est, Caesari utique non debet addici... Imperator intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est»5.*

c) S. *Joannes Damascenus* ®: «Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant... Ad imperatores spectat recta reipublicae administratio; Ecclesiae regimen ad Pastores et Doctores. Ejusmodi invasio latrocinium est, fratres» 7.

Arg. III. *Ratio* idem suadet, quia tum potestas tum finis Ecclesiae, utpote spirituales, a potestate et fine Status civilis independentes sunt. Quare *Pius IX* merito damnavit in Syllabo sequentes propositiones: 20. *Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia.* 28. *Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.* 54. *Reges et principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.*

1 Cfr. Zigliara, ***Propaedeutica,*** lib. 4, c. 4, n. 4.
2 ***Matth.,*** 16, 19.
3 ***Joan.,*** 21, 15 sqq.
4 Apud S. Athan., ***Hist, arian. ad monachos,*** n. 44; MG 25, 746.
5 ***Ep.*** 21, nn. 35-36; ML 16, 1061.
° ***Or. 2 de imaginibus,*** § 12: MG 94, 1296.
' Ipsi principes saeculares hanc doctrinam non semel confirmarunt. Constantinus M. ajebat episcopis: «Vos nobis a Deo dati estis dii, et conveniens non est ut horno judicet deos» Apud Rufinum, ***Hist, eccl*** . lib. 1, c. 2; ML 21, 468. Et Theodosius Junior ad Patres Concilii Ephesini scripsit: «Nefas est enim, qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptUs non est, illuni ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere». (Apud Mansi, 4, 1119.)

561. Dices. S. *Optatus* ajebat: «Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est» 1.

Resp. S. Optatus protectionem tantummodo non potestatem tribuit rcipublicae in Ecclesiam, ut patet ex contextu. «Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia est in republica, id est, in imperio romano; ubi et sacerdotia sancta sunt, et pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et, si essent, tuta non essent».

ARTICULUS II

UTRUM ECCLESIA A STATU STATUSQUE AB ECCLESIA SEJUNGENDUS SIT 1

562. Status quaestionis. 1) Ecclesia et Status sunt, ut dicetur inferius, duae societates perfectae, sibi invicem independentes. Ecclesia et Status civilis idem occupant territorium et, quod est singulare, eosdem plerumque habent subditos. Utraque societas, utpote eorumdem subditorum perfectionem et felicitatem insequens, amico foedere consociatur. Ambae natura sua et ratione finis ab invicem sunt independentes, sed una alteri auxilium praestat, et utraque simul conspirat in bonum temporale et aeternum subditorum.

2) Haec si debite fiant, omnia cedunt in bonum communitatis; sed aliquando bona fide, interdum malitia hominum, et plerumque exaggeratione quadam statolatriae, quam politici saepe sibi vindicant, collisiones inter Ecclesiam et Statum oriuntur, eorumque separationem multi meditantur.

3) Quaeritur hic, num oporteat Ecclesiam a Statu Statumque ab Ecclesia ita sejungere, ut nulla sit amplius inter eos mutua foederatio, et «in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum sit censeant, quam si esset omnino nulla, permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam» 3.*

563. Errores, a) *Machiavellus* videtur fuisse hujus separationis primus adsertor, cum Principes hortatus est4, ut nullam haberent de morali curam, solamque in omnibus utilitatem quaerentes civibus religionem suaderent ordinis in republica conservandi causa.

b) *Kami* 5moralem, ut ajunt, independentem propugnavit °,

c) *Naturalistae, rationalistae* et *liberales* cum Cavour et statistis modernis excogitarunt formulam *Ecclesia libera in Statu libero,* conatique sunt Ecclesiam a Statu penitus sejungendam esse.

1 ***De schismate donat.,*** 3, 3; ML 11, 999.

2 Cfr. ***Syllabus,*** prop. 55; Denz-Bannw., 1755.

3 Verba sunt Leonis XIII, encycl. ***Libertas;*** § «Huic», ***Acta S. S.,*** 20, 611.

4 ***La mente d'im uomo di Stato,*** c. 1.

5 In operibus passim. Feuerbach Kantio subscripsit.

6 Vide Minteguiaga, ***La Moral independiente, Introd.*** Hanc moralem independentem absurdam esse probant ipsi increduli Julius Simon, ***Religion naturelle,*** p. 4, ch. 1; Rousseau, ***Contrat, social,*** 4, 8; Voltaire, ***Traité de Tolerance,*** ch. 20.

564. Thesis. Absurdum est et omnino impoliticum Ecclesiam a Statu Statumque ab Ecclesia sejungere.

Arg. I. Admonens Christus ut fideles et Ecclesiae subditi redderent quae sunt Caesaris Caesari [1], et praecipiens Paulus ut potestatibus quasi Dei ordinationi obedirent, satis explicite docuerunt utramque societatem, ecclesiasticam et civilem, amico foedere consociari debere. Hinc S. *Isidorus Pelusiota* ad Mauritium imperatorem ajebat: «Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc velut corpus), ad unum tamen et eumdem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem» [2]. Et *Ivo Carnutensis* ad Paschalem II scribebat: «Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur» [3].

Arg. II. Ecclesia et Status a) ad unum finem totalem ordinantur, b) eosdem saepe habent subditos, et c) eadem non semel praecipiunt fidelibus. Hujusmodi autem societates magis oportet amico foedere conjungi quam dissociari. Ergo. Prob. maj.

a) *Ad unum finem totalem ordinantur.* Utriusque societatis finis completur hominum perfectione, quae in rebus temporalibus simulque aeternis consistit [4]. Status perfectionem felicitatemque hominum temporalem *directe,* Ecclesia aeternam promovet, *indirecte* alter alterius bono saepe consulit [5].*

b) *Eosdem saepe habent subditos.* In regionibus siquidem catholicis omnes tenentur et Ecclesiae se subjicere et potestati civili obedire. Unde *Leo XIII* ait: *Utriusque* (Ecclesiae et Status) *imperium est in eosdem* [6].

c), *Eadem non semel praecipiunt fidelibus.* Frequenter enim Ecclesia principum statuta suis legibus confirmavit, et vicissim Status auctoritatem Ecclesiae decretis editis roboravit. Ambo, mutuo auxilio sibi invicem praestito, innumera civibus et societati genuerunt bona tum temporalia tum spiritualia [7].

1 *Matth.,* 22, 2i.

2 *Ep. ad Mauritium Imp.* ad Isidorum diaconum, lib. 3, ep. 249; MG 78, 928.

3 *Ep.* 238; ML 162, 246.

4 «Deus, ait Leo XIII, encycl. *Immortale Dei,* humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem *divinis,* alteram *humanis* rebus praepositam»; § «Itaque», *Acta S. S.,* 18, 166.

5 Ad rem S. Thomas *(De Regimine Principum,* lib. I, c. 15): Principis saecularis munus esse ait «vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem consequendam; ut scilicet ea praecipiat, quae ad caelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat». Item de Ecclesia ait: «Nec solum in spiritualibus, sed etiam in usu corporalium hominem dirigit, et beatitudinem animae et corporis repromittit». In Boetium, *De Trinitate,* q. 3, a. 3.

° Encycl. *Immortale Dei;* § «Itaque», *Acta S. S.,* 18, 166.

7 Memoranda sunt hac in re verba Leonis XIII (encycl. *Immortale Dei):* •Quod Europa barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit... quod civilis cultus principatum retinuit, et ad oiiiiw decus humanitatis ducem se magistramque praebere caeteris consuevit;

565. Scholion I. Nolim confundas expositam incredulorum, rationalistarum et liberalium theoriam cum opinione quorumdam catholicorum, qui expetunt quidem utriusque societatis unionem, sed hodiernis temporibus illam impossibilem esse arbitrantur in plerisque regionibus, et separationem in praxi praeferendam esse putant.

Scholion II. In hac materia omnes prae oculis habere debent praeclara verba *Leonis XIII* ad episcopos Americae septentrionalis: «Hoc enim Ecclesiae apud vos concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum praepedita vinculis; contra vim defensa jure communi justitiaque judiciorum, tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam haec vera sunt, tamen error tollendus, ne quis hinc sequi exsistimet petendum ab America exemplum optimi Ecclesiae status: aut universe licere vel expedire rei civilis reique sacrae distractas esse dissociatasque, more americano, rationes» 1.

ARTICULUS III

UTRUM ECCLESIA HABEAT POTESTATEM INDIRECTAM IN STATUM

566. Status quaestionis. Ecclesia et Status sunt societates in suo ordine independentes et perfectae, adeo ut nec Ecclesia Statui nec Status Ecclesiae directe seu ratione sui subordinetur. Vix tamen possunt duae societates coexistentes concipi, quin una alteri indirecte subordinetur. Novimus ex superioribus Ecclesiam, ne indirecte quidem Statui subordinari, et nunc pulsat animum dubitatio, an Status civilis saltem indirecte Ecclesiae subjiciatur, adeo ut principes ecclesiastici potestatem habeant in societates civiles, quoties finis Ecclesiae obtinendus id postulaverit.

567. Errores, a) *Nonnulli* canonistae de juribus potestatis ecclesiasticae nimium solliciti dixerunt Statum civilem directe subordinari Ecclesiae, ita ut principes saeculares suam auctoritatem accipiant a Deo mediante Romano Pontifice. Pro hac sententia citari solent *Joannes Saresberiensis,* [2] *Augustinus Triumphus*[3], *Panormitanus*[1] et alii pauci.

b) *Alii* dixerunt Ecclesiam non habere auctoritatem seu jurisdictionem

quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est; quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem»; § «Fuit aliquando», *Acta S. S.,* i8, 169. Cfr. Balmes, *El Protestantisme comparado con el Catolicismo,* capp. 32 et 58. Ipse Aug. Comte in suo *Cours de Philosophie* non semel agnovit beneficia per Ecclesiam Statui delata.

1 Epistola *Longinqua,* 6 Jan. 1895; § «Harum». *Acta S. S.,* 27, 390. Haec si vera sunt de *Statibus Foederatis Americae,* in quibus Ecclesia, quantumvis a Statu separata, optima gaudet libertate, a fortiori valebunt pro aliis nationibus in quibus praetextu separationis volunt politici Ecclesiam destruere et ad paganismum viam sternere. «L'idéal de ces hommes, ait Leo XIII, encycl. *Au milieu des sollicitudes,* 16 Févr. 1892, serait le retour au paganisme; l'État ne reconait l'Église, qu'au jour où il lui plait de la persecutor»: § «Mais, en France», *Acta S. S.,* 24, 528. Doluit semel et iterum Pius X in suis adlocutionibus anni 1905 de gubernii gallici hac in re agendi ratione, et Cardinales Galliae vehementer protestati sunt quod comitia deputatorum, inconsulta Ecclesia, concordatum violaverint et de separatione Status et Ecclesiae agere inceperint.

2 *Polycrat.,* lib. 4, c. 3; ML 199, 516.

3 *De potestate Eccl.*

1 *Comment: in Decr.,* lib. 2

proprie dictam, sed potestatem dumtaxat *directivam* in Statum. Juxta hanc theoriam Ecclesia nihil potest in Statum efficere nisi *docendo, adhortando, suadendo,* etc. Ita *Gosselin* [1] cum quibusdam.

c) *Alii* nullam agnoscunt Ecclesiae potestatem in societatem civilem, et clamant vehementer contra catholicos docentes Statum civilem Ecclesiae indirecte subordinari. Sic hodierna regalistarum, incredulorum, rationalistarum et liberalium turba multa[2].

568. Thesis. Ecclesia Christi habet potestatem indirectam in Statum.

Arg. I. *Pius IX* damnavit in Syllabo propositionem 24: *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.*

Arg. II. Unio Ecclesiae et Status non immerito comparantur vinculo, quo anima et corpus in homine copulantur [3]. Sed in composito humano corpus subjicitur animae. Ergo. «Potestas saecularis, inquit ad rem S. *Thomas,* subditur spirituali, sicut corpus animae...; et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus quantum ad ea in quibus subditur ei saecularis potestas, vel quae ei a saeculari potestate relinquuntur» [4].

Arg. III. Societatum inter se indirecta subjectio habetur, quando fines earum ita constituti sunt, ut unus alteri consequendo subordinetur. Finis autem Status saecularis, utpote temporalis, subordinatur fini Ecclesiae, qui est spiritualis. Ergo. «In tantum, inquit S. *Thomas,* saecularis potestas est sub potestate spirituali, in quantum ei est a Deo supposita, scilicet *in his, quae ad salutem animae pertinent*» [5].

Hanc doctrinam non esse meram opinionem sed ad depositum catholicae doctrinae pertinere putat *Mazzella*[6] cum *Suarez*[7]; et ab omnibus esse credendam saltem *fide ecclesiastica* defendit *Groot* [8].

ARTICULUS IV

QUAE SINT OFFICIA ET JURA ECCLESIAE ET STATUS AD INVICEM

569. Ratio articuli. Perpensis breviter relationibus Ecclesiae et Status in genere, valde opportunum est officia et jura, quae ex praefa-

[1] ***Pouvoir du Pape au moyen age.***

[2] His praeiverant gallicani qui in sua famosa ***Declaratione Cleri Gallicani*** (1682) ajebant: «Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici». Denz-Bannw., 1322.

[3] Cfr. Encycl. Leonis XIII ***Immortale Dei;*** § «Itaque», ***Acta S. S.,*** 18, 166.

[4] ***II-II,*** q. 60, a. 6 ad 3. «Sicut homo, ait Suarez, ***De legibus,*** lib. 4, c. 9, n. 3, non esset recte compositus, nisi corpus esset animae subordinatum, ita neque Ecclesia esset convenienter instituta, nisi temporalis potestas spirituali subderetur». Cfr. Victoria, ***De potestate Ecclesiae, Utrum potestas sp. sit supra potestatem civilem,*** prop. 6.

[5] ***II Sent.,*** dist. 44, q. 2, a. 3 expositione textus ad 4.

[6] ***De religione et Ecclesia,*** n. 577.

[7] ***De legibus,*** lib. 4, c. 9.

[8] ***Summa Apolog.,*** q 12. a. 5. Cfr Chesnel, ***Los derechos de Dios y las ideas modernas,*** t. 2, c, 7; Benoit, ***La Ciudad anticristiana en el siglo XIX,*** t. 2, pagina 312 sqq., Tnpnrolll, ***Saggio,*** n 1419 s(iq*

tis relationibus pro utraque parte oriuntur, investigare, ut uno veluti intuitu perspici queat, quid in praxi tenendum sit. Hujusmodi officia considerari possunt 1.° *in nationibus catholicis, 2° in nationibus acatholicis.*

§ 1

In nationibus catholicis.

570. A) Officia Ecclesiae. 1) Debet Ecclesia independentiam ac perfectionem societatis civilis in ordine ad suum finem agnoscere, auctoritatemque a Deo principibus collatam revereri et data occasione defendere. Ecclesia enim et Status sunt regna distincta. «Deus, ait *Leo XIII,* humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. *Utraque est in suo genere maxima»*1. Ad rem Apostolus: *Non est enim potestas nisi a Deo* 1.

2) Diversa ratio utriusque societatis postulat, ut Ecclesia in negotiis mere temporalibus Statuum non se immisceat. Habent enim auctoritates civiles plenam potestatem ac libertatem statuendi leges, eligendi magistratus, adoptandi formam regiminis, et dirigendi subditos in finem proprium societatis civilis, dummodo fiat juxta leges divinas et sine detrimento jurium Ecclesiae.

3) Tenetur Ecclesia Statum in adipiscenda civium felicitate temporali positive adjuvare. Unde debet omnes docere obedientiam praepositis, rebelles, sancitis etiam ubi oportet spiritualibus poenis, coercere, pacem et tranquillitatem in civitate promovere, bella et seditiones, quantum fas est, avertere, et ea, quae ad reipublicae prosperitatem conducunt, quaerere atque fovere.

571. B) Ecclesiae jura. 1) Ecclesia jus habet ad plenam et omnimodam libertatem in prosequendo suo fine. Potest itaque dogmata sacra libere definire et populo Christiano credenda tradere 3, doctrinam Christi docere, sacramenta fidelibus administrare; idoneos ministros sibi eligere atque in seminariis magnis et parvis juvenes educare 4; scholas Christianas, ubi oportet, aperire, et ut in scholis publicis juvenes catholice instituantur invigilare 5;* libros qui in lucem eduntur, praecipue de religione tractantes, revidere ®; cunctos fideles, datis de religione, moribus, etc., opportunis legibus, regere7; religiosas familias, quae sanctitatem vitae magnopere in Ecclesia promovent, instituere ac conservare; saecularizationem, ut ajunt, societatis, familiae et individuorum pro viribus vitare, et alia id genus plura.

1 Encycl. ***Immortale Dei;*** § «Itaque», ***Acta S. S.,*** i8, i66.

2 ***Rom.,*** 13, i.

3 Cfr. ***Syllabus,*** prop. 21, 33; Denz-Bannw., 1721, 1733.

'* ***Syllabus,*** prop. 45, 46; Denz-Bannw., 1745 sqq.

6 ***Syllabus,*** prop. 47, 48; Denz-Bannw., 1747?—Cfr. ***La Civiltà Cattolica,*** 2 Gcnn. 1892, pp. 82-92.

° Cfr. Encÿcl. Pii PP. ıχ ***Quanta cura;*** § «Ac praeterea», ***Acta S. S.,*** 3, 166.

7 ***Syllabus,*** prop. 44; Denz-Bannw., 1744.

2) Jure etiam exigit unionem cum Statu civili, imo et protectionem, ubi in exercitio suae missionis necessariam esse censuerit [1].

3) Item Ecclesiae jus esto exercendi potestatem indirectam in res temporales et in ipsas societates civiles, quando pro fine spirituali obtinendo id fuerit necessarium [2].

572. C) Jura Status. Status quoque habet quaedam jura relative ad Ecclesiam. Hinc

1) Plenam sibi postulat independentiam in rebus mere temporalibus gerendis [3]. Potest itaque formam regiminis, quae magis sibi libuerit, servatis religione, justitia et aequitate, eligere, leges in iis quae bonum communitatis respiciunt condere, tribunalia pro jure dicendo erigere, magistratus sibi eligere, relationes internationales et commerciales stabilire ac fovere, et omnia, quae ad bonum regimen societatis pertinent, dirigere, habita semper, ut par est, ratione finis supremi seu hominum felicitatis aeternae.

2) Jus habet, ut Ecclesia auxilium ipsi praestet ad pacem tranquillitatemque in civitate servandam, rebelles coercendos et bonum commune in societate promovendum.

573. D) Officia Status. Officia Status respondent hac in re juribus Ecclesiae.

1) Tenetur imprimis plenam libertatem Ecclesiae concedere. Hoc enim postulat natura Ecclesiae, quae est societas perfecta [4][5]

2) Debet religionem in populis sedulo promovere, tum cultum socialiter Deo exhibendo [5], tum moralitati publicae consulendo [6].

3) Status catholicus tenetur agnoscere et defendere religionem revelatam, et consequenter omnes falsas religiones per se loquendo rejicere, et mala quae libertatem Ecclesiae coarctant reprimere.

4) Ex hac obligatione sponte fluit aliud officium, quo Status tenetur, quantum auctoritas temporalis principum saecularium patitur, et circumstantiae regni permittunt, omnes ut ajunt libertates modernas proscribere. Hujusmodi sunt: a) *libertas conscientiae,* b) *libertas cultuum* et c) *libertas docendi aut -praeli.*

574. a) Libertas conscientiae. Hoc nomine venit *facultas cogitandi et agendi quod magis cuique libet in rebus ad Deum et religionem perti-*

1 Innumeri sunt in historia ecclesiastica casus in quibus Ecclesia auxilium brachii saecularis petiit et obtinuit.

2 Cfr. S. Bellarminus, ***De Rom. Pont.,*** lib. 5, c. 6.

3 Cfr. Gelasius Papa ad Anastasium imperat.; ML 59, 42.

1 Huc facit prop. 20 damnata in Syllabo: «Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu». Denz-Bannw., 1720.

5 «Homines enim, ait Leo XIII, encycl. ***Immortale Dei,*** communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli; neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit»; § «Hac ratione», ***Acta S. S.,*** 18, 163. Cfr. Encycl. ***Humanum genus;*** § «Jam vero» et «Secta igitur», ***.-Ida S. S.,*** 16, 421 sqq.; et encycl. ***Libertas;*** § «Quae quo melius», «Eadem libertas». ***Acta S. S.,*** 20, 603 sqq.

" In hoc conveniunt ipsi incredulí Voltaire, ***Dictionn. philosophique,*** v. «États»; Houumu, ***Lettre contre /c spectacles*** Cfr. Encycl. Leonis XIII ***Humanum genus,*** § «Ceterum»; ***Acta S, Sedis,*** 16, 428.

nentibus, a) Nequit quidem Status catholicus infidelibus violentiam inferre, ut fidem amplectantur, sicut jam cautum est in Concilio IV Toletano 1 et monuit *Leo XIII* 2. β) Nec cogitationes liberae, dum in foro conscientiae remanent et sunt soli Deo cognitae, possunt a Statu cohiberi, γ) Potest tamen et debet exercitium externum hujus libertatis conscientiae contra doctrinas ab Ecclesia catholica definitas reprobare, nisi aliquando ob speciales circumstantias tolerandum sit. Ratio est, quia auctoritatis civilis est civium bonum temporale ita quaerere, ut ratio semper habeatur eorum felicitatis aeternae. Felicitas porro hominum aeterna in discrimen adducitur ex effrenata libertate conscientiae 3.

575. b) Libertas cultuum. Libertas cultuum est quasi consequentia necessaria libertatis conscientiae, et definitur *facultas exercendi cultus cuilibet religioni proprios.* Quam sit in se absurda et Deo injuriosa, inde patet, quod honorem Deo debitum idolis tribuit. Unde Romani Pontifices *Pius IX* 4 et *Leo XIII* 5*gravissimis eam verbis una cum libertate conscientiae reprobatam voluere.

Ad Statum pertinet ea, quae superius de religionum tolerantia diximus, huic adamussim applicare. Hinc nunquam licet potestati civili *tolerantiam* ut ajunt *dogmaticam* cultuum defendere vel fovere, licet hypothetice majoris vitandi mali vel adipiscendi boni causa possit aliquando pluralitatem cultuum tolerare. «Consequitur, ait *Leo XIII*e, ista genera libertatis posse quidem, si justae causae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent» '.

576. c) Libertas docendi. Libertas docendi, prout hodie a liberalibus explicatur et defenditur, est facultas docendi, tum voce tum scripto, omnes quascumque doctrinas sive veras sive falsas. Nuncupatur *libertas cathedrae, praeli,* etc., juxta diversos modos quibus exercetur.

Hanc libertatem in tota sua amplitudine praedicant ac tuentur, omniaque facta etiam occulta et scandalosa libere publicari, et omnes theorias, quae unicuique placent, publice defendi posse autumant *socialistae,* dum *liberales mitiores* intra quosdam limites coercendam esse docent, ne in detrimentum vergat auctoritatis civilis et famae aliorum, nulla tamen erga Deum habita ratione.

. Sed haec perniciose dicta sunt. Eadem quippe per hanc theoriam veritati et errori conceduntur jura, homines corruptioni exponuntur, et maxima fit Deo injuria. Unde *Gregorius XVI* libertatem docendi «deliramentum» appellavit, et *Pius IX* «catholicae Ecclesiae et animarum saluti exitialem» esse dixit 8.

1 Concil. IV Tolet., c. 57; ML 84, 379.

2 Encycl. ***Libertas;*** § «Quae, quo melius». ***Acta S. S.,*** 20, 603.

3 Cfr. Leo XIII, encycl. ***Immortale Dei;*** § «Sic illa», ***Acta S. S.***. 18, 172.

4 Encycl. ***Quanta cura;*** § «Ex qua» ct in Syllabo, prop. 16; Denz-Bannw., 1690 et 1716.

0 Encycl. ***Libertas;*** § «Quae, quo melius». ***Acta S. S.,*** 20, 603.

° Encycl. ***Libertas;*** § «Itaque», ***Acta S. S.,*** 20, 612.

' Huic doctrinae consonant quae habet S. Thomas. ***II-II,*** q. 10, a. II. Cfr. ***Civillà Cattolica,*** 17 Oct. 1863.

8 Encycl. ***Quanta cura;*** § «Ex qua», Donz-Bannw., 1690.

Quare potestates civiles tenentur libertatem docendi ita moderari, ut jura Dei et Ecclesiae, imo veritatis et honestatis, nullum patiantur detrimentum. Ex ipsa siquidem natura vetamur errorem defendere. Sicut potestates civiles, statutis ad hoc legibus, coercent communiter subditos, ne quid contra auctoritatem publicam voce vel scripto tradant, ita a fortiori deberent legem edere, ne quis aliquid contra Deum, contra religionem, contra bonos mores civiumque jura doceat \

577. E) In casu conflictus inter Ecclesiam et Statum, quando scilicet jura unius videntur juribus alterius sese opponere, aequum est, ut Status utpote inferior cedat Ecclesiae. Quamobrcm damnata est in Syllabo prop. 42 his verbis concepta: «In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet». Ecclesia tamen in his casibus concordiam semper quaesivit, suisque juribus non semel cessit.

Hi conflictus ut vitentur, solet plerumque utraque societas *Concordata* inire, quibus jura et officia utriusque definiuntur et relationes amicitiae magis in dies firmantur.

§ 2

In nationibus acatholicis.

578. 1) Status acatholici, qui christiano nomine gloriantur, ut protestantes et schismatici, omnibus per se loquendo, quibus Status catholici, obstringuntur officiis erga Ecclesiam, quia per baptismum promiserunt obedientiam verae Christi Ecclesiae. Nihilominus inutile foret in praxi eadem officia atque a Statu catholico a societatibus dissentientibus postulare. Quia tamen in hujusmodi Statibus libertates individuales et rationis jura plerumque exaggerantur, potest Ecclesia *personalitatem juridicam* atque omnia, quae exinde enascuntur, jura exigere, ut sunt facultas acquirendi, subditos dirigendi, etc., imo et auxilium potestatis publicae, ubi id necessarium fuerit.

2) Status *indifferentes* tenentur illa saltem jura Ecclesiae agnoscere, quae aliis religionibus conceduntur, quia juxta indifferentistas omnibus religionibus debentur aequa jura.

3) A Statu *infideli* nequit exigi subordinatio, ne quidem indirecta, auctoritatum civilium ad Ecclesiam, bene tamen libertas praedicandi doctrinam catholicam et instruendi neophytos, imo et dirigendi omnes catholicos in finem supematuralem. Ratio est, quia infideles, cum non habeant certitudinem veritatis suae religionis, ut patet ex religionum quas profitentur pluralitate, debent saltem probabilitatem religionis catholicae admittere. Hinc merito laudanda est catholicarum nationum agendi ratio, quae aliquando per vim obstrinxerunt infideles admittere ministros praedicationis evangelicae.

1 Cfr. Zlgliara, ***Summa phil.,*** vol. 3, a. 67.

TRACTATUS III

DE FONTIBUS REVELATIONIS SEU TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS

579. Introductio. Perpendimus hucusque ea, quae ad *Apologeticam* et *intimam Ecclesiae constitutionem* spectare videbantur. Demonstravimus contra incredulos *religionem Christianam* esse veram ac divinitus revelatam, eamque contra acatholicos in Ecclesia Romano-Catholica fideliter custodiri et interpretari. At his absolutis nova pulsat animum quaestio accurate discutienda, unde nimirum repetenda sit haec divina revelatio, cui adsentiri a fidelibus oporteat, et a qua argumenta in theologia desumi opus sit.

Tractatus hic a multo jam tempore nuncupari consuevit *De Fontibus divinae revelationis* vel etiam *De Locis theologicis,* quia explicari in eo solent tum *depositum* seu *fons* in quo revelatio continetur, tum *loci ex* quibus theologus argumentatur in defensione fidei catholicae. Hinc *loci theologici* non sunt nisi *fontes ex quibus theologus argumenta desumit.* Fontes seu loci ejusmodi, si proprie loquamur, duo sunt, *Sacra Scriptura* et *Traditio,* juxta illud Concilii Vaticani: *Haec supernaturalis revelatio secundum universalis Ecclesiae fidem, a s. tridcntina synodo declaratam [1], continetur in* libris scriptis *et sine scripto* traditionibus, *quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt* [2].

Sed quia traditio in pluribus monumentis continetur, et theologia solet ex scientiis etiam humanis et ratione naturali argumenta saltem subsidiaria plerumque petere, loci theologici alii sunt *primarii,* alii *secundarii. Primarii* sunt S. Scriptura et Traditio; *secundarii* generatim post Melchiorem Canum octo numerantur ordine sequenti:

1. Auctoritas Ecclesiae.
2. » Conciliorum.
3. » Romanorum Pontificum.
4. » SS. Patrum.
5. » Theologorum et Doctorum.
6. Ratio naturalis.
7. Philosophorum dicta.
8. Historia humana.

Unde decem loci theologici, duo primarii et octo secundarii, apte numerantur. *De Ecclesia et Romano Pontifice* satis superius, de caeteris nunc per ordinem agendum est, ita tamen ut de S. *Scriptura* et *Traditione* paulo latius, de aliis brevissime disseramus.

1 *Sess.* 4, ***Decret, de Canone S. S.;*** Denz-Bannw., 783.
2 Sess. 3, c. 2; Donz-Bannw., 1787.

QUAESTIO XXII

DE S. SCRIPTURA

ARTICULUS I

QUID SIT S. SCRIPTURA

580. I. Definitio. Sacra Scriptura diversis nominibus insigniri solet; appellatur *Scriptura, sacrae litterae, Libri sacri, Biblia,* etc. x, et est *verbum Dei scriptum; Dei* quidem non per modum possessionis, ut cum dicimus *haec domus est Titii,* sed per modum causae efficientis, quatenus Deum habet auctorem, ut testamentum dicitur Petri. Vel, si mavis, S. Scriptura est *collectio librorum qui Deo inspirante conscripti sunt et ut tales ab Ecclesia propositi.*

581. II. Divisio. Horum nonnulli ante adventum Christi alii post ejus ascensionem in caelum scripti sunt. Hinc divisio in *Vetus* et *Novum Testamentum* vel *Foedus* jam inde a tempore Tertulliani est introducta. In utroque Testamento alii sunt *legales,* alii *historici, sapientiales* et *prophetici,* quorum explicationem vide in introductionibus ad S. Scripturam. Item ratione materiae libri Veteris Testamenti dividi solent in *Legem, Prophetas* et *Hagiographos;* et Novi Testamenti in *Evangelium* et *Apostolos.*

582. III. Canon Scripturarum. Nomine canonis S. Scripturae intelligitur juxta antiquissimam Ecclesiae consuetudinem catalogus librorum sacrorum, quos ut tales Ecclesia agnovit atque recepit. Ad libri canonicitatem requiritur, ut sit 1) Deo inspirante conscriptus, et 2) ab Ecclesia in catalogum librorum sacrorum relatus.

Ex septuaginta duobus libris quibus S. Scriptura constat, plerique sunt *protocanonici,* id est, a tota Ecclesia semper in canonem relati, alii *deuterocanonici,* quos Ecclesiae particulares non recensuerunt in canone, nisi post aliquod tempus, investigata eorum origine et nota traditionis veritate [1].

Abstinemus hic ab investigando primo auctore canonis utriusque Testamenti et adsignandis evolutionibus quae tractu temporis ipsi obvenerunt. Gravissimae de his agitantur in proprio loco quaestiones, quarum accurata investigatio limites hujus operis excedit s. Sive Esdras sive alius fuerit collector librorum V. T., unum videtur esse omnino certum, tempore scilicet FI. Josephi (saec. 1) exstitisse unum canonem

1 Comely, ***Hist, el erit, introd, in V. T. libros,*** vol. 1, p. 21 sqq.

2 Deuterocanonici sunt: Ex Vet. Test.: ***Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch cwn epistola Jeremiae, duo libri Machabaeorum, Esther, 10,*** 4-16, 24; ***Daniel,*** 3, 24-90, 13 et 14.- Ex Nov. Test.: ***Ep. ad Hebraeos, Jacobi, II Petri, JI*** et ***111 Joannis, Judae,*** et ***Apocalypsis; Marc.***. 16, 9-20; ***Luc.,*** 22, 43-44: ***Joan*** , 8, 2-12.

• Cfr Comely, ***Compend.,*** p 1, diss 1, cc. 2-3.

librorum V. T. apud pharisaeos palaestinenses, qui libros protocauonicos complectebatur[1], et alium apud judaeos alexandrinos libris quoque deuterocanonicis auctum; versio enim graeca alexandrina omnes complectebatur[2]. Ecclesia deinde omnes libros protocanonicos et deuterocanonicos indiscriminatim accepit, adeo ut nulla de eis controversia alicujus momenti ante saeculum iv exstiterit, ut erudite probat *Franzelin*[3], et ipsa deinceps controversia non ex traditionis diversitate sed ex ipsa Scripturarum inter se comparatione orta fuerit. Constantem hac in re traditionem retinuerunt et posteris transmittendam curarunt S. *Clemens Romanus*[4], *Epistola Barnabae*[5], S. *Polycarpus*[6], *Hermas*[7], S. *Irenaeus*[8], *Doctrina duodecim apostolorum*[9], *Clemens Alex.*[10] et alii innumeri[11].

Libros quoque N. T. sedulo collegerunt primi Christiani, canonem inde conficientes, qui libris constaret protocanonicis et deuterocanonicis. Jam *Patres apostolici* aliique scriptores primae aetatis laudarunt fere omnes hodierni canonis libros, et Patres posteriores ante finem saeculi n omnes receperunt ut canonicos praeter *ep. ad Hebraeos* et *II Petri*. De hac re consuli possunt S. *Clemens Romanus* *Doctrina duodecim apostolorum*[13], *Fragmentum muratorianum*[14], *Clemens Alex.*[15] *Origenes*[16] et alii[17].

Saeculo iv et deinceps, orta jam de quibusdam libris controversia, non fuit interrupta traditio, sed, magis ac magis in dies firmata, constanter docuit omnes hodierni canonis libros ut canonicos esse accipiendos[18].

1 Cfr. Josephus, ***C. Apion.,*** lib. 1, n. 8.

2 Discrimen horum canonum videtur tribuendum palaestinensibus, qui veterum traditionibus nimis addicti noluerunt libros recenter scriptos canoni accensere, cum alexandrini libenter eos accepissent.

3 ***De S. Scriptura,*** th. 12.

4 ***Ep. I ad Cor.;*** MG 1, 216 sqq.

5 ***Cap.*** 19; MG 2, 779.

6 ***Ep. ad Philip.,*** n. 10; MG 5, 1014.

7 ***Pastor.,*** lib. 3, simii. 9, n. 23; MG 2, 999.

8 ***Adv. haer.,*** lib. 4, 20, 2; MG 7, 1033.

9 ***Cap.*** 2, n. 4.

10 ***Strom.,*** 6, 11; MG 9, 313 sqq.

11 Cfr. Hettinger, ***Theol. fund.,*** p. 2, § 28.

12 ***I Cor.,*** 17; MG 1, 244.

13 ***Doctr.*** 8.

14 Apud Kirch, ***Enchiridion fontium hist. eccl. ant.,*** 156 sqq.

15 ***Strom.,*** 2, 13; MG 8, 996.

16 ***In Joan.,*** t. 5, prol. 6, n. 35; MG 14, 292, etc.

17 Cfr. Eusebius, ***H. E.,*** lib. 3, 25; MG 20, 268.

18 Vide Franzelin, ***De div. Script.,*** th. 9-17; et Comely, ***Comp.,*** p. I, cc. 2-3. Quidam SS. Patres praesertim S. Hieronymus ***(Praef. in libros Salomonis),*** ML 28, 1308; S. Athanasius ***(Ep. fest.*** 39), MG 26, 1438; S. Cyrillus Hieros. ***(Catech., 4,*** 33), MG 33, 496; S. Gregorius Naz. ***(Carm.,*** I, ***1,*** 12), MG 37, 472, aliique, necnon scriptores ecclesiastici Rutinus ***(Symb. apost.,*** 36 sqq., ML 21, 373), etc., protocanonicos vocaverunt ***Canonicam scripturam,*** deutcrocanonicos vero appellavere ***ecclesiasticos,*** quos quidem legit Ecclesia «ad aedificationem plebis non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam», (s. Hieronymus, ***Praef. in libros Salomonis;*** ML 28, 1308.

His sanctorum dictis plerumque abutuntur protestantes praesertim anglicani

Hanc Ecclesiae traditionem a Patribus recognitam et a Concilio Florentino sancitam proposuit ac declaravit Synodus Tridentina. Recensitis septuaginta et duobus libris, quibus Ecclesiae canon constat, addidit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... a. s.* *.—Quod iterum confirmavit Concilium Vaticanum dicens: *Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos s. tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, a. s.* 2.

Plures alios fuisse libros divinitus inspiratos et postea incuria temporum periisse supponunt et ex sacris litteris deducunt eruditi. Sed hujus quaestionis studium nostra non interest. Vide eorum catalogum apud *Mugica* 3.

583. IV. Idioma originalium. Difficile admodum est determinare quo idiomate conscripta fuerit S. Scriptura. *Omnes Veteris Testamenti libri,* si paucos excipias, hebraice conscripti sunt. Aramaice composita sunt *Dan.,* 2, 4; 7, 28; *I Esdr.,* 4, 8; 6, 18; 7, 12-26; et *Jerem.,* 10, 11; disputatur an *Tobias, Judith, Baruch, Ecclesiasticus, I Machab.* et fragmenta deuterocanonica *Danielis* ac *Esther* hebraice vel aramaice scripti fuerint. *Sapientia* et *II Machab.* graece compositi sunt. *Novi Testamenti libri* graece exarati sunt, excepto S. Matthaei Evangelio, quod syriace scriptum esse dicitur. Nonnulli putant epistolam *ad Hebraeos* syriace et Evangelium S. *Marci* latine fuisse exarata.

584. V. Versiones. Codices Scripturarum autographi jam olim perierunt, sed exstant quamplurima exemplaria ex originalibus transcripta, quae *apographa* vocantur. Pro his, qui idioma primigenium Scripturarum ignorabant, ex apographis exsistentibus translati sunt libri sacri ad alias linguas. Hinc ad pleniorem Scripturarum intelligentiam oportet perpauca de his versionibus dicere.

585. 1. Versiones Orientales, a) *Pentateuchus Samaritanus.* Pentateuchus, qui hebraicis litteris conscriptus in manibus omnium terebatur, characteribus samaritanis conscriptus est. Improprie dicitur *versio,* cum textus hebraicus retentus fuerit, mutatis tantummodo characteribus. Hi characteres juxta S. *Hieronymum* 4 sunt antiqui hebraici, ad quos translatus est textus ex litteris hebraicis recentioribus ab Esdra

(art. 6), ut libros deuterocanonicos de canone respuant, sed frustra. SS. Patres, qui ita locuti sunt, significare voluerunt inter libros protocanonicos et deuterocanonicos aliquam exsistere differentiam, non quidem essentialem ac internam nec relate ad inspirationem, sed externam ac historicam, quatenus alii erant semper relati in canone, alii quandoque extra canonem vagantes in quibusdam saltem ecclesiis erant dubiae auctoritatis. Vid. Sixtus senensis. ***Bibi. Sanet.,*** I, 1; Hettinger, ***Theologia fund..,*** p. 2, § 28.

1 ***Sess.*** 4; ***Decret, de Can. Script.;*** Denz-Bannw., 784.

2 ***Sess.*** 3, ***can.*** 4 ***de Revelatione;*** Denz-Bannw., 1809. Canones hebraeorum, hellcnistarum, et protestantium vide apud Comely, ***Introd. in utriusque Testamenti libros,*** vol. 1, diss. 1, cc. 2-3: et ***Comp.,*** p. 1, cc. 2-3.

3 ***Introductio gen.,*** n. 15. Quaestionem etiam de libris apocryphis consulto remittimus ad auctores introductionis generalis in S. Scriptura.

4 ***Prae/, in libror Samuel et Malaihim;*** ML 28, 593 sqq.

introductis. Nonnulli volunt hanc translationem tempore Roboam filii Salomonis esse factam, et videtur ante tempora Esdrae finitam fuisse [1].

b) *Paraphrasis chaldaica.* Variae Bibliorum paraphrases seu expositiones *(Targumim)* decursu temporis exortae sunt. Eminet inter omnes et celebratur antiquitate puritateque linguae paraphrasis chaldaica Pentateuchi quae nomine *R. Onkelosi* prodiit. Est translatio Pentateuchi ex hebraeo ad linguam chaldaicam, non quidem de verbo ad verbum sed quoad sensum facta. Non est proprie *versio* sed paraphrasis, chaldaice *Targum*. Juxta Thalmudem babilonicum, in quo prima vice commemoratur, confecta est tempore Christi, sed juxta alios posterior est. Plures hebraei putant eam sub inspiratione Spiritus Sancti esse conscriptam. Ecclesia tamen parum hucusque contulit illi auctoritatis. *Alia* est *Pseudo-Jonathanis,* quae *alexandrina* appellatur, Legis paraphrasis seu expositio. *Tertia* prophetarum paraphrasis, quae etiam nomine *Jonathanis* inscribitur, Hierosolymis saeculo I coepta et vertente saeculo IV absoluta dicitur. *Quarta* demum Hagiographorum paraphrasis est recentioris aetatis [2].

c) *Versio syriaca simplex* seu *Peschito,* quae simplex seu litteralis dicitur, magnam adepta est apud peritos auctoritatem. Juxta aliquos composita est tempore Salomonis et juxta alios tempore destructionis regni Israel [3]; verum juxta alios probabilius saeculo I a libris Veteris Testamenti inchoata est, et saeculo II una cum versione Novi Testamenti absoluta. Ex originalibus hebraica et graeca ad linguam syriacam, quae ex hebraica et chaldaica corruptis coalescit, facta est, et fidelitate ac perspicuitate celebratur.

d) Alias *syriacas, arabicas* et *persicas* versiones vide expositas apud auctores [4].

586. 2. Versiones graecae. Vetus Testamentum pluries in linguam graecam versum est, sed instituti nostri ratio non postulat omnes translationes enumerare. Praecipuas tantum versiones, quae majorem adeptae sunt celebritatem, placet heic exponere.

a) *Versio alexandrina seu septuaginta Interpretum.* Celeberrima est inter omnes versio 70 interpretum cujus probabilis historia haec est. Ptolomaeus II Philadelphus instante Demetrio Phalereo, bibliothecae praefecto, quosdam viros hebraeos[5] ex omni tribu Israel, linguarum hebraicae et graecae peritissimos, anno circiter 280 a. Christum sibi adseivit, ut Pentateuchum directe ex textu hebraico ad linguam graecam verterent. Solum Pentateuchum fuisse ab illis graece versum putant

1 Cornely, ***Comp.,*** n. 63.

2 Hae ultimae tres paraphrases pluribus scatent rabbinicis figmentis et amplificationibus arbitrariis, et idcirco parum habent auctoritatis.

3 Nonnulli contendunt Christum Dominum et apostolos, quoties Veteris Testamenti libros citant, hac versione usos fuisse.

4 Cfr. Vigouroux, ***Manuel Biblique,*** t. I, n. 122; et Cornely, ***Comp.,*** p. I, diss. 2, c. 4, § 13 et 15.

5 Traditio communis docet eos fuisse 72, sex ex singulis tribubus, qui numero rotundo 70 dicuntur. Aliqui ex alia versione graeca putant 70 interpretes suam versionem adornasse. Haec tamen opinio verius rejicitur.

Josephus l, Philo 1 et S. *Hieronymus* 3 contra alios, qui defendunt totum Vetus Testamentum fuisse versum. Sub finem saeculi in a. Christum creditur fuisse absoluta omnium protocanonicorum versio, et circa annum 130 a. Christum fuit in usu 4.

Aliqui peritissimi doctores, narrationi S. Justini de septuaginta duabus cellulis consentientes, vel, si simul traductionem perfecerint, tot virorum consensionem mirati, volunt versionem sub adsistentia Spiritus Sancti fuisse completam 5 6 sed alii hanc opinionem hodie communiter rejiciunt, et opus mere humanum esse arbitrantur. Minime tamen diffitemur eam magna auctoritate pollere.

b) *Versio Aquilae.* Primam post 70 interpretes versionem graecam S. Scripturae adornavit *Aquilas,* patria synopaeus in Ponto, primo gentilis, dein praedicatione apostolorum Christianus, et mox judaeus. Hic sacras litteras ex hebraico sermone ad graecum transtulit circa annum 130 post Christum.

c) *Versio Theodotionis.* Theodotion, juxta Epiphanium ponticus et juxta alios ephesinus, primo Christianus et Tatiani ac Marcionis sectator, deinde judaeus, 70 interpretes fere in omnibus sequutus, sub finem saeculi n (probabiliter imperante Commodo 180-193) 8, aliam molitus est versionem.

d) *Versio Symmachi.* Symmachus, Samaritanus, ex judaeo primo christianus et deinde haereticus ebbionita 7, versionem graecam S. Scripturae tempore Severi Augusti (193-211), non verborum sed intelligentiae ordinem sequutus, adornavit. Perspicua haec est sed nimis libera.

e) *Tetrapla, Hexapla et Octapla Origenis.* Celebrem curavit Origenes Bibliorum editionem, quam *Tetrapla* vocavit, quatuor columnis disponens versiones Aquilae, Symmachi, 70 interpretum et Theodotionis. Deinde textum hebraicum characteribus hebraicis et graecis huic editioni in duabus columnis addidit, et *Hexapla* adornavit, ac denique alias duas translationes ab incertis auctoribus peractas adjiciens *Octapla* composuit.

587. 3. Versiones latinae. Innumerae sunt Bibliorum versiones latine compositae sed duae potissimum merentur specialem mentionem, quarum notitiam his verbis tradit *P. Raphael a S. Joseph* 8: «*Prima* illa quam S. Augustinus vocat *Italam,* S. Hieronymus *Communem,* S. Gre-

1 ***Prooem. in lib. de Antiq.,*** n. 3; et ***Antiq.,*** lib. 12, c. 2.

2 ***De Vita Moysis,*** lib. 2, prope medium.

3 ***Quaest. hebr. Praef.;*** ML 23, 985; et ***Comment, in c. 5 Ezechielis;*** ML 25, 55.

4 Quae de Ptolomaeo, Demetrio Phalereo et septuaginta senioribus peritis dicta sunt, constant ex epistola Aristaeae ad Philocratem, quae, licet habeatur ut spuria, antiquissimae tamen est originis et auctoris certe rerum aegyptiarum versatissimi. Cfr. FI. Josephus et Philo locis citatis. Quod autem S. Justinus M., ***Cohortatio ad graecos,*** n. 13; MG 6, 265, addit illos septuaginta duos viros in totidem cellis separatis opus perfecisse, et singulos integram legem iisdemct verbis transtulisse, quamquam nonnulli Patres tenuerint, fundamento carere videtur. Cfr. S. Hieronymus, ***Praef. in Pental.;*** ML 28, 181.

6 Ita Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. I, c. 80, «Justinus autem».

° Volunt nonnulli Theodotionem sub Severo Augusto, 193-211, suam translationem complevisse.

7 Cfr. Eusebius, ***Ii. E.,*** lib 6, 17; MG 20, 560.

8 ***De Locis theol.,*** c. 4.

gorius *Veterem,* Orosius denique et alii communiter *Vulgatam. Altera* vero est quam adornavit S. Hieronymus, qui Novum Testamentum graecae fidei reddidit, et Vetus juxta hebraicum transtulit. Ex his duabus versionibus quaenam sit praeferenda, diu disputatum est. S. Augustinus stabat pro *Itala,* S. Isidorus decertabat pro altera. Tandem circa tempora S. Gregorii conflata est ex utraque (id est, ex libris aliquibus desumptis ab una, ex aliis vero ab altera) eadem illa ipsa, quam modo appellamus *Vulgatam,* quaeque habetur ut praecipuus labor D. Hieronymi. Ad quod intelligendum sciendum est Hieronymum bis Testamentum Vetus in latinum convertisse: primum ex graeco, id est, ex versione septuaginta interpretum; et rursum ex hebraeo, ut ipse testatur in praefationibus singulorum librorum, quos latinos fecit. Excipiuntur tamen libri Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch, duorum Machabaeorum, appendix libri Esther, Danielis duo ultima capita et Canticum trium puerorum, quorum hebraicum textum, ut ipse testatur, non invenit. Novum autem Testamentum ex graeco de novo non transtulit, sed totum ex Itala accepit, atque solum emendavit a multis erroribus, qui vitio librariorum irrepserant.—Psalterium, quod in Bibliis nostris legitur, non differt ab antiqua versione Itala, nec est opus Hieronymi. Haec est ergo *Vulgata* illa, quam Concilium Tridentinum authenticam declaravit, adeo ut eam nemo *quovis praetextu rejicere audeat vel praesumat»* [1].

4. Ad omnes denique orbis terrae linguas Bibliorum versiones factae sunt, quarum vel seriem texere longum foret et a nostro instituto alienum. Vide apud eruditos.

588. VI. Vulgatae authentia. Concilium Tridentinum regulam uniformem fidelibus praefigere et confusionem in citandis Scripturis vitare cupiens decrevit: *Ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat* [2].

Quae cum ita sint, operae pretium est quaedam de hac Vulgatae editionis authentia enucleare.

1) Primo igitur statuendum est hanc Vulgatam editionem ab omni errore *contra fidem et mores* esse liberam et prorsus immunem, id est, *authentia* pollere *conjormitatis,* ut ajunt, cum textu originali a Deo inspirato. Haec conformitas comprobatur

a) Ex regulis critices et studio comparativo amborum textuum, qui in rebus fidei et morum conveniunt.

b) Ex expressa Ecclesiae declaratione, quae in re tanti momenti falli non potest. *Longo tot saeculorum usu,* id est, traditione universalis Ecclesiae, editio Vulgata dicitur probata ut authentica. Ex quo conjicere licet cum cl. *Franzelin* decretum Concilii Tridentini, «quo explicite declaratur authentia editionis vulgatae censendum esse *decretum dogmaticum,* definiens scilicet factum conformitatis hujus versionis et editionis cum textu originali, ita ut sub hac forma vere permanserit et habeatur

1 Cfr. Danko, ***De Sacra Scriptura ejusque interpretatione Comment.,*** § 97.
2 ***Sess.*** 4: Denz-Bannw., 785.

in Ecclesia Dei S. Scriptura divinitus inspirata» [1]. Quare ipsi protestantes *Walton* [2] *Millius**, *Michaelis** et alii laudibus Vulgatam extulere.

2) Quamquam ex declaratione Concilii Tridentini certe deducatur nihil in Vulgata circa fidem aut mores a textu originali alienum contineri, defectus tamen quidam in litterali interpretatione, necnon errores grammaticales, additionesque vel omissiones parvi momenti interdum inveniuntur. Hoc gravissimi theologi *Andreas Vega* [5], *Lainez* [6], *Salmeron* [7], et alii non pauci [8]* qui Concilio Tridentino interfuerunt, disertis verbis declaraverunt, et *Bellarminus,* corrector Vulgatae, ait ad *Lucam Brugensem:* «Scias velim Biblia Vulgata non esse a nobis accuratissime castigata; multa enim de industria, justis de causis, pertransivimus, quae correctione indigere videbantur». Hinc decretum S. Congr. Concilii 12 Jan. 1576 quo vetabatur aliquid sustineri Vulgatae repugnans *etiam quod esset sola 'periodus, sola clausula vel membrum, sive vox, sive dictio sola, vel syllaba jotave unum,* si vere aliquando prodiit [°], prohibet, ait *Franzelin,* «ne quid asseratur repugnans editioni Vulgatae in rebus fidei et morum. Quod quidem responsum ante paucos annos (a. 1859), Summo Pontifice per vivae vocis oraculum approbante, datum esse b. m. P. Perrone mihi attestatus est» [10].

3) Ex his sponte sua sequitur Vulgatam editionem non attingere perfectionem apographorum quae servantur. Apographa siquidem sunt ipsa textuum originalium exemplaria transcripta, quae fidelius exprimunt sensum revelationis et majorem habent auctoritatem quam versio quaelibet ad aliam linguam facta. Unde SS. Patres et S. Scripturae interpretes non secus ac ipsa Ecclesia in dirimendis controversiis et illustrandis dubiis, quae circa sensum S. Scripturae passim excitantur, docuerunt textus originales seu apographa esse consulendos.

4) Declaratio Concilii Tridentini de authentia Vulgatae nihil detrahit auctoritati versionum antiquarum, ut patet ex scopo synodi, et solum argumentis criticis investigandum est, quae sit ex omnibus versionibus praestantior. Hinc factum est, ut vetustae versiones hebraicae, graecae, etc., magno in pretio semper habitae fuerint ab eruditis, tum ad voces ambiguas Scripturarum recte interpretandas, tum ad orationis

[1] ***De div. Script.,*** th. 18; «Quare etiam». Cfr. S. Bellarminus, ***De verbo Dei,*** lib. 2, c. 10 sqq.

[2] ***Proleg.,*** cap. 6; Migne, ***Cursus compl. S. S., I,*** 457 sqq.

[3] ***Proleg. in Nov. Test.***

[4] ***Supp. ad lex. hebr.,*** p. 3.

[5] ***In Concil. Trid.,*** lib. 15, c. 9.

[°] Apud Mariana, ***De edit. Vulgata,*** c. 21. Migne, ***Cursus compl. S. S.,*** vol. I, p. 838 sqq.

[7] ***Opera,*** t. 1, p. 24 sqq.

[8] Theologorum hac in re communem consensum ostendit Hodius, ***De antiq. Bibitor. versionibus,*** p. 2, lib. 3, c. 15.

[9] Hoc enim merito negant Branca, ***De Vulgata,*** t. 1, p. 31; Brunati, ***Diss, della Volg.,*** pp. 79-80, et alii; Serarius, ***Proleg.,*** c. 19, q. 11 refert illud esse ab haereticis hrancofurthi a. 1608 primo editum. In archivis romanis nunquam potuit documentum reperiri.

[10] ***De diti. Script.,*** p. 519. ed. 4. Abhinc paucis annis commissa est a Romano Pontifice putribus bcnedictiuis revisio Vulgatae.

proprietatem intelligendam, tum denique ad menda librariorum, si quae sint in aliis editionibus, corrigenda.

ARTICULUS II

QUID SIT S. SCRIPTURAE INSPIRATIO

589. Status quaestionis. Tradita jam notione S. Scripturae, et explicatis quae ad ejus penitiorem intelligentiam videbantur necessaria, operae pretium est librorum sacrorum inspirationem vindicare, ut inde concludere liceat sacros codices *Verbum Dei* esse et partem revelationis a Deo factae continere. Quia tamen *inspiratio* non recte ab omnibus intelligitur, in praesenti articulo de *natura inspirationis* in sequenti de *librorum sacrorum inspiratione* agemus.

590. Inspirationis erratae notiones. Inspirationis praeposteram vel minus exactam notionem plures tradidere.

1) *Protestantes* et *rationalistae* sub nomine inspirationis nihil aliud intelligunt, quam lumen quoddam mentibus celebriorum hominum affulgens juxta illud Tullii: «Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit» [1].

2) *Modernistae* docent inspirationem esse impulsionem vehementem mere naturalem «qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam dirigitur» [2].

3) *Nonnulli ex catholicis* volunt inspirationem proprie dictam esse manifestationem veritatis ignotae. Hi videntur inspirationem cum revelatione confundere. Ita *Janssens* [3] cum aliis paucis.

4) Agentibus *L. Lessio et Hamelio,* S. J., proposita fuit Lovanii anno 1585 haec thesis: «Liber aliquis, qualis est fortasse secundus *Machabaeorum*[4], humana industria sine adsistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra» [5].

5) *Jacobus Bonjrerius,* S. J., Lessii discipulus, docuit *adsistentiam*

1 ***De nat. dear.,*** lib. 2, 66. Stuart Mill, ***Essai sur la religion;*** Max. Müller, ***Ensayo sobre la historia de las religiones*** (hispanice versa) I; et alii eamdem inspirationem scriptoribus sacris ac auctoribus indis, persis, etc., de religione disserentibus, imo et paganorum oraculorum falsis vatibus tribuerunt. Cfr. Schmid, ***De inspirationis Bibliorum vi et ratione.***

2 Encycl. ***Pascendi*** Pii PP. X, § ***De librorum etiam sacrorum;*** Denz-Bannw., 2090.

3 ***Hermeneutica sacra,*** nn. 26-27.

4 Hanc de secundo Machabaeorum libro clausulam nonnulli omittunt.

5 Cum anno 1587 et 1588 propositio damnata fuisset a Facultatibus Lovanicnsi et Duacena, Lessius, Antithesi 6, data archiepiscopo mechliniensi, declaravit praefatae thesis hunc esse sensum: «Si aliquod opus pium et salutare humana industria ***ex divino instinctu*** conscriptum, publico testimonio Spiritus Sancti approbaretur tanquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem aeque infallibilem ac S. Scriptura, et recte Scripturam Sacram et verbum Dei appellatum iri. Nam ejusdem est auctoritatis epistola a rege dictata et ab eo subscripta, qui modus, ***etsi de jacto putem eum non inveniri*** in aliquo Scripturae canonicae libro, non tamen est impossibilis». Cfr. ***Coli. Lac., 7,*** 140; Kleutgen, ***Lessii de inspirat, doctr.,*** p. 482: Rnius. Lasser, ***Jlelat, de 1 Const, de Eide in Concilio Vai.***

concomitantem vel etiam *approbationem consequentem* Spiritus Sancti sufficere ad inspirationem L

6) *Joannes Jahn,* professor vindobonensis, inspirationem cum adsistentia confundens ait: «Ut igitur libri sint divinae auctoritatis, necesse est, ut scriptores auxilio (divino) suffulti omnem errorem caverint. Adsistentia divina ad praecavendos errores dicitur inspiratio, nomine quidem in scholis recepto, sed non satis congruo: adsistentia enim haec *nihil inspirat aut docet,* quod est revelationis, sed solummodo errores praecavet et impedit» 1. Jahnium praeiverant *Hen. Holden,* anglus 3, et *Phil. Ner. Chrisman,* ord. min. 4.

7) *Daniel Haneberg* 5,* episc. spirensis, putavit librum mere humanum ex eo fieri sacrum quod ab Ecclesia relatus fuerit in canonem. Sed hanc opinionem piisimus scriptor emendavit et librum ad normam doctrinae Concilii Vaticani corrigendum curavit 0.

591. Critica. Has inspirationis notiones doctrinae Concilii Vaticani aperte contradicere constabit ex dicendis.

1) *Protestantium* et *rationalistarum* explicatio prorsus absurda est et a vera inspirationis notione, quam tota antiquitas Christiana tenuit, prorsus aliena. Lumen siquidem, quo homines celebriores et sapientiores prae aliis eminent, non est inspiratio sed donum naturale.

2) *Modernistae* praescindunt omnino ab actione supernatural! Dei in inspiratione, quod nefas est 7.

3) *Revelatio* probe distinguenda est ab *inspiratione,* quatenus per illam res omnino ignotae, per inspirationem res aliunde notae homini manifestantur.

4) *Thesis,* quae L. Lessio tribuitur, prout jacet, cum clausula praesertim *quoad factum* secundi libri Machabaeorum merito reprobata est a Facultatibus Lovaniensi et Duacena, et non videtur posse conciliari

1 Tripliciter autumavit Spiritum Sanctum cum hagiographis agere posse, a) ***Antecedenter*** «quum inspirat, revelat, demonstrat quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu Sancto inspirata revelataque sunt, ad eum modum quo discipulus magistro dictante excipit quae ab eo proferuntur». Hoc pacto inspiravit hagiographis «res ob antiquitatem vel remotionem temporis aut locorum» arcanas et incognitas, b) ***Concomitanter*** «quum non ad modum dictantis et spirantis se habet Spiritus, sed ad eum modum, qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret». Hoc modo inspirati sunt juxta Bonfrcrium plures libri in canonem relati, c) ***Consequenter*** «si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia, a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanctus testaretur omnia, quae in eo scripta essent, vera esse. Certum enim est tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum et eamdem infallibilem veritatem habiturum quam habent caetera, quae inspiratione vel directione ejusdem Spiritus Sancti conscripta essent». Hoc modo «etsi non exsistimem Spiritum S. aliquando usum esse in iis quos habemus S. Scripturae libros, absolute tamen nihil vetat uti vel etiam aliquando usum esse Spiritum, forte in libris nonnullis ac scriptis, quos supra diximus Scripturam fuisse et postea tamen interiisse». ***Praeloquta in Script. Sacr.,*** c. 8, sect. 2-7.

2 ***tntrod. in libros sacros Vet. Foed.,*** a. 1814.

3 ***Anal, fidei div.,*** lib. 1, c. 5, lect. 1.

'· ***Regula fidei catholicae.*** 51: apud Migne, ***Theologiae Cursus compl.,*** 6, 908.

6 ***Versuch vitier Geschichte der biblischcn Offenbarung,*** Regensburg, 1850.

|| Post auctoris mortem editio 4.“ correcta prodiit a. 1876.

7 Cfr Deer ***I/intenta Iuli exitu,*** 3 Jul 1907, prop. 10; Donz-Bnnnw., 2010.

cum Concilio Vaticano, quod docet libros Scripturae pro sacris et canonicis in Ecclesia haberi, *non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde* (Ecclesiae) *auctoritate sint approbati... sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* x.

5) *Adsistentia concomitans* et *approbatio consequens* Bonfrerii non sufficiunt ad inspirationem. Influxus enim supernaturalis, quo Deus hominis intellectum illustrat et voluntatem movet ad scribendum, necessario requiritur ad inspirationem 1

6) *Jahnii sententia* vix distinguitur a Bonfrerii adsistentia concomitante. Juxta Jahnium Spiritus Sanctus «nullas novas cogitationes suppeditat scriptori, nihil eum docet, sed tantummodo impedit immixtionem errorum in iis quae jam novit». Quantum hoc distet a germana inspirationis notione, patet ex terminis.

7) *Haneberg denique opinio* falsitatis arguitur ex his quae *Em. Card. Franzelin* ait coram PP. deputatis in Concilio Vaticano: «Sicut Ecclesia, quia infallibilis est, nihil potest definire tanquam veritatem revelatam, quod a Deo revelatum non est, ita prorsus ex eodem charismate infallibilitatis nullum librum potest ponere in censu Scripturarum, qui divinitus inspiratus non est» 34

592. THESIS. Inspiratio est influxus quidam supernaturalis, quo Deus hominis intellectum illustrat et voluntatem movet ad scribendum, imo et scribentem dirigit, ut fideliter litteris consignet quae Deus vult *.

Tria, ut vides, ad veram inspirationem requiruntur: 1) *illustratio intellectus,* ut hagiographus veritates recte mente concipiat; 2) *motio voluntatis,* ut fideliter conscribere velit; 3) *auxilium Spiritus Sancti,* ut apte infallibili veritate jussa Dei exprimat.

1) *Illustratio intellectus* qua hagiographus rem scribendam concipit, est duplex: a) *praevia* una qua acquirit notitiam rei *(cognitio veritatis);* b) *concomitans* altera, qua intelligit et judicat argumentum rerum alias cognitarum esse scribendum *(judicium de cognitis).* Per illustrationem praeviam res in sua natura, per concomitantem ut scribenda cognoscitur.

Porro *illustratio praevia* quae est cognitio rei in sua natura, v. gr.. *Pilatus... tradidit Jesum jlagellis caesum,* est quidem de praerequisitis ad inspirationem, sed non de ejus essentia ac ratione formali. Potest enim hagiographus rerum scribendarum notitiam acquirere per revelationem, per studium, per auditum, visum, etc., sine dictatione Spiritus Sancti ad

1 Sess. 3, c. 2; Denz-Bannw., 1787. Quia tamen Lessius hypothetice locutus est et noluit Concilium de scholasticis disputationibus sententiam ferre, non videtur esse opinio eximii auctoris saltem directe damnata, ut expresse monuit episc. brixinensis in relat. de I Const, de Fide in C. Vaticano: Cfr. *Coli. Lac.,* ~, 140.

2 Cfr. Pesch, *Institutiones propaed.,* n. 624.

3 *De primo schem. Const.* Cfr. *Coli. Lac.,* 7, 1621.

4 Leo XIII, encycl. *Providentissimus* ait: «Supernatural! ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent». Donz-Bannw., 1952.

scribendum, et ibi incipit inspiratio, ubi incipit dictatio, ut bene ait *Billot* At illustratio *concomitans* seu judicium de scribendis cognitis, quo hagiographus judicat haec et illa esse sibi scribenda, est essentialis in inspiratione, et efformatur ex suggestu divino seu sub afflatu Spiritus Sancti in scriptore 1. *Virtute supernaturali... excitavit et movit eos* (Deus)... *ut recte mente conciperent.* Per hanc suggestionem ad scribendum dicitur Deus mentem scriptoris illustrare.

Hoc satis innuit *Canus* 3, et expresse docet *Obpstraet* dicens: «Sive ponas scriptores hagiographos aliunde quam ex inspiratione certissime cognovisse quae scribebant, sive etiam cognovisse ea prius ex inspiratione, nova tamen praeterea inspiratione iis opus fuit postea, dum scripsere» 4. Cum igitur homo, acceptis naturaliter vel supematuraliter rerum speciebus, illustratur ad efformandum judicium «hoc est litteris consignandum» inspirari dicitur 5.

2) *Motio voluntatis ad scribendum,* ut scribenda fideliter exprimere velit. Praeter illustrationem intellectus, motio etiam voluntatis, non tantum generalis ad scribendum de tali argumento, sed etiam specialis, quae ad omnia sese protendat, requiritur ad inspirationem. Deus siquidem non constituitur auctor historiae profanae per influxum generalem quem scriptori confert. Ad inspirationem ex hac parte requiritur specialis quaedam, immediata et efficax, motio Dei in voluntatem hominis, qua ultimo determinatur ad hoc vel illud scribendum. Hoc pacto Deus constituitur auctor principalis, homo causa instrumentalis libri.

Nemo tamen dixerit hagiographos sub hoc influxu et motione Dei fuisse libertate privatos, quia Deus, sicut in omnes homines salva eorum libertate agit, ita a pari movet voluntatem scriptoris influxu quodam speciali, ut id velit scribere quod Deus jussit litteris consignare.—Neque opus est scriptorem sub hac speciali Dei motione extra se rapi seu alienari a sensibus, ut montanistae olim contenderunt, sed satis est, ut homines per divinas illustrationes interius instructi et ad scribendum impulsi, suarum actionum conscii remaneant et sapientiam libenter aliis communicent. Ita cum scriptoribus factum esse facile colligitur ex eorum labore, vigiliis pleno, in conscribendis libris adhibito 6.

1 ***De inspiratione S. Scripturae,*** p. 1, c. 2, § 1, «Praeterea». In sententia satis probabili nonnulli S. Scripturae libri ex exsistentibus documentis mere humanis compositi sunt.

2 Cfr. S. Thomas, ***II-II,*** q. 174, a. 2 ad 3, et ***De veritate,*** q. 12, a. 7 et 12.

3 ***De Locis theol.,*** lib. 2, c. 18 ad 1.

4 ***De Locis theol.,*** diss. I. de Script., § 1.

5 Hic quaeri solet, an hagiographi sibi conscii fuerint inspirationis? Alii affirmant, quibusdam contradicentibus. Ad rem ait Franzelin: «Sicut in instinctu prophetico ad loquendum, quem S. Thomas, ***II-II,*** q. 173, a. 4, et caeteri theologi distinguunt a prophetia completa (Cfr. Aug., ***Gen. ad HU.,*** lib. 3, n. 37), ita etiam in inspiratione ad scribendum non videtur quidem essentiale, ut homo cognoscat se esse a Deo inspiratum; non tamen facile concedendum est, re ipsa alicui ex sacris scriptoribus suam inspirationem fuisse incompertam». ***De div. Scripturis,*** th. 3, coroll. 3. Vide Pesoh, ***Instil.,*** n. 616, et ***De Inspiratione,*** n. 420.

0 Cfr. Orig., C. ***Celsum,*** 7, 3-4; MG 11, 1424; S. Basil, (vel alius), ***In Is. prooem.,*** n. 5: MG 30, 125; S. Athan., C ***Arian.,*** Or. 3, n. 47; MG 26, 421 sq.; S. Joan. Chrysostomus, ***in*** /'s. 44, n. 1; MG 55, 184; S. Hieronymus, ***In Is. prol.;*** ML 24, 19, et alii. Num haec motio voluntatis sit physica vel moralis, quaestio est schola-

3) *Auxilium Spiritus Sancti,* ut apte infallibili veritate jussa Dei exprimat. Oportet praeterea, ut fragilitatem humanam Deus adjuvet, ne quid aut falsum annuntiet aut inspiratis ex proprio addat, sed omnia fideliter exprimat, ea dumtaxat, quae Deus manifestavit, scribendo.

593. Corollarium. Ex his conditionibus rite expositis quaedam licet inferre.

1) Ad inspirationem non sufficit sola revelatio veritatis quantumvis supematuralis, qua hagiographus acquirit notitiam rei, quia, ut diximus, acceptio notitiae praerequiritur quidem ad inspirationem, sed non est de ejus essentia. Revelatio est manifestatio rei ignotae, inspiratio influxus Spiritus Sancti ad scribendum, quod aliunde notum est. Possunt interdum revelatio et inspiratio simul concedi hagiographo inter scribendum, quin tamen ex hoc confundantur rationes earum formales.

2) Consilium aut praeceptum quod aliquando sancti a Deo accipiunt consignandi litteris quod in oratione intellexerunt, non est proprie inspiratio, quia ulterius requiritur motio voluntatis et auxilium Spiritus Sancti inter scribendum.

3) Ad inspirationem non sufficit, quod Deus suppeditet scriptori argumentum generale libri, eique adsistat inter scribendum ne erret; quia, ut jam diximus, Deus efficitur auctor libri, suggerendo omnia hagiographo a principio usque ad finem.

4) Adsistentia Spiritus Sancti, qua gaudent concilia oecumenica et Romani Pontifices in rebus fidei et morum definiendis, non est inspiratio, quia in simplici adsistentia non includuntur illustratio mentis et motio voluntatis.

5) Adprobatio subsequens Spiritus Sancti aut magisterii infallibilis Ecclesiae immerito vocatur a quibusdam inspiratio.

6) Inspiratio est influxus divinus non habitualiter sed transeunter receptus in hagiographo.

594. Scholion. Lubet hic breviter explicare, quomodo Deus et hagiographi sint auctores S. Scripturae.

Aucter dicitur causa efficiens libri; causa autem efficiens est duplex, *principalis* una, quae virtute propria agit, *instrumentalis* altera, quae virtute sibi a principali agente communicata operatur [1].

Qui dicunt Deum esse auctorem veritatum et sententiarum, rationis scilicet formalis librorum, et hagiographos auctorem partis materialis—styli, electionis verborum, compositionis librorum—quasi ambo sint duae causae partiales S. Scripturae, non tam explicare videntur quam fugere difficultates quaestionis.

Deus et hagiographi sunt proculdubio causae totales et auctores totius libri in diverso genere causarum, Deus nimirum causa et auctor principalis, et hagiographi auctor instrumentalis eorum quae in sacris litteris continentur [2].

a) Deus qua auctor principalis suggerit hagiographo quae Ecclesiae communicare vult, id est, movet hominem, sicut causa principalis movere solet instrumentum, ut integrum librum scribat, non solum res et sententias seu sensa et veritates dictando, sed ipsa quoque verba, prout inferius explicabitur, suggerendo. Porro effectus, qui per instrumentum producitur, tribuitur totaliter tum causae principali tum instrumento. Ergo Deus est auctor totius S. Scripturae.

b) Hagiographi sunt instrumentum Dei in conscribendis libris sacris. Instrumentum autem, ait S. *Thomas,* «habet duas actiones: *unam* instru-

stica in present! minime discutienda. Cfr. Dominicus a SS. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect, i, c. 9.

1 Cfr. S. Thomas, ***De veritate,*** q. 27, a. 4.

2 «Idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus». S. Thomas, ***Contr. Gent.,*** 3, 70.

mentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; *aliam...* propriam quae competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum» Hagiographus exercet *propriam operationem* concipiendo et formando sententias de rebus cognitis; *actionem instrumentalem* peragit virtute a Deo sibi derivata.

Deus, qui omnia disponit suaviter, movit hagiographos secundum indolem, culturam ac dispositiones peculiares singulorum. Hinc non violenter eos impulit ad scribendum, neque per eos ad instar canalis transmisit sententias aut verba divina ad Ecclesiam, sed adsumpsit eos ut instrumentum rationale et liberum, ut modo sibi accommodato integrum cum Deo efficerent opus. Nemo igitur negaverit hagiographos fuisse auctores totius S. Scripturae in genere causae instrumentalis 1.

ARTICULUS III

AN OMNES ET SINGULI LIBRI S. SCRIPTURAE CUM SINGULIS SUIS PARTIBUS FUERINT DIVINITUS INSPIRATI

595. Status quaestionis. Difficultas refertur ad omnes et singulas partes librorum, qui in canone tridentino recensentur, praecisione facta de extensione inspirationis ad sententias et verba; et quaeritur, an omnes et singulae partes, sive doctrinales sint sive historicae, geographicae, astronomicae, geologicae, etc., a Deo inspiratae sint juxta datam de inspiratione notionem.

596. Errores et auctorum sententiae, i) *Protestantes veteres* communiter docuerunt libros deuterocanonicos Novi Foederis non fuisse divinitus inspiratos. Ex recentioribus *nonnulli* adsentiunt catholicis, *alii* dubia movent de inspiratione cc. 1-2 S. *Matth.,* 12 ult. vv. capituli ultimi S. *Marci,* c. 21 S. *Joannis* et Apocalypsis ejusdem 3.

2) *Bonfrerius* et alii cum eo, approbatione consequente Spiritus Sancti vel etiam magisterii Ecclesiae contenti, quosdam libros a vera Spiritus Sancti inspiratione subtraxerunt.

3) *Erasmus Grotius* et alii, antiquos manichaeos, gnosticos et marcionitas sequuti, nonnullos integros libros et aliorum partes non esse inspiratos docuerunt.

4) *Plures scriptores,* etiam ex catholicis, contenderunt quasdam partes Scripturarum non fuisse a Spiritu Sancto inspiratas: a) Partes non doctrinales S. Scripturae humana mere industria sine inspiratione et adsistentia Dei juxta *Henricum Holden* (f 1622) ", et adsistentia pure negativa Spiritus Sancti juxta *Chrismann,* ord. min. e. compositae sunt, b) *Mr. Guizot,* protestans, narrationes historicas, et chronologicas, et scientiarum naturalium doctrinas, quae in sacris litteris inveniuntur, cum principiis verae scientiae

1 ***III p.,*** q. 62, a. 1 ad 2.

2 Cfr Zanecchia, ***Divina inspiratio,*** c. 5; Billot, ***De inspirat. S. S.,*** p. I, c. 2, § 2; et Van Noort, ***De Pontibus revel.,*** n. 63 sqq.

3 Supremum tribunal ecclesiae anglicanae declaravit mense Junii 1863 quasdam partes S. Scripturae inspirationi subtrahi posse.

1 ***In Matth*** , 2, 7. Ab hae tamen imputatione se defendit Erasmus in ***Apologia adversus monachos quosdam hispanos.***

° ***Analysis lid. div.,*** lib. i, c. 5, lect. 1.

' ***Regula fidei catholicae,*** § 51, MIκηο, ***theologiae Cursus completus,*** 6, 008,

conciliare non valens, dogmata tantum autumavit esse inspirata. Huic theoriae subscripsisse videtur *Lenormanl,* cum dixit inspirationem non se extendere nisi ad ea, quae pertinent ad religionem in materiis fidei et morum, id est, ad doctrinas supernaturales contentas in Scripturis 1. c) *Em. Card. Newman* 2 arbitratus est ea, *quae obiter dicta sunt,* incisa scilicet et notulas in textu sacro insertas, ut sunt salutationes in epistolis, narratio penulae a Paulo Troade relictae 3, etc., esse opus mere humanum.

5) *Modernistae* docent inspirationem divinam non ita ad totam Scripturam Sacram extendi, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore praemuniat 4.

6) *Rationalistae* denique hodierni libros sacros putant esse mere humanos 5.

597. Thesis. Omnes libri S. Scripturae, qui in canone tridentino recensentur, cum omnibus et singulis eorum partibus divinitus inspirati sunt.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait ad Timotheum: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* 6. Et S. Petrus addit: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* 7.

Arg. II. *Ex SS. Patribus et veterum testimoniis ac documentis.* a) S. *Clemens Romanus* ait ad Corinthios: «Diligenter inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula. Attendite nihil injustum neque perversum in illis scriptum esse» 8. S. *Irenaeus:* «Omnis Scriptura, inquit, a Deo nobis data» est 9. *Clemens Alex.:* «Possem etiam alias tibi Scripturas afferre pene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus»10. *S. Gregorius Nyss.:* «Quaecumque S. Scriptura dicit, Spiritus Sancti sunt voces sive effata» n. S. *Athanasius:* «Namque libri (Scripturarum) Deo afflante scripti» sunt12.†1

' ***Les origines de Thistoire d'après la Bible et les traditions des peuples orient.,*** Paris, 1880, Préface, p. VIII. Nihilominus auctor ibidem, p. XVI addit: «La doctrine chrétienne distingue dans la Bible, comme deux choses différentes, la révélation et l'inspiration. Tout y est inspiré; tout n'est pas révélé». Strenue contra eum pugnavit P. Hummelauer, ***Inspiration und Mythus*** (Stimmen aus Maria-Laach 1881). Lenormanl humiliter se subjecit decreto Indicis 19 Dec. 1887 quo ejus liber damnatus est.

2 ***The Nineteenth Century*** (saecul. xix), Febr. 1884; et opusculo ***What is of obligation,*** etc.; ***On the inspiration of Scriptura.*** Vide super hoc Healy, ***Papers and Addresses,*** 1909, p. 404.

3 ***II Tim.,*** 4, 13.

4 Deer. ***Lamentabili,*** 3 Jul. 1907, prop. 11; Denz-Bannw., 2011.

5 Strauss, ***Glaubenslehere,*** § 7.

6 ***II Tim.,*** 3, 16.

7 ***II Petr.,*** I, 21.

8 ***I Cor.,*** 45, 2; MG 1, 300.

9 ***Adv. haer.,*** lib. 2, c. 28; MG 7, 806.

10 ***Coh. ad gentes,*** c. 9; MG 8, 192.

11 ***Orat.*** 6, ***Contra Eunom.,*** lib. 7; MG 45, 743.

12 ***Orat. de Incarn. Verbi,*** n. 33; MG 25, 153. Interminabilis forem, si omnia vellem SS. Patrum circa hoc effata colligere. Conferat qui velit S. Joannem Chrysostomum, ***Hom. in Gen.,*** hom. 2, n. 2; MG 53, 28; S. Cyprianum, ***Praej. in lib. testim.;*** ML 4, 703; S. Ambrosium, ***De Spiritu Sancto,*** lib 3, c. 16, η. 112; MI. 1Θ, 837; et alios qui organa fuerunt traditionis universalis.

b) His accedunt veteres scriptores qui traditioni Ecclesiae communiter subscribunt [1], versiones complures quae omnes libros canonis tridentini continent [2], codices vetustissimi qui eosdem libros citant [3]; et monumenta antiquitatis, quae eventus varios ex libris sacris tum protocanonicis tum deuterocanonicis indiscriminatim desumptos passim exhibent. Sic in catacumbis, sarcophagis, et aliis vetustissimis monumentis picturae et exsculpturae variae invisuntur, quae gesta referunt Tobiae, Danielis, etc. [4].

Arg. III. *Ex Conciliis.*

a) *Concilium Florentinum* in decreto pro jacobitis ait: «Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur» [5]*Ecclesia.

b) *Concilium Tridentinum* solemniter hoc declaravit dicens: «Sacrosancta oecumenica et generalis synodus... omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit... *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... a.* s.» [6]. Idem repetit Concilium Vaticanum [7].

598. Arg. IV. Hanc doctrinam egregie confirmavit Leo XIII, et simul quorumdam catholicorum quos retulimus repressit audaciam dicens: «Nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum S. Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt» [8].

ARTICULUS IV

SITNE S. SCRIPTURA IMMUNIS AB ERRORE

599. Status quaestionis. 1) Quaeritur hic, an in S. Scriptura omnia ita affirmentur vel negentur, ut adsertiones adamussim conveniant objectivae rerum veritati.

1 Cfr. Comely, ***Compendium,*** Introd, gen., diss. 3, c. 4; et ***appendices,*** II.
2 Vide Vigoureux, ***Manuel biblique,*** nn. 93-160.
3 Plures in musaeo britanico conservantur.
4 Cfr. Martigny, ***Dictionn. des anliq. chrétiennes,*** vv. «Daniel», «Tobias», etc.; Maruoohi, ***Man. di archeol. crist.,*** p. 5, c. 6.
[5] Denz-Bannw., 706.
[6] ***Sess.*** 4; Donz-Bannw., 783-784.
[7] ***Sess*** 3, c. ***2;*** Donz-Bannw., 1787.
8 Encycl ***ProvidentisUmus lieu .,*** 18 Nov. 1893; Donz-Bannw., 195° sq*l

2) Loquimur de Scripturae adsertionibus, quae vere sunt verbum Dei, non de propositionibus quas hagiographi ponunt non semel in ore aliorum, v. gr., impiorum.

3) Ex libris sacris alii sunt historici, alii prophetici, alii sapientiales, etc., quibus non eadem veritas subest. Parabola ex. gr. est narratio ficta habens suam veritatem ad illustrandas doctrinas per translationem significatas; dum narratio proprie historica habet veritatem in obvia et naturali verborum significatione. Quare propositiones, quae historice falsae sunt, possunt continere veritatem parabolae, ut cum Christus ait: *Exiit·, qui seminat, seminare semen suum* 1; quamvis reapse non exierit homo, secundum parabolam seu translationem verborum verum annuntiavit de praedicatoribus; et sic de caeteris generibus litterariis quae in Scriptura passim occurrunt.

Ad artem criticam sub magisterio Ecclesiae spectat determinare speciem litterariam qua scriptor usus est. Hic solummodo quaeritur, an omnes adsertiones S. Scripturae contineant veritatem, quae convenit generi litterario ab auctore adhibito.

600. Errores et theologorum placita, i) Diversi diversa in hac parte tradidere.

a) *Aliqui* docent errores quamphirimos, non modo scientificos verum etiam dogmaticos in S. Scriptura contineri 2.

b) Qui inspirationem ad doctrinas fidei et morum restringunt, vel aliquo modo coangustant, errores historicos, astronomicos, geologicos, etc., facile in S. Scriptura admittunt.

c) *Alii* volunt omnia, quae sunt in S. Scriptura, a Deo inspirari, doctrinas vero religiosas et morales revelari; quae autem revelata sunt esse immunia ab errore, non vero quae tantummodo inspirata sunt. Hinc facile ponunt in S. Scriptura errores circa scientias profanas, historiam aliasque res naturales. fta *Lenormant, Hulst, Loisy* et alii 3.

2) Schola *neo-critica,* ne Ecclesiae decisionibus videretur adversari, novam methodum amplae interpretationis excogitavit: a) Plures ex ea volunt in S. Scriptura *traditiones populares* sub specie historiae ad alias veritates altius significandas saepe narrari 4. b) Alii dicunt in libris sacris citationes seu insertiones implicitas documentorum alienae manus reperiri, adeo ut hagiographus solum respondeat de veritate citationis, relinquendo judicium de veritate rei citatae auctori documentorum vel discreto lectori, c) Quidam confugiunt ad *formulas apparentes,* communi modo loquendi temporis in quo hagiographi scripserunt adaptatas. Sicut in scientiis naturalibus, ajunt, juxta *Leonem XIII* 56formulis popularibus non scientificis

1 ***Lue.,*** 8, 5.

2 Ita nuperi protestantes, rationalistae, increduli, etc.

3 Lenormant, ***Origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux,*** 1880, Préface, p. XVI; D'Hulst, ***La question biblique,*** Paris 1893; Loisy, ***Études bibliques,*** 1903, II et III.

1 Defensores traditionum popularium contendunt a) librum ***Geneseos,*** saltem usque ad caput undecimum inclusive, nullam historiam continere nisi dogmata creationis et peccati originalis; b) libros ***Job, Judith, Tobiae, Jonae, Esther*** et ***Danielis*** non esse historicos; c) alios V. T. libros, qui historici dicuntur, in rebus minutis vel secundariis non esse omnino fideles, sed facta referre ab antiquis annalibus accepta; d) in historia quoque N. T. nonnulla referri, quae populorum traditiones sapiunt. Ita Loisy, ***Études bibliques,*** Paris 1903, II et III; Girerd, ***Annales de Philosophie,*** Juillet 1903; Hummelauer, ***Exegetisches sur Inspirationfrage,*** et alii.

6 Encycl. ***Providentissimus;*** Donz-Bannw., 1947.

usi sunt scriptores sacri, ita in historia adoptarunt formulas apparentes, contrarias quidem regulis critices, sed omnino conformes modo loquendi sui temporis *. d) Dicunt etiam genus litterarium quo antiquitus scribebatur historia esse diversum a genere critico hodierno. Illud fuit Uberum et non tantum rei veritati quantum praeoccupationibus temporum et narrationibus popularibus conforme, dum critica hodierna rei veritatem omnino quaerit ac investigat 1.

Ex his principiis plura deducunt: a) Nonnulli docent libros historicos V. T. nostris fabellis et romanensibus (nouvelles) esse pares, eo fine scriptos, ut doctrinae morales populis suaderentur. Unde narratio creationis, vitae patriarcharum, diluvii, etc., non fuit historica.

b) Alii contendunt in S. Scriptura non semper veritatem *absolutam* enuntiari, sed aliquando *relativam* seu *oeconomicam,* quae juxta alios in eo consistit quod pro circumstantiis temporum hominibus verum videatur, quamvis objectivae realitati non correspondeat 34 juxta alios in eo quod possit evolvi atque progredi juxta progressum scientiarum Haec omnia improbavit *Benedictus XV* in encyclica *Spiritus Paraclitus,* 15 Sept. 1920. *(Enchiridion biblicum,* 466 sqq.)

3) Modernistae denique docent plura esse in S. Scriptura dogmatice vera quae historice falsa sunt, ac vice versa; hoc ita exaggeravit *Loisy* ut adsereret nullum in Scriptura caput a Genesi ad Apocalypsim eumdem pro critico ac pro theologo habere sensum.

601. THESIS. Libri sacri nullum quantumvis minimum continent errorem.

Arg. Auctor S. Scripturae est Deus, ceu superius dictum est et docet S. *Thomas* 5.* Sed Deus, qui est ipsa veritas, nullum errorem vel minimum docere potest. Ergo. Ad rem *Leo XIII:* «Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse... Consequitur, ut qui in locis authenticis librorum quidpiam falsi contineri posse exsistimant, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notitiam pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem»8. *PiusX* sub die 3 Julii 1907 damnavit sequentem propositionem: «Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore praemuniat». (Decreto *Lamentabili,* prop. 11 7.) Praeiverat S. *Thomas* dicens: «Scripturae sacrae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur» 8.

602. Corollarium I. Cum omnimoda inerrantia S. Scripturae conciliari non possunt auctorum opiniones sub n. 1) recensitae. Absit enim ut Deus per hagiographos aliquid, nedum dogmaticum, sed nec historicum, geographicum, chronologicum, physicum, astronomicum, geologicum et quomodocumque scientificum, a veritate alienum eloqui voluerit.

1 Ita Prat, ***La Bible et l'histoire,*** Paris 1904; Hummelauer, et alii, locis citatis.
2 Hummelauer, 1. c.—Vide Murillo, ***Critica y exégesis,*** part. I, § 5-6.
3 Lagrange, ***Methode historique,*** 3,me- conférence.
4 Loisy, ***Études bibliques,*** 3.
0 ***/ p.***. q. i, a. 10.- Prima regula in exegesi biblica debet esse juxta Angelicum Doctorem, ***I p.,*** q. 68, a. i, «ut veritas Scripturae inconcusse teneatur».
° Encycl. ***Providentissimus;*** Denz-Bannw., 1951.
7 Denz-Bannw., 2011.
" ***De potentia,*** q. 4, a. 1.

a) Facile colliges sacros codices ab erroribus physicis, astronomicis, geologicis, etc., omnino immunes esse, si prae oculis habeas hagiographos non *intimam adspectabilium rertim Constitutionem* docere voluisse, sed ea quae sensibiliter apparent secundum *externam speciem* seu *apparentiam* exponere, ut etiam hodie communis fert usus inter ipsos homines scientissimos [1]. Ita omnes, etiam physicae cultores, dicunt solem oriri aut occumbere ac moveri circa terram, terram stare, et alia hujusmodi sexcenta, quae, licet scientiae repugnent, sensibus ita reapse apparent. Quare sacri scriptores, sive sciverint, sive non—hoc nihil refert—intimam rerum constitutionem, saepe de mundo locuti sunt secundum apparentiam, adserendo solem oriri aut occidi [2], imo et moveri circa terram [3], terram in aeternum stare [4], etc., quibus alia proculdubio significabant quae vera sunt.

b) Noluerunt hagiographi tractatum de scientiis naturalibus instituere, sed, de illis interdum loquendo, alia voluerunt altiora et utiliora fidelibus tradere. Unde circa scientias naturales potuerunt *adhibere locutiones juxta opiniones erroneas suorum temporum* cum vera tamen interpretatione compatibiles; id est, potuit Deus movere hagiographos, communibus opinionibus suae aetatis circa scientias naturales imbutos, ad consignandam litteris aliquam veritatem altiorem sub formula communi erronea, dummodo ipsum errorem non docuerit. Ita Moyses de vicissitudine diei atque noctis locutus est in hexaemeron juxta opinionem sui temporis, ut doceret cuncta esse a Deo creata [6].

603. Coroll. II. Doctrina de veritate *relativa* seu *oeconomica,* quam Loisy et alii sacris litteris tribuunt, absurda est et dignitati Scripturarum contraria. Veritas relativa, quae est conceptio quaedam magis approximans non tamen conformis objectivae realitati, non est veritas, quae essentialiter consistit in adaequatione rei et intellectus. Unde, qui nolunt admittere in libris sacris nisi veritatem relativam, destruunt certitudinem doctrinae inspiratae, et Deum accusant de tradita doctrina erronea [°].

604. Coroll. III. Sana critica tum antiqua tum hodierna merito defendit Pentateuchum, Isaiam et Danielem auctoribus tribuendos esse quorum nomina gerunt. Quare *Commissio biblica* expresse declaravit Pentateuchi authentiam negari non posse [7] et Isaiam caeterosque prophetas vera edidisse vaticinia [8].

1 Cfr. Encycl. ***Providentissimus;*** Denz-Bannw., 1947.—«Moyses, ait S. Thomas, rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens, illa solum cis proposuit, quae manifeste sensui apparent». ***I p.,*** q. 68, a. 3.

2 ***Ps.*** 103, 19-22.

3 ***Jos.,*** 10, 12-13.

4 ***Eccles.,*** i, 4.

5 ***Commissio de re biblica*** sub die 30 Junii 1909 declaravit:

Ad IV. In interpretandis trium priorum capitum ***Geneseos*** locis, «quos Patres et doctores diverso modo intellexerunt... licere Ecclesiae judicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit sequi tuerique sententiam».

Ad V. Non esse necessarium omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipere sensu proprio.

Ad VI. Praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretationem allegoricam et propheticam... adhiberi sapienter et utiliter posse.

Ad VII. Cum in conscribendo primo ***Geneseos*** capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere, sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus ct captui hominum accommodatam, non esse opus in horum interpretatione adamussim semperque investigare scientific! sermonis proprietatem. Denz-Bannw., 2124 sqq.

° Vide Mattiussi, ***La scuola caltolica,*** Marzo, 1903; Billot, ***De immutabilitate traditionis,*** c. 4; ***Epheni. Divus Thomas,*** a. 1905, pag. 180 sqq.

7 27 Junii 1906; Denz-Bannw., 1997 sqq

8 Die 29 Junii 1908; Denz-Bannw., 2115 sqq.

605. Coroll. IV. Ex allegoriis parabolisque S. Scripturae immerito concludes sacros codices mythis, legendis atque fabulis esse refertos. Essentialis quippe interest differentia inter mythum et allegoriam. Tum allegoriae et parabolae quum mythi atque legendae exhibent quidem personarum rerumve fictarum facta dictaque supposititia, sed maxime inter se distinguuntur, quia in allegoriis et parabolis ita accipiuntur ideae abstractae loco personae, virtutis aut vitii, ut veritas facile distinguatur ab ornatu litterario; at in mythis et legendis omnia ita miscentur, ut impossibile sit vera a falsis discernere, historiamque, si quam habent, a genere litterario separare.

606. Coroll. V. Fautores scholae neo-criticae, licet plerumque bene mereantur ab Ecclesia, nimis tamen videntur aliquando concedere rationalistis, dum plurium librorum historicitatem negant contra communem Ecclesiae traditionem. Post investigationes recenter factas negari non potest metaphoras, allegorias, historias quoque liberas, juxta genus litterarium, quod auctor selegit, in sacris libris non semel contineri, sed hoc principium exegeseos quibuscumque historiae biblicae difficultatibus adhiberi non potest. Quare regula quam ex Leone XIII dedimus pro explicandis difficultatibus scientificis, adserendo hagiographos in scientiis naturalibus locutos fuisse secundum formulas populares, non est omnino applicanda rebus historicis 1. Rationes hujus differentiae sunt: i) quia de scientiis naturalibus est sermo in vita quotidiana etiam inter sapientes juxta communem loquendi modum, prout res apparent sensibus, non ita in rebus historicis; 2) quia scientiae naturales non traduntur in Scriptura directe ad instruendos homines sed per transennam ad altiores veritates significandas, facta vero historica plerumque directe; 3) quia scientiae naturales ad ordinem moralem non pertinent, bene tamen facta historica 23 Hinc

a) Caute admodum et non sine solido argumento admittendae sunt in libris sacris traditiones populares sub specie historiae

b) Citationes implicitae documentorum alienae manus, quorum adserta auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendat, non sunt admittendae, nisi, «salvis sensu ac judicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur, i) hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, ct

1 «In omnibus autem, ait S. Thomas, *I p.,* q. 102, a. I, quae sic (historice) Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae et desuper spirituales expositiones fabricandae».

2 *Commissio de re biblica,* die 30 Junii 1909 expresse declaravit:

Ad I. Varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri *Geneseos* excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento non fulciri.

Ad II. Doceri non posse tria priora capita *Geneseos* continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet objectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas.

Ad HI. Sensum litteralem historicum in dubium vocari non posse, «ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae Christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu justitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedicntiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum dejectio ab illo primaevo innocentiae statu; necnon Reparatoris futuri promissio»; Donz-Bannw., 212t.

3 Cfr responsum *Commissionis de re biblica,* 23 Junii 1905; Donz-Bannw., 1980.

2) eadem nec probare nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui» J.

c) Quae de differentia inter criticam hodiernam et antiquum modum scribendi historiam deducunt neo-critici, carent fundamento. Facilius crediderim errorem in critica hodierna quam in sincera hagiographorum narratione delitescere.

His praenotatis, magna exsistimamus discretione opus esse in judicandis recentiorum opinionibus. Magisterium Ecclesiae hucusque reprobavit opera quorumdam auctorum *(Bartolo, Lenormant, Loisy, D'Hulst, Hautin,* etcetera), qui theorias protestantico-rationalistas familiarius quam oportet sequuti ipsam inspirationem inficiari videbantur, sed quoad alia caute procedit. Solutiones itaque recentiorum non semel fundatae sunt et, ubi oportet, prudenter adhibendae.

607. Coroll. VI. Theoria modernistarum qui cum *Loisy* docent quaedam esse in sacris libris dogmatice vera et historice falsa, Sacramque Scripturam diversum pro theologo ac critico habere sensum, merito proscripta est ab Ecclesia 1.

ARTICULUS V

UNDE NOBIS INNOTESCAT INSPIRATIO ALICUJUS LIBRI

608. Status quaestionis. Pseudo-mystici quidam, haeretici et pagani, fingunt multitudinem librorum apocryphorum, quos exhibent ut sacros et a Deo inspiratos, dum rationalistae, protestantes et increduli vel libros canonicos subtrahunt inspirationi vel dignoscendos esse ajunt criterio admodum inadaequato. Ut regula certa in hac parte habeatur, statuendum est critérium authenticum quo libri sacri ut tales dignosci valeant et a non inspiratis tuto discerni.

609. Errores. 1) *Protestantes* plerique, rejectis traditione et Ecclesiae magisterio, ad criteria confugiunt ipsis libris interna. «Distinguunt autem critérium triplex, ait *Franzelin* 3, a) *historicum,* quod constituunt in miraculis et prophetiis in Scriptura comprehensis (in narratione scilicet miraculorum et prophetiarum, non in eorum patratione); b) *alterum* quod ipsi appellant internum, et quod melius dici posset *dogmaticum,* collocatum in sanctitate, sublimitate et consensione doctrinae hisce libris contentae; c) aliud quod dicunt *empiricum,* quodque repetunt ex miris effectibus, quos animi legentium ex vi et efficacia verbi Dei experiantur 4. (Vide *Card. Wisseman. De praecipuis doctrinis Ecclesiae catholicae,* lect. 2.) Addunt aliqui d) quod possumus dicere argumentum *aestheticum* conjungendum cum criterio dogmatico, illudque ponunt in sublimitate et simplicitate dictionis» 5.

2) *Joannes David Michaelis* 6 docuit unicum inspirationis critérium esse *testimonium Christi et apostolorum* pro libris Veteris Testamenti et *munus apostolatus* pro Novo Testamento, adeo ut in Veteri Testamento libri a Christo, vel apostolis citati et in Novo ab apostolis scripti dicantur inspirati.

1 Ita ***Commissio biblica,*** die 13 Februarii 1905; Denz-Bannw., 1979. Vide Delalre, ***Autour de la question biblique,*** ch. 2-3.

2 Decr. ***Lamentabili*** Pii PP. X, prop. 61; Denz-Bannw., 2061.

3 ***De div. Script.,*** th. 5.

4 Singularis scilicet ***gustus*** ac ***sapor, naturalis sensus religiosus,*** etc., quos protestantes experiuntur in lectione S. Scripturae.

5 Cfr. Hurter, n. 165; et Comely, ***Comp.,*** append. 2, η. 6.

° ***Introd, in N. Test.,*** t. 1, c. 3.

610. Thesis, a) Licet inspiratio quorumdam librorum nobis constare possit ex aliis libris communi Christianorum consensu susceptis, b) critérium tamen authenticum, quo omnes libri Scripturae ex integro cognoscantur ut inspirati, nequit aliud esse quam testimonium «traditionis divinae» per magisterium Ecclesiae expositae.

Prob. 1.a pars.

Arg. Certum omnino est ex historia et critices regulis multos hodierni canonis libros in canone judaeorum antiquitus relatos esse. Sed Christus et apostoli Scripturam judaeorum non semel approbarunt ut divinitus inspiratam [1]. Ergo quidam libri, illi saltem quos historice et critice constat ut canonicos apud judaeos habitos esse, ex aliis libris communi Christianorum consensu acceptis cognoscuntur ut inspirati. Hinc ex testimonio Christi et apostolorum certo novimus libros saltem protocanonicos V. T., quos judaei semper in suo canone retinuerunt, inspiratos esse. Imo inspiratio quarumdam epistolarum S. Pauli haud obscure colligitur ex illis verbis S. Petri: *Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini, sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem* [2].

611. Prob. 2.a pars.

Arg. «Cum inspiratio sit, ait rectissime *Cornely,* factum supranaturale mere internum, tres tantum, uti patet, excogitari queunt fontes, quibus aliis innotescat: aut ipso nimirum *inspirationis effectu,* i. e., indole et charactere singulari libri inspirati, aut *testimonio hominis inspirati,* aut *Dei inspirantis testimonio»* [3], in S. Scriptura vel traditione contento. Sed nullus inspirationis effectus nullumve hominis quantumvis inspirati testimonium, imo nec ipsum Dei testimonium, quatenus in Scripturis continetur, satis nos docent quinam libri sint divinitus inspirati. Ergo critérium inspirationis dignoscendae est solum Dei testimonium in traditione contentum. Prob. min.

a) *Effectus inspirationis* seu indoles et character libri inspirati nihil aliud sunt quam criteria illa interna protestantium, enarratio scilicet miraculorum et prophetiarum, sublimis doctrina et pura dictio librorum atque singularis gustus et sapor quos eorum lectio producit. Sed haec nimis vaga sunt et arbitraria, non certa ac determinata; et protestantium experientia satis nos docet ea non sufficere ad demonstrandam librorum inspirationem. Ergo.

b) *Testimonium hominis* quantumvis qualificati potest quandoque oriri ex illusione cui homo obnoxius est, et non sufficit ad manifestandam inspirationem.

1 Cfr. ***Joan.,*** 5, 34 sqq.; ***Matth.,*** 5, 18; ***Luc.,*** 16, 17.
2 ***II Petr.,*** 3, 15.
3 ***Comp.,*** app. 2, n. 7.

c) *Testimonium Dei,* quatenus continetur in libris sacris, valde incompletum est de inspiratione librorum sacrorum. Ex libris siquidem nostri canonis pauci admodum a Deo testantur esse inspirati.

Relinquitur ergo unicum critérium inspirationis librorum sacrorum agnoscendae esse testimonium traditionis divinae, authentico Ecclesiae magisterio declaratum. Hoc nos certam habemus regulam, qua tuto cognoscimus canonem librorum sacrorum communemque conservamus fidem, dum protestantes magis ac magis inter se divisi discordiis perpetuis torquentur.

612. Corollarium. Opinio *Michaelis* quoad critérium inspirationis Novi Testamenti dignoscendae falso nititur fundamento. Confundit enim munus apostolatus, quod est charisma habituale, cum dono inspirationis quod est charisma omnino transiens. Quare non omnes nec soli apostoli libros scripserunt '.

ARTICULUS VI

UTRUM RES ET SENTENTIAE TANTUM VEL ETIAM SINGULA VERBA S. SCRIPTURAE SINT DIVINITUS INSPIRATA

613. Status quaestionis. 1) In S. Scriptura sedulo distinguenda est ratio formalis a parte materiali. *Rationem formalem* constituunt res et sententiae seu veritates; *ad partem materialem* spectant signa quibus veritates exprimuntur, verba nimirum et constructiones, ordo rerum et dispositiones partium.

Res omnes singulasque sententias Bibliorum divinitus inspiratas esse liquet ex dictis; verba quoque nonnulla, quae mysteria humanae rationi impervia continent, esse a Spiritu Sancto dictata facile conceditur. Sed quaestio est, an omnia et singula verba, quibus sensus S. Scripturae exprimitur, sint etiam inspirata, adeo ut verba, stylus, ordo rerum, etc., uno verbo *pars materialis* librorum sacrorum Spiritui Sancto tribuatur.

2) Dupliciter potest Deus verba inspirare: a) singula verba dictando, eo ferme modo quo judex sententias scribendas amanuensibus dictat, sola materiali scriptione hagiographis relicta, b) Sua efficacissima actione, quatenus est auctor et causa principalis physica, movendo psychologice hagiographos ad instar instrumenti, ut possint ipsi qua causae instrumentales sub influxu divino sententias concipere, et verba, formam litterariam atque ordinem libri, seligere.

614. Placita theologorum, a) Elapso saeculo praevaluit opinio eorum qui dicebant Spiritum Sanctum inspirasse hagiographis omnes et singulas sententias S. S. eaque verba quae dogmata et mysteria occulta continent, sed non omnia vocabula quae ad alia se referunt. Ita *Wirceburgenses* 2,

1 Merito docent catholici contra Schanz, *Apologie des Christentums,* ed. 2.», part. 2. Freiburg, 1897, pag. 541 sqq.. munus apostolatus non includere inspirationem. Vide Pesch, *Apparatus,* p. 107.

- *De Principiis,* c. 1, a. 3, n. 22.

Franzelin[1], *Hettinger*[2], *Vigoureux*[3], *Pesch*[4], *Mazzella*[5] et alii bene multi.

b) *Alii,* praesertim scholastici, dixerunt Deum ita omnia ac singula verba, stylum, etc., dictasse, ut hagiographi nihil egerint, nisi instar amanuensium ea conscribere quae divinitus accipiebant. Ita *Camis e,* [6] *Bafiez* [7], *Valentia*[8], *Billuart*[9] et alii non pauci. Hanc sententiam adeo exaggerarunt protestantes antiqui, ut non solum verba et omnes ac singulas voces, singulos quoque characteres et apices, hagiographis quasi in calamum ita esse suggesta, ut scriptores nihil habuerint eligendum, nihil deliberandum.

c) *Tertia sententia,* in dies communior, defendit non solum sententias, verum etiam singula verba S. S. fuisse a Spiritu Sancto suggesta, non quidem eo modo quo magister dictat lectionem discipulo, sed movendo hagiographos sicut causa principalis movet instrumentum. Ita *Zanecchia, Billot, Van Hoort, Velez, Chauvin, Hugon* [10] aliique plures [11].

615. Thesis. Spiritus Sanctus inspiravit hagiographis a) non solum res et sententias sed etiam singula verba S. Scripturae, b) non quidem scriptoribus utens modo mechanico ad instar amanuensis, sed c) eos movens modo psychologico, sicut causa principalis movet instrumentum, adeo ut tota Scriptura non solum quoad sententias sed etiam quoad vocabula sit opus Dei et scriptorum.

Prob. 1.a pars.

Arg. a) Adserit *Leo XIII:* «Spiritum Sanctum assumpsisse homines tanquam *instrumenta* ad scribendum» Auctori autem principali totum opus tribuitur [13]. b) In hac sententia melius explicantur effata SS. Patrum, c) Sententiae et veritates, quae constant propositionibus, inspirari nequeunt sine vocabulis, d) Si sententias tantum Spiritus Sanctus inspirasset, Deus et hagiographi non fuissent causa principalis et instrumentalis respective Scripturarum, sed uterque causa principalis in suo genere[14].

1 ***De div. Script.,*** th. 3.
2 ***Teol. fund.,*** p. 2, § 27.
3 ***Manuel biblique,*** t. 1, n. 15 sqq.
4 ***Praelect. dogm.,*** t. 1, n. 635 sqq.
5 ***De virtutibus infusis,*** n. 960 sqq.
6 ***De Locis,*** lib. 2, c. 17.
7 ***In I p.,*** q. i, a. 8, dub. 3, conci. 2.
8 ***De fide,*** disp. x, q. 1, p. 7, § 43.
9 ***De regulis fid.,*** diss. 1, a. 2.
10 Zanecchia, ***Divina inspiratio,*** c. 13; Billot, ***De inspiratione S. S.,*** c. 2, § 3. conci. 2; Van Noort, ***De fontibus revel.,*** n. 78 sqq.; Velez, ***Espaiia y América,*** 1.“ de Abril de 1906; Chauvin, ***L'Inspiration,*** p. 172 et suiv. Hugon, ***La causalité instrumentale en théologie,*** ch. 2.
11 Antiquis theologis non displicuit haec opinio. Cfr. Suarez, ***De fide,*** disp. 5, sect. 3, nn. 4-5; Valentia, ***De fide,*** disp. 1, q. 1, p. 7, § 43. Hanc verbalem inspirationem egregie expositam habes apud Ephem. ***Divus Thomas,*** 1902, pag. 321 sqq.
12 Encycl. ***Providentissimus; Acta S. S.,*** vol. 26, p. 289.
13 «Patet autem, quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur, quasi ***partim*** a Deo et ***partim*** a naturali agente fiat; sed ***totus*** ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus ***totus*** attribuitur instrumento et principali agenti etiam ***totus***». S. Thomas, ***Contr. Gent.;*** III, c. 70.
14 «Si hagiographus ita se haberet ad Deum, ad rem Zanecohia, ***Divina inspiratio,*** n. 52, esset causa principalis graphicorum signorum et purum medium transmittens doctrinam divinam, non haberetur amplius inspiratio biblica, et liber, quamvis contineret doctrinam divinam, maneret absolute humanus quantum ad physicam sui originem».

616. Pars 2.a

Arg. In sententia de inspiratione verbali modo mechanico, quo vocabula quasi ad calamum dictantur scribenda et hagiographi se habent ad instar amanuensium, a) scriptores non essent auctores instrumentales librorum, sed quasi canales deferentes et mechanice scribentes dictationem Dei, sicut amanuenses magistratuum non sunt auctores sententiarum. Nemo autem negaverit hagiographos esse vere causas instrumentales Scripturarum; b) explicari non possent diversitas styli, labores scriptorum, etc.

617. Pars 3.a

Arg. 1) Inspiratio verbalis hoc modo explicata demonstratur ex saepius repetito effato: «Deus et homo sunt causae totales in suo genere totius Scripturae», principalis unus, instrumentalis alter. *Deus* qua causa principalis non tantum extrinsece influit in hagiographos, sententias eis ad modum causae moralis suggerendo, aut inter scribendum adsistendo, sed reapse efficit scripturam per scriptores sacros, quia, ut ait S. *Thomas,* «causa prima magis influit in effectum quam secunda» [1]. Hic influxus Dei perdurat in instrumento quousque opus perficiatur. *Homo,* qua causa instrumentalis, a Deo elevatus et motus, recte de scribendis judicat, atque sub influxu divino sententias litteris consignat, ita se constituens auctorem instrumentalem tum conceptuum tum partis materialis librorum.

2) In hac explicatione melius salvatur effatum: «Omnia quae in Sacris Scripturis inveniuntur sunt verbum Dei».

3) Haec sententia plenius satisfacit difficultatibus quae passim occurrunt. a) *Soloecismi, barbarismi, styli diversitas, eorumdem jactorum diversis verbis narratio,* etc., quae in libris sacris inveniuntur, hagiographis, non Deo, facile tribuuntur. «Instrumentum, ait S. *Thomas,* habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis, aliam... propriam quae ei competit secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum»[2]. Eodem modo illustrat Deus atque movet omnes hagiographos quantum ad sensa et vocabula, sed actio Dei modificatur actione propria instrumenti, et emergunt defectus in scriptura, sicut in varo emergit claudicatio, licet anima recte influat in pedes [3]. Hagiographi tamen muniti erant adsistentia

1 ***De potentia,*** q. 3, a. 7 ad 15. «Si consideremus, ait ibidem in corpore, virtutem qua fit actio, sic virtus superioris causae erit immediatior effectui quam virtus inferioris».

2 ***III p.,*** q. 62, a. 1 ad 2.

3 «Motus primi moventis, inquit S. Thomas. ***De Malo,*** q. 3, a. 2, non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum... Cum enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendam motionem primi moventis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi moventis; sed si non sit in debita dispositione... sequitur actio imperfecta, et tunc... quod est de defectu non reducitur in primum movens».

Spiritus Sancti, ne deficerent in substantialibus, neve eligerent vocabula inepta ad significandum verbum Dei. b) Labores item atque negotia plena vigiliarum et sudoris [1], quos sustulerunt hagiographi, tribuuntur actioni propriae instrumenti, c) Cum Scripturae vertuntur in alia idiomata, manet verbum Dei, quia verba in diversis linguis differunt materialiter non quantum ad significationem.

ARTICULUS VII

DE SENSIBUS S. SCRIPTURAE

618. I. Definitio sensus S. Scripturae. Sensus, proprie loquendo, facultatem sentiendi vel etiam organa quibus sentitur designat. Sed a longo jam tempore «consuetudo jam tenuit, ait *Quintilianus,* ut etiam mente concepta *sensus* vocaremus» [2], et quia verba, imo et res per illa significatae, signa sunt cogitationum, ideo verbis et rebus sensum communiter tribuimus. Unde sensus S. Scripturae recte definitur: *Id quod Spiritus Sanctus verbis Scripturarum immediate vel mediantibus rebus per illa significatis manifestare intendit.*

619. II. Divisio. Sensus S. Scripturae alius est *litteralis,* alius *spiritualis* seu *mysticus. Litteralis* est quem ipsa hagiographi verba immediate significant; v. gr.: *Ego et Pater unum sumus* [3]. *Spiritualis* seu *mysticus* dicitur quem res vocabulis significatae manifestant, ut civitas per vocem Jerusalem significata regnum caelorum non semel designat. Sensus spiritualis semper fundatur super litteralem quem supponit, ut expresse docet S. *Thomas* [4] [5]. De utroque pauca expendamus.

620. De sensu litterali. Sensus litteralis est, ut jam diximus, quem verba immediate significant. Porro verba aliquando proprie seu physice, interdum metaphorice seu tropice accipiuntur. Unde sensus litteralis alius est proprius alius metaphoricus. *Proprius* dicitur quem verba proprie et immediate significant; v. gr.: *fuit homo..., cui nomen erat Joannes* [6]. *Metaphoricus,* quem verba indirecte et per aliquam similitudinem manifestant; ut Christus metaphorice dicitur agnus, quia mansuetus, et brachium, quia virtutem significat, Deo tribuitur [‖].

a) *Sensus litteralis semper inest S. Scripturae.* Nullum S. Scriptu

1 ***II Machab.,*** 2, 27.

2 ***Institutiones,*** lib. 8, c 5, n. 2.

3 ***Joan.,*** 10, 30.

4 S. Thomas praeclare hoc explicat dicens: «Expressio alicujus veritatis potest fieri de aliquo rebus et verbis, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius; et secundum hoc in sacra Scriptura manifestatur veritas dupliciter: ***Uno modo,*** secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus ***litteralis. Alio modo,*** secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus ***spiritualis». Quodl.*** 7, q. 6, a. 14. Idem repetit ad ***Gal.,*** c. 4, lect. 7.

6 ***Joan.,*** i, 6.

‖ Sensum metaphoricum non esse spiritualem sed litteralem bene ostendit DomlniouH n SS. Trinitnio, ***Hihl. theol.,*** lib 3, sect, i, c. 100 contra Lyranum.

rae locum sensu litterali carere ex eo constat, quod sensus spiritualis semper fundatur super litteralem, ut jam diximus ex S. *Thoma.* Si enim daretur locus aliquis sine sensu litterali, similiter careret spirituali, omnique sensu destitueretur, quod est maxime inconveniens x.

b) *De duplici vel multiplici sensu litterali sub uno textu.* Magna contentione olim disputatum est a theologis et adhuc sub judice manet quaestio, an uni eidemque textui S. Scripturae duplex aut multiplex subsit aliquando sensus litteralis. Communiter docetur non omnibus passim S. Scripturae locis duplicem aut multiplicem subesse sensum litteralem; at de nonnullis textibus, qui, inspecta verborum significatione, duas aut plures sententias seu veritates directe manifestare videntur, divisi sunt auctores.

Prima sententia affirmans, communior inter antiquos scholasticos, roboratur suffragio rationeque S. Augustini et S. Thomae. S. *Augustinus* hoc saepe docet 1, et Angelicus Doctor ait: «Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit; auctor autem S. Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus (Conf. 12, 31), si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus» 3. His auctoritatibus moti plures antiqui verba Ps. 2, 7: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* litteraliter interpretati sunt de aeterna Christi generatione 4, aeternoque ejusdem sacerdotio 5 6 ac de ipsius resurrectione 6. Locum *Isaiae: Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit* 7, S. Petrus interpretatus est de morbis spiritualibus 8, S. Matthaeus de morbis corporalibus 9; verba *Isaiae: Generationem ejus quis enarrabit?* 10 simul de aeterna et temporali Christi generatione intelligunt multi.:—Addunt etiam dignitatem et fecunditatem S. Scripturae exigere ut quandoque sub una littera plures sint sensus litterales. Ita *Cajetanus 11, Banez 12 Vazquez 13,14 Bonfrerius H, Silvius 15, Joannes a S. Thoma 16, Dominicus a*

Historia, aetiologia et ***analogia*** non sunt proprie species sensus litteralis, sed modi significandi intra eamdem speciem. ***Historia*** factum narrat, ***aetiologia*** rationem reddit ejus quod narratur, et ***analogia*** conformitatem designat unius loci cum alio. Cfr. S. Thomas, ***I p.,*** q. I. a. 10 ad 2.

1 Cfr. Raphael a S. Joseph, ***De S. Theol. locis,*** c. 4.—Philo, ***De Vita contemplativa,*** et Origenes, zspt αρχών, lib. 4, nn. 11-12; MG 11, 364 sq., censuerunt aliquos textus S. S. esse sensu litterali destitutos; et Sebastianus Frankius, ***Praelat. ad paradox.,*** declaravit sensum litteralem esse fidelibus perniciosum.

2 ***Confess.,*** 12, 31; ML 32, 844.—Idem docet ***Doctr. Christ.,*** 3, 27; ML 34, 80.

3 ***I p.,*** q. I, a. 10. Cfr. ***De potentia,*** q. 4, a. 1.

4 ***Hebr.,*** 1, 5.

6 ***Hebr.,*** 5, 5.

6 ***Act.,*** 13, 22-33.

7 ***Is.,*** 53, 4.

8 ***I Petr.,*** 2, 24.

9 ***Matth., 8,*** 16-17.

10 ***Is.***. 53. 8-

11 ***In I p.,*** q. i, a. 10.

12 ***In I p.,*** q. i, a. 10, dub. 7, conci. 3.

13 ***In I p.,*** q. i, a. 10; disp. 17, cc. 2 et 3.

14 ***In S. Script, praeloq.,*** c. 20, sect. 5. ***(Cursus complet***, I, 262 sqq.)

15 ***In I p.,*** q. i, a. 10.

19 ***Cursus theol., In I p.,*** q. 1, a. 12.

SS. *Trinitate*[1], aliique summi theologi et exegetae antiqui; et ex modernis *Le Hir*[2], *Casanova*[3], *Lottini*[4] et alii.

Altera sententia, hodie longe communior, tenet unum tantummodo sensum litteralem posse singulis S. Scripturae subesse textibus. Haec opinio antiquorum suffragio non caret. Eam quippe tuiti sunt *Alex. Alensis*[5], S. *Bonaventura*[6], *Michael Medina*[7] *et* alii.—Fundamenta sunt: a) Sacra Scriptura sermone humano et pro hominibus scripta est; et sicut scriptores profani, nisi velint lectores decipere, unicum sensum verbis tribuere consuescunt, ita etiam Spiritus Sanctus unicum sensum litteralem singulis textibus a se dictatis tribuit, b) Cum inauditum sit et omnino extraordinarium duplicem sensum litteralem eidem textui subesse, si quando hoc in Scripturis contingeret, in Scriptura vel traditione constare deberet[8].*

621. 2) De sensu spirituali. Sensus spiritualis est qui rebus per voces significatis manifestatur. Cum dicitur: *Non potest arbor bona malos fructus jacere, neque arbor mala bonos fructus jacere*[9], litteraliter arbor ejusque fructus materialis, spiritualiter homo ejusque opera significantur.

I a) *Divisio.* Porro hic sensus spiritualis potest esse triplex, *aliegoricus, moralis* seu *tropologicus* et *anagogicus*[10][11]

Allégerions respondet fidei et habetur, quando res vel personae S. Scripturae adsumuntur ad significandum aliquod mysterium fidei vel Ecclesiam militantem. Sic Jonas in ventre ceti fuit signum triduanae Christi sepulturae, et manna hebraeis in deserto datum figura sacramenti eucharistiae. *Moralis* seu *tropologicus* caritati respondet, et aliquid praefigurat pertinens ad morum informationem; ut parabolae saepe innuunt studium quo gratiae Dei cooperari oporteat. *Anagogicus,* spei respondens, est quando res hujus vitae praenuntiant aliquid pertinens ad vitam aeternam; ex. gr. verba illa: *Educam vos de afflictione Aegypti... ad terram jluentem lacte et meile* u, litteraliter terram promissionis, anagogice vitam aeternam significant. Tres istos sensus una cum litterali tritissimum illud distichon exprimit:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

1 ***Biblioth. theol.,*** lib. 3, sect. 1, c. 101.
2 ***Études bibliques, Les Prophetes d'Israel,*** p. 1, pag. 83.
3 ***Theol. fundam.,*** n. 359.
4 ***Introd, in S. Theol.,*** n. 740.
5 ***Summ., I p.,*** q. I, membr. 4, aa. 2-3.
6 ***In IV Sent.,*** dist. 21, p. 1, dub. 1, circa litteram Magistri.
7 ***De recta in Deum fide,*** lib. 6, c. 25.
8 S. Augustinus piam et probabilem opinionem exposuit, et S. Thomas sensum litteralem latissime sumpsit pro eo quod auctor intendit. Berthier, ***De locis theol.,*** nn. 181-185, defendit Angelicum Doctorem pro unitate sensus litteralis stare. Cfr. Beelen, ***Dissertatio theologica,*** qui sententiam vulgo receptam esse S. Scripturae multiplicem interdum sensum litteralem nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur, Lovanii, 1845; Patrizi, ***De interpretatione Scripturarum Sacrarum*** (Romae, 1844), 32-52; Cornely, ***Comp.,*** n. 158; Danko, ***De Sacra Scriptura*** (Vindobonae. 1867), 275 sq.
9 ***Matth.,*** 7, 18.
10 S. Thomas, ***I p.,*** q. 1, a. 10.
11 ***Ex.,*** 3, 17.

Consequenter vox «Jerusalem» *litteraliter* urbem, *allegorice* Ecclesiam catholicam, *tropologice* animam justi, et *anagogice* Ecclesiam triumphantem seu patriam caelestem significat.

b) *Datur in Scriptura sensus spiritualis.* *Porphirius* olim et *Celsus* [1]; quos deinde sequuti sunt non pauci haeretici et novatores, negaverunt sensum spiritualem inesse Scripturae, sed immerito, ut constat ex typis Veteris Testamenti, qui ab apostolis adsumpti sunt ad significanda ea quae Christum ejusque Ecclesiam et mysteria gratiae respiciebant. Sic agnus paschalis, de quo agitur *(Ex.,* 7, 46, etc.), Christum spiritualité!· significavit juxta S. Joannem (19,36); unio matrimonialis, cujus meminerunt Moyses *(Gen.,* 2, 24) et Christus *(Matth.,* 19, 5), vinculum denotat Christi et Ecclesiae juxta Apostolum *(Ephes.,* 5, 28-32), et sic alia plura.

Sedulo tamen animadvertendum est non singulis S. Scripturae textibus subesse omnes quatuor sensus. «Quatuor isti sensus, ait S. *Thomas,* non attribuuntur S. Scripturae, ut in qualibet ejus parte sit in istis quatuor sensibus exponenda; sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum» [3]. Imo absurdum foret omnibus et singulis S. Scripturae phrasibus praeter sensum litteralem alium typicum tribuere, quasi omnia gesta et res per voces Scripturarum significatae signa essent et figurae aliarum rerum, ut figuristae volunt. Sunt enim plures loci in libris sacris, qui non nisi sensum litteralem admittunt[4].

622. 3) De sensu accommodatitio. Praedictis adjungi solet sensus *accommodalitius,* qui habetur quando verba S. Scripturae vel res per ipsa significatae a proprio sensu et acceptione transferuntur ad aliud significandum propter similitudinem quam habent. Si verba transferantur, accommodatio *per allusionem,* si res, accommodatio *per extensionem* vocatur. Sic illa verba *Ps.* 17, 27: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris,* quae de Deo cum sanctis benigne et cum peccatoribus severe agente intelliguntur, *per allusionem* applicantur homini qui cum sanctis agens sanctificatur et cum peccatoribus pervertitur [5]; et illa *Eccli.,* 44, 20: *Non est inventus similis illi,* quae de Deo dicuntur, per extensionem cuilibet sancto applicantur.

Hinc vides sensum accommodatitium non esse a Spiritu Sancto intentum, nec tam Scripturae quam hominis esse sensum. Nihilominus Ecclesia et SS. Patres, imo et concionatores, ascetici atque mystici utiliter eum saepe adhibent.

ARTICULUS VIII

DE INTERPRETATIONE ET USU S. SCRIPTURAE

623. Praenotanda. 1) *Obscuritas S. S.* Licet plerique protestantes contendant S. Scripturam adeo esse perspicuam et claram, ut nulla

1 ***Adv. Christ.,*** lib. 3. (Cfr. Eusebius, 7/. ***E.,*** lib. 6, c. 19; MG 20, 561.)
2 Apud Origenem, lib. 4, n. 71; MG 11, 1140.
3 ***Quodl.*** 7, q. 6, a. 15 ad 5.
4 Cfr. S. Augustinus, ***De civ. Dei.*** 17, 3; MI, 41, 525.
« Camus, ***Espiritu ile San Erancisco de Sales,*** p. ***2,*** c. 13.

egeat interpretatione, experientia tamen nos docet eam non solum in iis, quae ad fidem et mores spectant, verum etiam in historicis, geographicis, etc., quibus non semel sensus mysticus subest, saepe obscuram esse et difficilem intellectu. *Vobis datum est,* ait Christus apostolis, *nosse mysterium regni Dei, caeleris autem in 'parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant*[1]. Et S. Petrus de S. Pauli epistolis ait: *In quibus sunt quaedam dijjicilia intellectu,- quae indocti et instabiles depravant... ad suam ipsorum perditionem*[2]. Quare Christus Dominus dicitur sensum Scripturarum apostolis declarare solitum fuisse: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*[3]. Consequenter SS. Patres et theologi constanter docuerunt S. Scripturam obscuram esse et explicatione *indigere*[4]. Rationes hujus obscuritatis breviter enumerat cl. *Hurter* dicens: «Causae hujus obscuritatis praeter mysteria sunt: vaticinia nondum adimpleta, locutiones figuratae et allegoriae apud nos minus usitatae, hebraismi, apparentes contradictiones, repentini transitus de sensu litterali ad translatum, de uno objecto ad aliud, ex. gr., de primo adventu Christi ad alterum, de Christo secundum unam naturam ad ipsum secundum alteram, de typo ad antitypum, disserendi ratio nimis concisa, unde sententiarum nexus pervius non est, defectus ordinis systematici in proponendis rebus fidei et morum, ambiguitas locutionis num ea proprie an figurate sit accipienda, num ea praecipiat an consulat tantum, quantus sit ejus ambitus», etc. 5*

Quae cum ita sint, facile convincimur nos aliqua interpretatione indigere, ut sensum Scripturarum adsequamur[6].

2) *Interpretatio duplex.* Interpretatio porro S. Scripturae potest esse duplex, *authentica* quae etiam *dogmatica* appellatur, et *privata* quae et *scientijica* seu *exegetica* audit. *Prior* a legitima et infallibili auctori tate, quae revelationis proponendae facultate pollet, procedit. *Posterior* a quolibet homine privato juxta hermeneuticae et exegesis leges, adhibitis, ubi opus est, scientiarum adminiculis et linguarum, historiae, ai chaeologiae, etc., peritia.

§ 1

De interpretatione authentica.

624. Status quaestionis. 1) *Objectum interpretationis authenticae* Quaestio de judice authentico interpretationis S. Scripturae expediri

[1] ***Luc.,*** 8, io.

[2] ***II Petr.,*** 3, i6. Hanc Scripturae obscuritatem palam confessus est eunuchus reginae candacis, qui a Philippo interrogatus, an intelligeret textum, quem legebat, respondit: ***Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Act.,*** 8, 31.

[3] ***Luc.,*** 24, 45.

[4] Cfr. S. Augustinus, ***De doctr. christ.,*** lib. 3, c. 6; MI. 34, 38; S. Gregorius M., ***In Leech.,*** lib. 1, hom. 6, n. 1; ML 76, 829; S. Bonavontura, ***Prae/. Ureviloq.,*** § 5.

[5] ***Theol. gen.,*** n. 183. Luthorus. ***Ep. dedicaloria ad Eridericum,*** Electorem, Saxoniac duceni (Erlangae, 1845), t. 14, p. 8 sq.; ***et lib I. contr. Zwingl. et Accolamp.,*** aliis protestantibns in hac parte contradicens, fassus est obscuritatum Scripturae.

[6] " Oui hac dc re plura velit, adeat S. Bellari»., ***De verbo Dei,*** lib 3, 1. 1; Hurter, n. 183 et alios.

nequit, nisi prius designetur materia seu objectum interpretationis authenticae.

In S. Scriptura alia sunt res fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, alia, quae ad historiam, physicam, geographiam. etc., spectant. Concilium Tridentinum vetuit, ne quis «suae prudentiae innixus *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium* sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, *cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum,* aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari» auderet[1]. In Concilio Vaticano disputatum est de particulis decreti tridentini et actum est de delendis verbis: *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium,* sed Patres, informationem *Deputationis fidei* sequuti, declararunt mentem Concilii Tridentini esse, «ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu».

2) His ita praelibatis, quaerimus, a) cuinam competat authentice judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, et b) quae sit in Bibliis materia hujus authenticae interpretationis.

625. Errores. 1) *Protestantes plerique* vel negant, ut diximus, S. Scripturae obscuritatem, vel, si admittant, talem esse ajunt, ut sacrae litterae authentice interpretari queant a) privato cujuslibet examine seu judicio, vel b) privata Spiritus Sancti inspiratione singulis lectoribus concessa [2].

2) *Rationalistae,* qui originem et auctoritatem divinam sacris litteris omnino denegant, contendunt sacros libros ratione naturali et argumentis intrinsecis interpretandos esse, sed, ubi veniunt ad cxegesim, tot excogitant theorias quot sunt capita. *Hardt* (f 1746), *Lessing* (f 1781) et alii interpretationem *allegoricam; Rant* (f 1804) *moralem* per rationem practicam; *Paulus* (t 1851) *psychologicam: De Wette* (f 1849), *Strauss* (f 1874), *Renan* et alii *mythicam, Baur* (f i860) *criticam,* etc., adhibendam esse volunt. Quo exitu id egerint, hodierna rationalistarum confusio satis ostendit[3][4].

3) *Günther* et ejus asseclae docuerunt aliquando fore, ut S. Scriptura etiam in rebus fidei et morum diverso sensu, quam nunc interpretatur ab Ecclesia, intelligatur.

4) *Modernislae* volunt S. Scripturam interpretandam esse sicut caetera documenta mere humana *.

626. THESIS I. Authenticus Scripturarum interpres est infallibile Ecclesiae magisterium.

1 ***Sess.*** 4: Denz-Bannw., 786.

2 Hujus theoriae inconvenientia cito expertus est Lutherus, cum ***lib. I contr. Zwingl. et Aecolamp.,*** dixit: «Si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium propter diversas interpretationes, quae nunc sunt, ut ad conservandam fidei unitatem conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus». Et Calvinus, ***Inst.,*** lib. 4, c. 9, 13, «nullum esse, ait, nec melius nec certius remedium, quam si verorum episcoporum synodus conveniat, ubi controversum dogma excutiatur».

3 Cfr. Card. Gonz&Iez, ***La Itiblia y la cienda,*** t. 1, c. 2, et Mùgioa, ***Cursus S. S.,*** p. I, sect. 3, c. 8, n. 146 sqq.

4 Cfr. Decr. ***Lamentabili,*** prop. 12; Denz-Bannw., 2012.

Arg. I. *Ex indole S. S.* Sacra Scriptura est plerumque obscura non solum ob pluralitatem sensuum, quos complectitur, verum etiam et praecipue ob sublimitatem doctrinae et profunditatem mysteriorum Dei atque dogmatum quae continet. Haec autem mysteria et dogmata naturaliter explicari nequeunt sed exigunt interpretem infallibilem. Atqui nullum habemus in terris interpretem infallibilem nisi magisterium Ecclesiae. Ergo magisterium Ecclesiae est authenticus interpres Scripturarum.

Arg. II. *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus* ait: «Non oportet quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum, apostoli quasi in depositum dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis»[1]. Et rursum: Hi enim—apud «quos est ea quae est ab apostolis Ecclesiae successio...—Scripturas sine periculo nobis exponunt»[2]. Hac in re merito celebrantur verba S. *Augustini:* «Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas»[3].

Arg. III. Interpres authenticus S. Scripturae non est privata Spiritus S. illustratio, nec spiritus privatus protestantium, nec ratio individualis rationalistarum. Ergo est solummodo infallibile Ecclesiae magisterium. *Consequentia* patet ex sufficienti numeratione sententiarum. Ant. prob.

1) *Non est privata Spiritus S. illustratio,* a) Gratis adseritur haec privata Spiritus Sancti illustratio in singulis hominibus, ut satis probatum est dum de criterio revelationis[4]* b) Etiamsi daretur, non esset interpres authenticus Scripturarum, quia semper remaneret dubium, essetne Spiritus S. illustratio vel fallentis inimici suggestio.

2) *Non est spiritus privatus protestantium;* quia a) pauci admodum sunt qui hoc examen privatum circa Scripturas instituere valeant; b) non sufficit ad uniformem Scripturae interpretationem, ut experientia eorum, qui examine privato ducti in mille sententias abierunt, satis nos docet; c) systema examinis privati viam rationalismo facile sternit.

3) *Non est ratio individualis rationalistarum;* quia a) parum distinguitur a spiritu privato protestantium; b) ratio individualis sibi relicta, quantumvis perfecta supponatur, non valet dogmata ac mysteria fidei, quae in sacris litteris continentur, penetrare atque interpretari, nec controversias inde exortas dirimere. Unde apposite ait S. *Petrus: Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit*[6].

4) Reliquum est, ut interpres vivus et authenticus Scripturarum sit magisterium infallibile Ecclesiae, cui concreditum est depositum veritatis revelatae cum facultate dirimendi controversias fidei.

627. Dices. S. *Joannes* ait: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est...* [5]. Ergo privata Spiritus S. illustratio est interpres Scripturarum.

[1] *Adv. haer.,* lib. 3, c. 4, n. x; MG 7, 855.
[2] *Adv. haer.,* lib. 4, c. 26, n. 4: MG 7, 1056.
[3] *Contr. epist. fundam.,* c. 5; ML 42, 176.
* Si singuli homines illustrarentur a Spiritu Sancto circa intelligentiam Scripturarum, non darentur tot ridiculae interpretationes, nec orirentur tot haereses, quia, ut recte ait S. Augustinus, «neque enim natae sunt haereses..., nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene». *In Joan.,* tr. 18, n. 1; ML 35, 1536.
[3] *II Petr.,* 1, 20.
[5] *I Joan.,* 2, 27.

Resp.—Dist. ant. Non necesse habetis, ut aliquis *ex antichristis* vel *pravis hominibus* doceat vos, cone.; aliquis ex Ecclesiae pastoribus, neg. S. Joannes loquitur de antichristo, qui negat Patrem et Filium et de iis qui seducunt fideles. Seductorum autem instructione non egent fideles sed doctrina et pabulo doctorum Ecclesiae.

628. Thesis II. 1) Magisterium infallibile Ecclesiae «directe» interpretatur sacram Scripturam in rebus fidei et morum; 2) ipsas quoque res physicas, historicas, etc., quae religiosae non sunt, aliquando valet authentice interpretari.

Prob. 1.a pars.

Arg. Argumentum sumitur ex verbis relatis Conciliorum Tridentini et Vaticani, quae proculdubio continent decretum dogmaticum, ut probat *Groot* [1], et constat ex scopo Concilii Vaticani. Postulaverat relator schematis de *Fide Catholica,* ut declararetur «non solum excludi interpretationem quae contradictorie opponatur sensui, quem Ecclesia alicui scripturae loco subesse doceat, sed etiam necesse esse ipsum illum sensum ab Ecclesia retentum habere ut verum sensum Scripturae». Votis annuerunt Patres, et declaraverunt mentem Concilii esse «ut *in rebus /idei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium* is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia».

Pars 2.a

Arg. Actum est, ut diximus, in Concilio Vaticano [2] de delendis verbis *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium:* 1) «quia, ut unus ex Patribus ajebat, Ecclesia sine ulla exceptione est infallibilis interpres totius divinae revelationis, quae in Scripturis ac traditione continetur. Declarando autem *in rebus fidei et morum* tenendum esse sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, divina illa interpretandi praerogativa ad hujusmodi materias tantum coarctari videtur, quasi in caeteris minime valeat... 2) quia si *in rebus fidei et morum* tantum Scriptura accipi deberet juxta eum sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, in reliquis, puta historicis aliisque, libera cuique daretur ansa sanctissimum Dei verbum pro effreni lubitu explicandi; hac praesertim tempestate, in qua mythici, rationalistae, sexcentique errores totam ferme Scripturam ad fabulas amandant».

Verum episcopus brixinensis nomine *Deputationis fidei* respondit: «Concedo antecedens sed nego consequens. Concedo quod Ecclesia jus habet non solummodo judicandi de vero sensu in rebus fidei, id est, in dogmatibus, ut ita dicam, speculativis, et in rebus quae ad mores spectant; sed etiam in rebus quae ad historicam veritatem, etc., pertinent. Inde vero non sequitur, quod juxta auctorem Rinum. hujus exceptionis sequi deberet; nam quod attinet istas interpretationes circa veritates historicas, dico, hujusmodi interpretationes aut non sunt contra dogma

1 ***Summa apolog.,*** q. 17, a. 6.
2 ***Collect. Lac.,*** vol. 7, p. 145.

inspirationis S. Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori, si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, jam utique spectat ad res fidei, et proinde certe Ecclesia hac de re judicandi jus habet».

629. Ampliatio hujus doctrinae. Haec ut radicitus explicentur, quaedam per partes considerari oportet.

1) Facta historica quae dogmata involvunt, ut Christi in cruce mors, valent proculdubio a magisterio Ecclesiae authentice interpretari.

2) *Res, quae in se quidem religiosae* non sunt sed cum religiosis ita connectuntur, ut veritas catholica sine illarum recta intelligentia conservari nequeat, possunt ab Ecclesia authentice interpretari. Si quis itaque proponeret opinionem de censibus romanorum, de quibus agitur cap. 2. *Lucae,* ex qua periclitaretur doctrina revelata de nativitate Christi, sensus illius textus posset ab Ecclesia certe declarari.

3) Quilibet textus S. Scripturae, etiamsi *ad res sacras non referatur,* continet in se dogma inspirationis, et quantum ad hoc pertinet *ad res fidei,* et potest ab Ecclesia authentice judicari. Quare episcopus brixinensis nomine Deputationis ait: «Si... interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, jam utique spectat ad res fidei, et proinde certe Ecclesia hac de re judicandi jus habet»[1].

4) *In rebus item non religiosis* interpretationes verbo Dei inspirato non conformes, illas scilicet, quae manifestos errores continent, valet Ecclesia authentice proscribere. Compertum enim est Deum nunquam errorem quantumvis minimum inspirare potuisse. Huc venit quod S. *Thomas* praeclare ait: «*Indirecte* ad fidem pertinent ea, ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei, sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanae; ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam»[2].

5) Si agatur denique, non de inspirationis dogmate, sed de interpretatione rerum, quae nec religiosae sunt nec cum religiosis connectuntur, distingui oportet: a) Interpretatio *magisterii ordinarii Ecclesiae* de his rebus non est authentica. «Nihil igitur obstat, ait *Comely,* quominus in rebus historicis, physicis aliisque similibus, quae nec fidem nec morum regulam attingunt, Patrum opiniones relinquantur»[3]; et episcopus brixinensis loco citato expresse declaravit de interpretationibus, quae nec ad fidem vel mores spectant nec inspirationis dogma attingunt, libere disputari posse, b) *Magisterium solemne seu extraordinarium Ecclesiae* potest sensum etiam horum textuum authentice exponere. Ratio distinctionis est, quia, ut recte ait *Granderath,* «licet ambitus objecti, circa quod ordinarium Ecclesiae magisterium versatur, idem sit atque illud, circa quod versatur extraordinarium, Ecclesia tamen cum ordinario magisterio Scripturam explicat, seu Patres cum eam explicant, res quae religiosae non sunt secundum obvium et prius se offerentem sensum *obiter* referunt, neque in iis docendis vel tradendis

1 *In Conc.il. Vat., sess.* 3; *Coli. Lac., 7,* 240.
2 *I P,* q. 32, a. 1.
3 *Hist, cl erit. introd. in* l'. *T. libros sacros comp.,* n. 180 (cd. 8).

versantur»[1]; cum magisterio vero extraordinario radicitus doctrinas examinat et accuratius exponit.

§ 2

De interpretatione scientijica.

630. 1) Hactenus sermo fuit de interpretatione authentica, qua magisterium Ecclesiae sub adsistentia Spiritus Sancti sacros libros exponit uniformi ac infallibili veritate. Non fuit necessarium quaerere regulas, quae in hac interpretatione ab Ecclesia servari debeant. Cum enim Ecclesia adsistentia Spiritus Sancti dirigatur, nullatenus est humanis regulis necessario perstricta, sed infallibiliter, ubi oportet, Scripturas interpretatur.

2) Nunc de interpretatione scientifica, quae fit ab homine auctoritate et scientia privata. Porro libri sacri possunt considerari quatenus sunt *humani* et quatenus sunt *divini.* In quantum sunt humani, explicantur interpretatione *grammatico-historica,* quatenus divini interpretatione *catholica.* De utraque tradenda sunt quaedam praecepta.

631. A. Regulae interpretationis grammatico-historicae. Ut S. Scriptura, quatenus est liber humanus, recte interpretetur, tria sunt sedulo investiganda: 1) vocabulorum significatio, 2) definitio rei significatae, et 3) mens seu idea sacri scriptoris.

1) Vocabulorum significatio habetur:

a) *Ex peritia linguarum* praecipue hebraicae, aramaicae et graecae. Cum S. Scriptura his tribus linguis composita fuerit, difficile admodum est veram vocabulorum significationem ex sola latina lectione obtinere. Hinc modismi et locutiones primitivae linguae, quae in Bibliis abundant, addiscendae sunt in editionibus, quae ex ipsis apographis factae sunt. «Sacrae Scripturae magistris, ait *Leo XIII,* necesse est atque theologos addecet eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati»[2]. Habita semel linguarum peritia, debet interpres S. Scripturae in ipsa textus primitivi lectione attendere aetati, patriae et ingenio scriptoris. Scriptores etenim sacri juxta diversitatem instructionis qua pollebant, et. prout in partibus orientalibus vel occidentalibus versati sunt, diversimode scribere et non raro eadem verba diverso plane sensu adhibere consueverunt.

b) *Ex frequenti lectione et usu familiari versionum.* Qui primo in originalium lectione versati Sacras Scripturas in alias linguas vertere curarunt, arcana saepe librorum canonicorum penetrarunt et vocabulorum obviam significationem adepti sunt. Et licet nonnujiquam auctores versionum in quibusdam locis a vero tramite non parum deflexerint, omnes tamen generatim intelligentiam verborum S. S. faciliorem reddiderunt. Hinc SS. Patres et interpretes S. Scripturae magni fecerunt antiquas versiones, quae inter eruditos passim circumferuntur, eas praesertim

1 Const, dogm. s. oe. Cone. Vat., p. I, const, de fide, c. 2, comm. 3.
2 Encycl. ***Providentissimus, Acia S. Sedis,*** vol. 26, 285.

quae directe ab originalibus vel eorum apographis confectae sunt. «Neque tamen, ait apposite *Leo XIII,* -non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas Christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae, hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen, si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, *inspectio praecedentis linguae,* suasore Augustino, proficiet» [1].

c) *Verborum primigeniorum etymologia inspicienda est.* Hoc quod in studio cujuslibet linguae contingere videmus, in linguarum sacrarum et codicum intelligentia potiori ratione experimur. Cum ejusmodi linguae non sint apud nos vulgatae, et in ipsis regionibus, in quibus servantur, non parum a primitivo statu mutatae fuerint, non semel ad verborum etymologiam confugiendum est, ut propria eorum significatio habeatur.

d) *Concordantiarum et glossariorum usus valde utilis est. Concordantiae* siquidem ordine verborum alphabetico omnes S. S. sententias continent, ut facilius quisque loca sacri textus invenire et comparare valeat. Quo fit, ut, comparatis inter se diversis locis, totius contextus intelligatur sensus [2]. *Glossaria* item, quae vocabula S. S. ordine alphabetico digesta alia lingua explicant, maxime conferunt ad verborum intelligentiam [3].

2) Ut definitio rei significatae investigetur, sequentes regulae sunto:

a) *Textus S. Scripturae in sensu naturali et obvio intelligendi sunt, ubi nihil obstat,* Hagiographi siquidem humano modo loquuti sunt, et verborum obvia et naturali significatione arcana Dei manifestarunt. Ubi vero intelligentia naturalis verborum obstat fidei vel moribus, figurata adhibenda est interpretatio juxta illud S. *Augustini:* «Quidquid in ser-

1 Encycl. ***Providentissimus; Acta S. Sedis,*** vol. 26, p. 279. Cfr. S. Augustinus, ***De doctr. christ.,*** 3, 4; ML 34, 68. Praecipuae versiones, quae utiliter a theologo consuli possunt, inveniuntur in polyglottis, in magnam scientiae scripturisticae utilitatem a quibusdam boni nominis auctoribus confectis.

2 Card. Hugo a S. Caro (f 1263), fuit concordantiarum auctor, cujus opus Vulgatae Clementinae accommodavit Lucas Brugensis (Antuerpiae, 1617). Deinde concordantias optimas in ***Vulgatam*** ediderunt H. Phalesius (Viennae, 1825), M. Dutripon (Parisiis, 1838), PP. de Raze et Lachand (Lugduni, 1851 et alibi saepius), Peultier et socii (Parisiis, 1897); Tonini (Prati, 1861); M. Bechis (Taurini, 1887), et alii. Ad textum ***hebraicum,*** concordantias hebr. et chald. edidit I. Furst (Lipsiae, 1840); ad ***alexandrinam*** V. T. versionem Abr. Trommius (Amstelodami, 1718); ad ***graecum*** N. T. textum C. H. Bruder (Lipsiae, 1842); ad ***syriacam*** V. T. editionem C. Schaaf (Lugduni, 1708).

3 Plura sunt glossaria jam inde ab antiquis temporibus ad intelligentiam sacri textus concinnata. Praecipua ediderunt: Ad ***Vulgatam*** Ignatius Weitenahuer, S. J., ***Lexicon biblicum Vulgatae*** (Augustae Vind., 1758); ad ***hebraicum*** G. Gosenii, ***Thesaurus linguae hebr. et chald.*** (Lipsiae, 1853); ad ***alexandrinam*** versionem Rev. P. Joannes Maria a S. Joseph, (Carmelita Excalceatus), edidit Avenione, 1765, egregium ***Lexicon hebraico-chaldaico-latino-biblicum,*** 2 vol. in folio. I. F. Scleusnori. ***Lexicon in*** 70 ***et reliquos interpretes graecos V. T.*** (Lipsiae, 1820); ad ***graecum*** textum N. T., K. G. Bretscheider, ***Lexicon manuale*** (Lipsiae, 1840); ad ***syriacam*** editionem E. Castelli, ***Lexicon syriacam*** (Gottingae, 1787); ad ***Chaldaicam*** paraphrasim Joan. Buxtorfius ***Lexicon chald. thalm. rabb.*** (Basileae, 1639). Lexica scripserunt: Hagen, ***Lexicon biblicum,*** (Parisiis, 1905-1907); Zorell, ***Lexicon graecum,*** (Parisiis, 1911).

mone divino neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas» Et rursus: «Si autem flagitium aut facinus videtur jubere aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est» locutio [1]. Unde locus *Matthaei: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum* [3]; et alius: *Si quis... non odit patrem suum et matrem... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* [4]5 non ad litteram sed figurate intelligendi sunt.

b) *Argumentum orationis omnino inspiciendum est,* et quidquid expositae doctrinae opponi videatur, ita interpretandum, ut, quantum fieri potest, cum argumento generali libri concilietur.

c) *Loci paralleli accurate conferendi sunt.* Quod enim in uno loco obscure traditur, in aliis clarius explicatur: «Nihil fere, ait S. *Augustinus,* de illis obscuritatibus (Scripturae) eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur» [6].

d) *Sanctorum Patrum et commentatorum volumina persaepe evolvenda sunt atque consulenda.* Sancti Patres et interpretes Christiani, versati ut erant in assidua Scripturarum lectione et meditatione, arcana textus sacri penetrarunt et mira eruditione ac claritate exposuerunt. «Istorum (interpretum), ait *Leo XIII,* pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda»[6].

3) Idea denique seu mens sacri scriptoris investiganda est:

a) *Regularum interpretationis quas dedimus recta applicatione.* Cum enim scriptoris sacri ac Dei inspirantis eadem sit mens, omnes regulae interpretationis ad id tendunt, ut hagiographi mens adsequatur.

b) *Loco, tempori, ac scopo, aliisque circumstantiis personae scribentis sedulo attendendo.* «Personarum mutatio, ait apposite ad rem S. *Hieronymus,* et maxime in prophetis, difficilem intellectum facit, quae, si suis locis, et causis, temporibusque reddantur, plana fient, quae videbantur obscura»[7].

c) *Studio tandem historiae, archaeologiae sacrae, et geographiae* patebit non semel interpreti via ad cognoscendam scriptoris mentem.

632. B. Praecepta interpretationis catholicae.

Sacra Scriptura Deo auctore, sicut diximus, exarata consideranda est ceu opus *divinum* seu quatenus *divinos* continet libros. Sub hoc adspectu gravissima quaedam praecepta prae oculis habere debet interpres. Hinc

1) *In rebus fidei et morum ille S. Scripturae sensus retinendus est, quem tenuit ac tenet S. M. Ecclesia* [8]. Ecclesia constituta est a Christo

1 ***De doctr. Christ.,*** lib. 3, c. 10, n. 14: ML 34, 71.
2 ***De doctr. christ.,*** lib. 3, c. 16, n. 24: ML 34, 74.
3 ***Matth.,*** 5, 29.
4 ***Luc.,*** 14, 26.
5 ***De doctr. christ.,*** lib. 2, c. 6; ML 34, 39.
6 Encycl. ***Providentissinius; Acta S. Sedis,*** vol. 26, 282.
7 ***In Jerem.,*** lib. 2, c. 8, vv. 14-15; ML 24, 767.
8 Cfr. Concil. Trid., ***sess.*** 4; Denz-Bannw., 786; Concil. Vat., sess. 3, c. de revel.; Denz-Bannw., 1788; et encycl. ***Providentissinius,*** Leonis XIII; ***Acta S. Sedis,*** v. 26, p. 280 sq.

magistra veritatis, et potest judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum.

2) *Unanimis consensus Patrum* declarantium aliquam veritatem S. Scripturae ad fidem vel mores pertinere retinendus est. Unanimis siquidem Patrum sententia in rebus fidei et morum ita gravis esse censetur, ut citra peccatum et periculum in fide negari non possit.

3) *Caveat interpres errorem quantumvis minimum S. Scripturae tribuere.* Quare interpretationes eorum, qui malitiose vel incaute errores in sacris libris contineri dictitarunt, rejiciendae sunt.

4) *Nefas est contradictionem ullam vel minimam inter textus Scripturarum admittere.* Ad rem apposite S. *Justinus:* «Scripturas inter se pugnare nunquam audebo nec cogitare nec dicere»[1]. Antilogiae igitur, quae in sacris litteris passim offenduntur, apparentes contradictiones sunt, ac idcirco ex verborum contextu, ex diversa significatione, quam forte exhibent vocabula in subjecta materia, ex diversitate sensuum qui interdum textibus subsunt, ex modo loquendi scriptoris, etc., conciliandae sunt. Conferat interpres loca quae videntur opposita, attendat diversitati temporum, locorum et personarum [2], videat, an auctor ironice vel tropice, nomine proprio, vel Dei, vel peccatorum loquatur, et exinde concludat omnes Scripturarum sententias inter se convenire.

5) *Interpretatio S. Scripturae cum certis scientiarum naturalium conclusionibus concilianda est.* Scriptura etenim nunquam verae scientiae adversatur, quidquid in contrarium blaterent rationalistae et increduli. Quare, sicut interpres nova scientiarum systemata, quae naturalistis arridenti, non levi ratione debet amplecti, ita nec nimium insistere expositionibus, quae cum hodierno progressu scientifico pugnare videantur.

§ 3

Quam vim habeant pro theologo argumenta ex S. Scriptura.

633. Traditis hucusque, prout ratio praesentis operis ferebat, regulis atque praeceptis rectae interpretationis Scripturarum, breviter oportet vim argumentorum, quae ab earum auctoritate ducuntur, in re theologica ponderari.

1) *Ex sensu litterali S. Scripturae certe cognito firmum ac irrefragabile ducitur a theologo argumentum ad definienda dogmata catholica vel probandas conclusiones theologicas contra eos, qui admittunt inspirationem librorum canonicorum.*

Possumus in theologia procedere, ait S. *Thomas,* argumentando «si adversarius aliquid concedat eorum quae per divinam revelationem habentur, sicut per auctoritates S. Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium»[3]. Ratio est, quia sensus litteralis S. Scripturae est principaliter a Deo intentus, et ut talis necessario retinendus.

1 ***Dial, cum Tryphone,*** 65; MG 6, 625.

2 Hoc si prae oculis habeatur, intelligetur qua ratione ***matrimonium Gen.*** I, 28, pro genere humano, et ***virginitas I Cor., j,*** 27, pro privatis hominibus consulatur.

3 ***I p.,*** q. i, a. 8.

Consulto dictum est *ex sensu litterali certe cognito,* quia ex sensu litterali probabiliter cognito nonnisi probabile sumitur argumentum, magis vel minus firmum juxta probabilitatis gradum. Nihil tamen obstat, quominus dogmata catholica, quae in deposito revelationis continentur, probabilibus quibusdam S. Scripturae argumentis confirmentur.

2) *Ex sensu item spirituali ac mystico certe nobis noto, firmum ac irrefragabile ducitur argumentum ad sustinenda dogmata fidei et defendendas veritates theologicas.* Ratio est, quia sensus spiritualis Scripturae, non secus ac litteralis, est a Spiritu Sancto intentus. Hinc Christus Dominus et apostoli non semel duxerunt argumenta ex sensu mystico Veteris Testamenti in dogmatum quae docebant confirmationem. Christus etenim Legem, Prophetas et Psalmos semel et iterum de se ipso exposuit in vita, et post resurrectionem, cum duos ex discipulis comitaretur in via Emmaus, *incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*[1]. Apostolus item indissolubilitatem unionis Christi cum Ecclesia ostendit ex matrimonio dicens: *Hoc sacramentum magnum est,* etc.[2].

Dictum est *certe nobis noto;* sensus enim spiritualis incertus solum probabile suppeditat theologo argumentum[3][4].

3) *Ex sensu accommodatitio nunquam sumi potest argumentum efficax ad dogmata fidei confirmanda.* Sensus accommodatitius non est a Spiritu Sancto intentus sed ab homine propter aliquam rerum vel verborum similitudinem sibi accommodatus. Quare non satis firmiter arguere putamus illos theologos et concionatores, qui argumentis accommodatitiis nimis insistunt in gravissimis de religione quaestionibus '.

ARTICULUS IX

DE LECTIONE S. SCRIPTURAE[5]

634. Status quaestionis. Lectionem S. Scripturae in se utilem esse ac maxime salutarem nemo negaverit. Sacra enim Scriptura est verbum

1 ***Luc.,*** 24, 27.

2 Cfr. Dominicus a SSma. Trinit., ***Bibi, theol.,*** lib. 2, sect. 5, c. I.

3 Profunde hoc explicat S. Thomas, ***Quodl. 7,*** a. 14, ad 4, dicens: «Non est propter defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus: una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate, sed est fallacia consequentis; v. gr., leo propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum, unde per hoc, quod aliquid de leone dicitur in Sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus in Sacra Scriptura argumentando». Quibus apposite addit Dominicus a SSma. Trinitate: «Quod ergo sensus mysticus non possit esse plerumque principium theologicarum demonstrationum, non est propter defectum auctoritatis, quasi sensus mysticus non sit sensus Scripturae et Spiritus Sancti, sed ex nostra dumtaxat ignorantia, qua semel superata, negari non potest, quin etiam efficax argumentum ex intelligentia spirituali desumi valeat». ***Bibi, theol.,*** lib. 2, sect. 5, c. i.

4 Cfr. Raphael a S. Joseph, ***De S. theol. loc.,*** c. 4.

5 Cfr. S. Bellarminus, ***De verbo Dei,*** 2, 16; Malou, ***De la lecture de la Bible en langue vulgaire;*** Hettinger, ***Teal. fund.,*** p. 2. § 31.

Dei, quod nos «docet, ut ait S. *Thomas,* cognoscere veritatem et suadet operari justitiam» [1]. Unde primitivi fideles dicuntur sacras litteras assidue legere consuevisse [2]. Sed cum tractu temporis plures Christiani libris sacris in linguas vernaculas versis plurimum abuterentur, disputatio exorta est, an lectio S. Scripturae esset cunctis fidelibus necessaria, et an liceret omnibus indiscriminatim in lingua vulgari Biblia legere.

635. Auctorum placita, 1) Quidam catholici metenses a. 1199 docuerunt lectionem Scripturarum in lingua vulgari omnibus indiscriminatim licere, sed ab Innocentio III, agente episcopo metensi, correpti sunt. Eamdem postea libertatem cunctis fecere waldcnses et albigenses, quorum proterviam et agendi rationem repressit Concilium Tolosanum in Gallia a. 1229, faventibus Castellae et Aragoniae regibus [3].

2) Concilium item oxoniense damnavit a. 1408 doctrinam Wicleff, qui dicebat S. Scripturam in versione anglica ab ipso confecta ab omnibus legendam esse [4].

3) Haec semina fuere magnae discussionis, quam novatores saeculi xvi et deinde jansenistae suscitarunt dicentes lectionem S. Scripturae esse omnibus necessariam ad salutem [5].

4) Ecclesia nunquam dixit lectionem S. Scripturae esse necessariam sed utilem et salutarem; nec absolute interdixit Biblia in lingua vulgari legere. In Concilio tamen Tridentino actum est de norma fidelibus hac in parte praefigenda, et die 24 Martii 1564 in lucem prodierunt quatuor regulae a Pio PP. IV approbatae, quibus lectio Bibliorum in lingua vulgari limitabatur. Consequenter damnatae sunt jansenistarum propositiones praefatis regulis contrariae [6,7].

5) *Societates biblicae.* Die 7 Martii 1804 convenerunt Londini ex variis protestaittium sectis viri divites trecenti, et instituerunt *The British and Forcing Bible society* seu *Societas Biblica anglicana et extera,* ut ingentibus ad hoc destinatis facultatibus Biblia sacra in praecipuis linguis vernaculis, omnibus indiscriminatim, sive catholicis sive haereticis, imo etiam judaeis et infidelibus donarent. Fundatis ubique terrarum *societatibus adjutricibus,* auxerunt facultates ad eumdem finem et innumera gratis expenderunt Bibliorum volumina [7].

1 ***In II Tint.,*** 3, lect. 3, § «Effectus».

2 Novum Testamentum in lingua graeca, syriaca, coptica et latina, Vetus Testamentum hebraice, aramaice, vel etiam graece legere consueverunt.

3 Vide Constitutiones Jacobi regis Aragoniae apud Menéndez y Pelayo, ***Historia de los heterodoxos espaiioles,*** ed. 2.", t. 3, apéndice, p. XXXVIII.

4 Hanc deinde gloriam Wicleffo disputavit Erasmus qui in sua 3." propositione a facultate Sorbonae die 17 Dec. 1527 damnata ajebat: «Me auctore sacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus».

5 «Necessaria est S. Scriptura, ajebat Hollaz (apud Hettinger, ***Teol. fund.,*** 2, § 31) necessitate non solum mandati sed et medii ***(Joan.,*** 20, 31); adeoque Scriptura tam Veteris quam Novi Testamenti attente legenda est... omnibus hominibus aeternam vitam adepturis».

" Cfr. Bullam ***Unigenitus*** Clementis XI, Denz-Bannw., 1429 sqq.; et bullam ***Auctorem fidei,*** Pii PP. VI, prop. 67; Denz-Bannw., 1567.

7 Ab anno 1804 ad a. 1890 referuntur edita: Biblia integra 57.000.000; Novum Testamentum 58.000.000; libri separati 29.000.000, in 275 linguis et dialectis. «Hoc autem, ait Lamy, ***Introd, in S. S.,*** p. 1, c. 6, n. 5, not. I, ejus (societatis) est ad fallendos catholicos artificium: eligit versiones vernaculas a viris catholicis factas, v. gr., pro hispanis versiones P. Scio; pro polonis versionem Wuieckii; pro lielgis versionem Vah Winghe; pro gallis versionem Sacy; his versionibus amputat notas, servat approbationes, resecat libros deuterocanonicos V. T., simul aut excudit versiones haereticas, v. gr., gallice versionem genevensem, et haec omnia incautis vili vel nullo pretio vendit».

6) *Hodierna Ecclesiae disciplina.* Die 24 Jan. 1897 edita est *Leonis XIII* constitutio *Officiorum ac munerum* seu *de prohibitione et censura librorum,* qua tandem statuitur Ecclesiae disciplina quoad lectionem Bibliorum tum in textu primigenio, tum in versionibus antiquis et vernaculis hodiernis.

Sequentia decernuntur cc. 2-3.

«l.° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum *a catholicis datae* omnibus permittuntur».

«2.0 Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae, etiam Ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam *, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur. Eadem ratione et sub iisdem conditionibus permittuntur aliae versiones sacrorum Bibliorum sive latina sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae».

«3.0 Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus».

«Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per societates biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur».

Juxta hanc Ecclesiae disciplinam 1) *fidelibus* solummodo permittitur lectio S. Scripturae vel in textu originali et antiquis versionibus catholicis a catholicis datis vel etiam in versionibus in lingua vernacula quae a Sede apostolica approbatae fuerunt aut sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus SS. Patrum et scriptorum catholicorum factae; 2) *iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam* permittitur lectio versionum S. Scripturae in qualibet lingua non vulgari ab acatholicis editae, dummodo in earum prolegomenis aut adnotationibus non impugnentur fidei catholicae dogmata. 3) *Nemini* licet lectio versionum in lingua vulgari, nisi fuerint a S. Sede approbatae vel saltem sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus SS. Patrum et scriptorum catholicorum factae.

636. THESIS I. Lectio S. Scripturae non est omnibus indiscriminatim Christi fidelibus necessaria ad salutem.

Arg. Lectio Bibliorum non est necessaria ad salutem necessitate medii nec praecepto divino positivo nec jure ecclesiastico. Ergo. Prob. ant.

1) *Non est necessaria necessitate medii.* Salutem quippe aeternam plures adepti sunt sine Bibliorum lectione. Sic ante Moysen, qui primus dedit Scripturas, patriarchae et fideles non pauci salutem animae consequuti sunt. Post Moysen plures gentiles, quibus nec exsistentia quidem sacrorum librorum innotuit, legi naturali et revelationi primitivae consentientes, vitam aeternam adepti sunt. Post Christi adven-

1 Studiis theologicis vel biblicis operam dare dicuntur juxta A. Vermeersch, ***De prohibitione et censura librorum,*** p. 81-82, «non soli neque omnes clerici vel sacerdotes, neque hi qui actu transeunte, v. gr., pro concione scribenda S. Scripturae punctum dilucidare volunt; sed hi qui ***habitualiter*** in scholis vel privatim, partem saltem aliquam sui temporis his studiis dare solent». Alumni theologiae et linguae hebraicae ac graecae in seminariis possunt codices hebraicos et graecos ab acatholicis editos consulere atque legere, non tamen in scholis sub ductu professoris discere aut vertere nisi obtenta S. Sedis facultate. Decr. S. C. Indicis 21 Junii 1898 ***Acta S. S.,*** vol. 30, 749.

tum, completa jam revelatione evangelica, tum gentiles qui invincibili ignorantia laborant, tum illi qui in sectis haereticis bona fide permanent, tum plures catholici qui ob ruditatem, ignorantiam, caecitatem, defectum librorum, aetatis, etc., libros sacros nunquam legerunt, sanctificantur et salvantur. Ipse etiam incredulus qui nunquam Scripturas salutare voluit, si in articulo mortis dolore tactus peccata confiteatur, nonne misericordiam Dei et vitam aeternam consequetur? Ad rem optime arguit S. *Irenaeus* dicens: «Quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi (traditionis) assentiunt multae gentes barbarorum eorum qui in Christum credunt sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes... propter fidem placent Deo»[1]. Item S. *Augustinus* ait: «Homo fide, spe et caritate subnixus eaque inconcusse retinens *non indiget scripturis,* nisi ad alios instruendos... Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt» [2].

2) *Non est necessaria praecepto divino positivo.* Nullibi docetur sive in Scriptura sive in traditione lectionem Bibliorum esse necessariam ad salutem; et protestantes, praesertim societatum biblicarum ministri, qui contrarium defendunt, somniantur. Testimonia siquidem, quae pro necessitate hujus lectionis ex utroque Testamento congerunt, vel ad populum israeliticum, cui scripturae singulis septenniis legendae erant, se referunt, ita ut post Christi adventum illa lex caeremonialis abrogata fuerit, vel consilium dumtaxat et exhortationem, non praeceptum, continent. Servator noster fidelium instructioni satis consultum esse censuit apostolorum et doctorum praedicatione dicens: *Euntes docete omnes gentes, praedicate Evangelium omni creaturae, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Qui crediderit et baptizatus juerit, salvus erit* [3].

Verba autem *scrutamini Scripturas,* quae Jesus protulit [4], vel indicativa sunt, ut docet *Toletus* [5], vel conditionalia, quasi diceret: Si vultis divinitatem meam ostendere, *scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt quae testimonium perhibent de me.*

3) *Non est necessaria praecepto ecclesiastico.* Ecclesia, licet lectionem S. Scripturae debitis conditionibus utilissimam agnoverit, nunquam tamen ad salutem necessariam dixit, sed certis limitibus moderata est. Unde SS. Patres communiter docuere multos fideles a lectione Bibliorum imperitia, occupatione, paupertate impediri et nihilominus pastorum praedicationi consentientes salvari [6].

637. Thesis II. Non expedit, ut omnes indiscriminatim fideles lectioni S. Scripturae in lingua vulgari sine adnotationibus se dedant.

1 ***Coni. haer.,*** lib. 3, c. 4; MG 7, 855.
2 ***De doctr. christ.,*** 1, 39; ML 34, 36.
3 ***Matth.,*** 28, 19-20; ***Mare.,*** 16, 15 sq.
4 ***Joan.,*** 5, 39.
6 ***In Joan.,*** 5, 39.
° Cfr. Molou, ***l.a lecturo de la Dibit en langue vulgaire,*** t. I, c. 6.

Arg. In Sacra Scriptura traduntur, ut omnes norunt, occultissima mysteria et dogmata sub cortice saepe obscura et ambigua verborum; occurrunt interdum apparentes contradictiones et antilogiae; et narrationes non semel incestuum, fornicationum et adulteriorum habentur; imo et locutiones amatoriae, quae difficilem interpretationem admittunt, in Canticis Canticorum passim offenduntur x. Haec in linguis vernaculis ita saepe augentur, ut non possint a fidelibus indiscriminatim sine adnotationibus recte interpretari. Hinc sapienter Ecclesia moderata est lectionem Bibliorum in variis versionibus praesertim vernaculis, in quibus figurae, tropi et modismi magis latent.

638. Thesis III. Societates biblicae merito ab Ecclesia damnatae sunt.

Arg. Societates biblicae earumque ministri per orbem dispersi a) solam Scripturam docent ad salutem sufficere, b) lectionem Bibliorum volunt esse omnibus necessariam, c) textum corruptum vel mutilatum in pluribus versionibus exhibent, et d) Bibliorum exemplaria sic corrupta in lingua vulgari sine ulla adnotatione omnibus indiscriminatim non solum fidelibus sed etiam judaeis atque gentilibus distribuunt. Haec autem nunquam licent. Unde societates biblicae gravissimis verbis damnatae sunt a Pio VII, die 29 Jun. et 3 Sept. 1816; a Leone XII, encyclica *Ubi primum,* 5 Maji 1824; a Pio VIII, encycl. *Traditi humilitati,* 24 Maji 1829; a Gregorio XVI, encycl. *Inter praecipuas machinationes,* 8 Maji 1844; a Pio IX, in Syllabo § 4.

QUAESTIO XXIII

DE SACRA TRADITIONE

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT TRADITIO

639. Latior traditionis notio. Traditionis nomen, si latius sumas, significat quamlibet doctrinae sive verbo sive scripto a majoribus ad posteros transmissionem. Sumitur *active* pro ipso actu transmissionis, *objective* pro doctrina tradita, et *complexe* pro utroque simul 1. De hac traditione complexe sumpta ait Apostolus: *Itaque fratres, state ac tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* 3. Lata pariter significatione dicitur traditio quaelibet doctrina et

1 Ex. gr. Laeva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me *(Cani.,* 2, 6); duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli... quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa *(Cant.,* 4, 5 et 10); umbilicus tuus crater tornatilis *(Cant.,* 7, 2).

2 Cfr. Franzelin, De *div. trad* , th. 1, et Hurtor, η. lio.

s II Thess., 2, 15.

notitia sive religiosa sive profana a majoribus ad posteros viva voce transmissa.

Strictior traditionis notio. Pressius loquendo, traditio significat doctrinam de religione in Scriptura non contentam, sed a majoribus ad posteros oretenus transmissam. Unde quoad theologiam spectat traditio recte definitur: *Doctrina de religione solo verbo -primitus Ecclesiae communicata et ad posteros extra Scripturam transmissa.* Nihil obstat, quominus dein in libris particularibus vel aliis forsan monumentis consignetur, dummodo auctor, cui facta est revelatio, non litteris sed voce dumtaxat communicaverit.

640. Divisio. Traditionum partitiones peti solent 1) a *causis* quae eas producunt; et 2) a *circumstantiis* quae eas comitantur. Porro traditionum causae sunt *efficiens, materialis, finalis* et *instrumentalis;* circumstantiae enumerantur *locus, tempus* et *modus.*

1) Ex parte causae.

a) *Ratione causae efficientis* seu *auctoris* dividitur in *divinam, apostolicam* et *ecclesiasticam.* Divina ipsum Deum habet auctorem, estque *doctrina a Deo immediate revelata, Sacris Scripturis non consignata, sed oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto Ecclesiae tradita et per magisterium Ecclesiae ad posteros infallibiliter transmissa.* Hujusmodi sunt plura quae dixit et fecit Jesus et non sunt in Novo Testamento conscripta ut doctrina de materia et forma quorumdam sacramentorum. Traditiones divinae subdividuntur in pure *divinas* seu *dominicas* et *apostolico-divinas,* prout apostoli ab ipsius Christi ore acceperunt, vel Spiritu Sancto dictante didicerunt. Quae apostoli ipsius Christi ore prolata audierunt et promulgaverunt, constituunt traditiones *dominicas;* quae post Christi ascensum Spiritu Sancto revelante didicerunt et tradiderunt, appellantur traditiones *divino-apostolicae* [1]. Apostolicae sunt statuta quae apostoli suo nomine, sub adsistentia ad summum Spiritus Sancti, sine speciali revelatione decreverunt, ut observatio diei dominicae loco sabbati, institutio quadragesimae, etc. [3]. Ecclesiasticae demum sunt obser-

1 Cfr. ***Joan.,*** 20, 30; et 21, 25.

2 Hanc distinctionem, licet in Concilio Trid. ***sess.*** 4; Denz-Bannw., 783, fundatam, alii aliter exponunt. Non traditionem divinam sed apostolicam volunt esse subdividendam in ***apostolico-divinam*** et pure ***apostolicam:*** praeferenda tamen videtur divisio, quam dedimus cum Cano, ***De locis,*** lib. 3, c. 5.

3 Ut traditiones ***divinae*** (praesertim ***divino-apostolicae),*** et ***apostolicae*** recte distinguantur, sedulo animadvertendum est cum cl. Franzelin ***(De div. trad.,*** th. 1) apostolos duplici munere functos esse. Fuerunt nempe 1) ***praecones*** doctrinae et institutorum Dei, quatenus, ea quae a Christo vel Spiritu Sancto acceperant, promulgaverunt; 2) ***pastores et rectores*** Ecclesiarum, quatenus auctoritate pastorali fulti disciplinam ecclesiasticam moderati sunt et leges tulerunt ad salutem animarum utiles. Ad discernendas traditiones quae hoc duplici modo ab apostolis prodierunt inspicienda est materia. Si agatur de doctrina religiosa, ut perpetua virginitas B. V. M., planum est traditionem esse divinam. Si de instituto aut praecepto aliquo sermo sit, inquirendum est, qualem requirat potestatem; sic traditiones de materia et forma quorumdam sacramentorum, de confessione sacramentali communioni praemittenda, etc., ***divinae*** sunt, quia excedunt facultatem pastoralis regiminis apostolorum; traditio c contra de chrismate singulis annis renovando est mere ***apostolica*** In omni casu standum est judicio Ecclesiae. Cfr. S. Bellarminus, ***De verbo Dei,*** lib. 4, c. 9; Mazzolla, ***De Rei. et Eccl.,*** n. 321 sqq.

vantiae quaedam salutares quae post apostolica tempora vel ordinatione Praelatorum Ecclesiae vel spontanea fidelium consuetudine introductae sunt et ad posteros communicatae, ut observantia festorum, abstinentia carnium, formatio sanctae crucis in fronte, aspersio aquae benedictae, etc.

b) *Ratione causae materialis* dividitur in *dogmaticam* et *moralem,* prout fidem vel mores respicit. *Moralis* rursus potest esse vel *moralis* proprie dicta vel *disciplinaris et liturgica,* quatenus mores proprie dictos, vel disciplinam aut liturgiam moderatur.

c) *Ratione causae finalis* est *necessaria* vel *libera,* prout obligationem inducit vel consilium continet. Sic *necessario* parum aquae in calicem cum vino immittendum est, et *libere* potest, dummodo id fiat sine contemptu, aquae lustralis usus praetermitti.

d) *Ratione causae instrumentalis* in tot membra dispescitur, quot sunt monumentorum species quibus continetur. Hinc traditio vocatur *symbolica, pontificia, conciliaria, patristica, liturgica, historica, archaeologica,* etc., quaetenus, symbolis, decretis pontificiis, etc., continetur.

Ratione iterum *causae instrumentalis* traditio dici solet *inhaesiva,* si ea quae in S. Scriptura continentur docet; *declarativa,* si clarius explicat, quae S. Scriptura obscurius tradit; et *oralis,* si comprehendit quae in S. Scriptura non continentur

2) Ex parte circumstantiarum.

a) *Ratione loci* dicitur *universalis* vel *particularis,* prout ad totam Ecclesiam vel ad aliquam dumtaxat ejus partem se extendit.

b) *Ratione temporis* est *perpetua* vel *temporalis,* prout immobilis permanet vel mutationem patitur.

c) *Ratione modi* dividitur in *explicitant* vel *implicitam,* quae ex terminis patent [1].

ARTICULUS II

UTRUM DETUR DIVINA TRADITIO QUAE CONTINEAT VERBUM DEI IN S. SCRIPTURA NON RELATUM

641. Status quaestionis. Notum est ex Evangelio [3] Christum Dominum, dum in terris ageret, multa docuisse apostolos, turbas et amicos, qui ipsum sequebantur; post resurrectionem apostolis *praebuit se ipsum vivum... in mullis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*[4]. Alia quoque plura habebat Jesus dicere quae apostoli portare tunc non poterant, sed Spiritus Sanctus edocturus erat juxta illud: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem*

1 ***Inhaesiva*** et ***declarativa*** non sunt proprie traditiones.

2 Quae diximus de natura et divisione traditionis, optime illustrant Stapleton, ***Controv.,*** lib. 8; Canus, ***De locis,*** lib. 3; S. Bellarminus, ***De verbo Dei,*** lib. 4, c. I sqq.; Wirceburgenses, ***De traditionibus sacris,*** n. 58 sqq.: Berthier, ***De locis theol*** . n. 6 sqq.; Franzelin, ***De div. trad.,*** th. 1-3.

3 ***Joan.,*** 20, 30; et 21, 25.

4 ***Act.,*** i, 3.

veritatem". Hujus porro doctrinae edocendae conservandaeque causa promisit Christus apostolis Spiritum veritatis, ut maneret cum ipsis in aeternum. Ea quae Christus ante et post mortem docuit, et Spiritus Sanctus apostolis suggessit, suntne consignata in paginis Novi Testamenti? Vel potius continentur in divina traditione? Estne S. Scriptura unicum depositum divinae revelationis, vel addenda est divina traditio parem cum Scriptura habens auctoritatem? En quaestio fundamentalis, quae agitatur catholicos inter et protestantes, et quae totam fere pervagatur sacram theologiam.

642. Controversiae punctum. *Catholici* semper tenuere praeter S. Scripturam aliud dari depositum revelationis, traditionem scilicet divinam, quae contineat veritates revelatas religionem spectantes, quae primitus viva voce Ecclesiae communicatae sunt, et postea, licet libris particularibus aliisque monumentis exaratae fuerint, nunquam in libris canonicis fuerint relatae 1. *Protestantes* hanc doctrinam mordicus impugnant dicentes unicam fidei regulam, in qua tota Dei revelatio contineatur, esse S. Scripturam, nullamque dari divinam cui adherendum sit traditionem, quae contineat veritates revelatas in S. Scriptura non comprehensas 3. Ad summum traditiones *inhaesivas* et *declarativas* in sensu superius exposito admittunt. Traditiones orales, si dentur, non infallibiles nec a Deo revelatas esse dicunt, sed probabiles tantummodo argumentorum fontes 4.

Rationalistae item hodierni docent traditiones omnes fallibiles esse et plerumque vitiatas 5.

643. THESIS. Exsistunt in Ecclesia traditiones divinae, quae verbum Dei in S. Scriptura non comprehensum continent.

Arg. I. *Ex S. Scriptura,* a) Christus Dominus nec librum scripsit, nec praeceptum dedit apostolis scribendi veritates revelatas sed praedicandi Evangelium et docendi *ore* omnes gentes. *Euntes autem,* inquit, *praedicate dicentes, quia appropinquavit regnum caelorum* 6. Rursus: *Euntes ergo docete omnes gentes* 7... Apostoli hoc mandatum exsequuturi,

1 ***Joan.,*** 16, 13.

2 Haec catholicorum doctrina definita est in Concilio Tridentino, stfss. 4: Denz-Bannw., 783; et Vaticano, ***sess.*** 3, c. 2; Denz-Bannw., 1787.

3 Liceat hic referre ipsa protestantium verba. In ***formula concordiae*** dicitur: «Credimus unicam regulam ac normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et judicari oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti». Item in ***confes. helv.,*** 2, c. 2, haec habentur: «Non alium sustinemus in causa fidei judicem, quam ipsum Deum per Scripturam S. pronuntiantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit quidvc fugiendum». Denique ***ari.*** 6 ***ecclesiae anglicanae*** legitur: «Scriptura S. omnia continet ad salutem necessaria, ita ut quidquid in ea non legitur nec possit per eam probari, non debeat ab aliquo exigi, ut credatur veluti fidei articulus, aut censeri necessarium ad salutem». Cfr. Orts, ***EI mejor camino,*** c. 6.

4 Cfr. Sutthelworth, ***Not Tradition, but Scriptura:*** Hase, ***Enchir.,*** lib. I, c. 5; Briggs, ***The Bible, the Church, and the Reason.***

6 Vid. Weiss, ***Lehrbuch der. Eint. in das N. T.,*** p. 5; Harnack, ***Dogm. geschichte,*** et alii.

* ***Matth.,*** 10, 7.

7 ***Matth.,*** 28, 19-20.

plura, quae didicerant, praedicatione evangelica populo tradiderunt et traditione orali ad posteros transmittenda reliquerunt. Sicut enim Evangelium, antequam scriberetur, in traditione integrum permansit, ita etiam alia plura vel a Christo edocta vel a Spiritu Sancto dictata potuerunt traditione contineri. Et ita revera factum esse constat tum ex impossibilitate consignandi litteris omnia dicta factaque Christi, tum ex aperto testimonio S. *Joannis* dicentis: *Sunt autem et alia multa quae fecit Jesus, quae si scribantur -per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros* L Exsistunt ergo in Ecclesia traditiones divinae a S. Scriptura distinctae, quae verbum Dei continent.

b) Apostoli item hortati sunt fideles, ut cunctas ab ipsis traditas doctrinas tenerent non secus ac S. Scripturam. *Laudo autem vos,* inquit Paulus, *fratres, quod per omnia mei memores estis; et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis* 1. Et rursum: *Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram* 3. Ubi, ut vides, hortatur fratres, ut aequo jure tenerent traditiones quas didicerunt *per sermonem,* et doctrinas quas acceperunt *per epistolam.* Ad Timotheum autem haec commendat: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* 4. Iterum: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum... 5. Confortare in gratia, quae est in Christo Jesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere?* 6. Hanc epistolam scripsit S. *Paulus* sub finem vitae suae, quando major pars Novi Testamenti exarata fuit et *Timotheo* valde nota7, et nihilominus traditionum depositum, quod audierat ab ipso, per multos testes custodire commendavit.

Hoc argumentum pulcherrime confirmat *Canus* dicens: «Duas Petri epistolas habemus, et credimus mutum annis septem Antiochiae sedisse, elinguem Romae annis viginti quinque? Num nihil aliud verbo docuit, quam quod epistolis duabus scriptum reliquit? Quid? Andreas, Thomas, Bartholomaeus, Philippus, nonne sine scriptura, solo intercurrente verbo, Ecclesias sibi destinatas et fundarunt in fide et religione continuerunt? Consentiamus igitur, quod negari non potest, fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab apostolis esse traditam»8.

c) Nisi admittatur traditio divina, in discrimen adducuntur inspiratio librorum sacrorum ipsaque S. Scriptura. Licet enim Spiritu Sancto inspirati locuti fuerint sancti Dei homines, non ex S. Scriptura sed ex

1 ***Joan.,*** 2i, 25. «Quid autem, ait apposite ad rem S. Ironaeus, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?» ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 3, n. 1; MG 7, 855.

2 ***I Cor.,*** ii, 2.

3 ***II Tkess.,*** 2, 15.

4 ***I Tini.,*** 6, 20.

5 ***II Tini.,*** i, 13-14.

" ***II Tim.,*** 2, 1-2.

' ***II Tim.,*** 4, 6.

8 ***De locisllieol.,*** lib, 3, c. 3 in fine.

traditione novimus quos libros sub hac inspiratione composuerint hagiographi.

644. Dices. *Déut.* 4, 2, praecepit Deus: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Item S. *Joannes* ait: *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto* Ergo traditio divina non est admittenda.

Resp. In locis citatis non reprobantur traditiones divinae sed doctrinae humanae verbo Dei contrariae. Adde quod in Deuteronomio prohibetur aliquid adjungere verbo Dei etiam tradito, id est, ad verbum quod vobis loquor.

645. Arg. Π. *Ex SS. Patrum et veterum testimoniis. Clemens Romanus* ait: «Apostoli... praedicantes per regiones et civitates, harum primitias spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant, constituerunt» 1. Quem locum exponens addit S. *Irenaeus:* «Reparat Clemens Corinthiorum fidem, et quam nuper ab apostolis acceperant traditionem» 3.

S. *Ignatius Antiochenus* 4 meminit traditionis in apostolis constitutae, et unanimis sententiae in eorum successoribus conservatae. Unde «singularum civitatum ecclesias... hortatus est, ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent, quas testificans jam etiam scripto consignare securitatis causa necessarium duxit» 5.

S. *Polycarpus* ait: «Relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur» 6.

Papias diligentissime apostolorum traditiones collegit 7, quas *Hegesippus* quinque libris consignavit 8.

S. *Irenaeus* disputans adversus gnosticos traditionis defensionem suscepit dicens: «Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum... quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem; non enim per litteram traditam illam (scimus) sed per vivam vocem... Cum autem ad eam iterum *traditionem... quae per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur,* provocamus eos, adversantur traditioni dicentes se non solum presbyteris sed etiam apostolis exsistere sapientiores, sinceram invenisse veritatem... Evenit itaque neque Scripturis jam neque traditioni consentire eos... *Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos»* ®.

Tertullianus recensitis variis traditionis capitibus addidit: «Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: *traditio tibi praetendetur auctrix,* consuetudo confirma-

1 ***Apoc.,*** 2?, 18.
2 ***1 ad Cor.,*** c. 42; MG 1, 292.
3 ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 3, n. 3: MG 7, 850.
1 ***Ad Ephes.,*** nn. 3-4; MG 5, 648.
6 Eusebius, ***H. E.,*** lib. 3, c. 36: MG 20, 288.
« ***Ad Philipp.,*** c. 7; MG 5, 1012.
7 Cfr Eusebius, ***II E.,*** lib. 3, c. 39; MG 20, 296 sq.
8 Eusebius, //. lib, 4, c. 22; MG 20. 377.
8 ***Adv. haer.,*** lib. 3, cc. 2-3; MG 7, 846 sqq.

trix; fides observatrix»1. Cui consonat illud *Origenis:* «Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione» 1.

S. *Basilius* contra macedonianos disputans ait: «Ex adservatis in Ecclesia *dogmatibus et praedicationibus* alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum, quorum utraque vim eamdem habent ad pietatem» 3. Et S. *Epiphanias:* «Traditione quoque opus est... Alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt»4.

Qui plura velit hac de re SS. Patrum testimonia, adeat S. *Cyprianum* 5, S. *Athanasium* 0, S. *Augustinum* 7, et praesertim *Vincentium Lirinensem,* qui ait: «Id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est» 89

646. Arg. III. *Ex Conciliis.* Patres nicaeni, si fides est *Athanasio* °, vocabulum *homousion* usurpare voluerunt, quia non a se fictum sed ab aliis olim acceptum fuit, et catholicam ejus significationem «a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse» demonstrarunt.

Concilium Ephesinum, ut refert *Vincentius Lirinensis* 10,* SS. Patrum sententiis in medium prolatis antiqui dogmatis religionem confirmavit,

Patres Concilii Nicaeni II «Divinorum Patrum doctrinae insistentes et catholicae Ecclesiae, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes» definitionem fidei ediderunt u.

Concilium Tridentinum solemniter id ipsum declaravit dicens: «Perspiciens (synodus) hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerant, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon *traditiones ipsas,* tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, *pari pietatis ajjectu ac reverentia suscipit et veneratur»* 12. Hanc definitionem retinuit Concilium Vaticanum in *Const, dogm. de Fide,* c. 2.

647. Arg. IV. *Contra protestantes.* «Protestantes, ait ad rem optime cl. *Pesch,* de Scriptura tria docent: a) libros omnes et solos in canone suo contentos esse verbum Dei inspiratum; b) nihil fide divina credendum esse, quod ex his libris non hauriatur; c) singulos fideles esse

1 ***De Corona,*** c. 4; ML 2, 99.
2 ***De Princip.,*** lib. 1, ***praef.*** n. 2; MG 11, 116.
3 ***De Spiritu Sancto,*** c. 27, n. 66; MG 32, 187.
1 ***Haer.,*** 61, n. 6; MG 41, 1048.
5 ***Ep.*** 27; ML 4, 306.
° ***De decret, nicaen.,*** n. 27; MG 25, 465 sqq.
7 ***De utilitate credendi,*** c. 17; ML 42, 91.
8 ***Commonit.,*** 1, c. 2; ML 50, 640.
9 ***De decret, nicaen.,*** n. 27; MG 25, 465.
10 ***Commonit.,*** 1, c. 29; ML 50, 677.
u ***In definit, fidei:*** Mansi, 13. 730.
12 Scss. 4; Denz-Bannw., 783.

authenticos interpretes Scripturae. Atqui horum nihil docetur in S. Scriptura. Ergo» 1.

648. Corollaria. Ex his accipe duo corollaria.

1) *Traditio divina praecedit tempore Scripturam.* Revelatio etenim, quam continent Scripturae, prius communicata et transmissa est traditione orali, ut fateri coguntur protestantes hodierni.

2) *Traditio divina latius patet Scriptura.* Complectitur enim traditio non solum veritates quae sunt in S. Scriptura, verum etiam alia dogmata a fidelibus credenda, a) Jam olim *ab origine generis humani* revelatio de Deo creatore, sanctificatore, futuro redemptore, etc., facta hominibus, retenta est per traditionem sine Scriptura in lege naturae; b) deinde in *lege scripta* tenebantur sola traditione quae deerant in Scripturis, ut promissio de praemiis aeternis 2 remedium peccati originalis pro feminis imo et pro masculis ante circumcisionem decedentibus 3, et cetera; c) denique *in lege gratiae* post completum canonem Scripturarum multa habentur sola traditione, ut parvulos esse baptizandos, baptismum haereticorum esse validum, libros canonicos esse inspiratos, etc., 4.

Solvitur difficultas.

649. Obj. Joannes in fine sui Evangelii ait: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* 6. Ergo quae scripta sunt, sufficiunt ad vitam aeternam adipiscendam. Ita protestantes.

Resp.—Neg. conseq. a) Interpretationem protestantium esse falsam inde constat quod evangelista loquitur de suo Evangelio, quod si sufficeret ad integritatem fidei, ahi canonis libri rejiciendi forent, b) S. Joannes loquitur de miraculis Jesu, quae a se narrata sufficere adserit ad ostendendam Christi divinitatem; et addit; *ut credentes* non solum Christi divinitatem sed totam doctrinam revelatam, vitam habeatis in nomine ejus.

650. Scholion. Innumera SS. Patrum effata congerunt protestantes, ut suam *de sufficientia solius Scripturae* ostendant sententiam. Sed frustra. Placet heic regulas quasdam generales, quibus possint omnes difficultates in hac materia faciliter everti, in commodum candidati lectoris subjicere.

1) Quando Patres videntur adserere omnia in sacris Scripturis contineri, vel a) loquuntur de subjecta materia, de mysterio scilicet de quo agunt seu disputant cum haereticis: vel b) verbum *omnia* restringunt ad ea quae sunt de necessitate medii credenda; vel c) Scripturae nomine intelligunt lato sensu totum verbum Dei revelatum.

2) Quoties Patres sufficientiam Scripturae ad salutem praedicare videntur, necessitatem verbi divini quod praecipue in sacris litteris continetur, adstruere volunt, quin tamen rejiciant traditiones orales.

3) Quando Patres traditiones praeterire vel etiam rejicere visi sunt, non de divinis nec de apostolicis et ecclesiasticis traditionibus egerunt, sed de apocryphis ab hominibus qui nulla gaudebant auctoritate inventis, quas Ecclesia, ut aequum est, semper rejecit 6.

4) Quandoque ex sola auctoritate Scripturae arguendum esse dixerunt, quia disputabant cum haereticis, qui nullum fontem theologicum nisi S. Scripturam admittebant 7.

1 ***Inst. propaed.,*** n. 567.
2 Cfr. Suarez, ***De legibus,*** lib. 9, c. 6, n. 21.
3 Vid. S. Bellarminus, ***De verbo Dei,*** lib. 4, c. 4.
4 Cfr. Berthier, ***De locis theol.,*** n. 36.
6 ***Joan.,*** 20, 31.
" Cfr. Billuarl, ***De regulis fidei,*** diss. 2, a. 2.
' Cfr. S. Bollarnilnu», ***Do verbo Dei,*** lib. 4, c. n, et alii.

ARTICULUS III

UTRUM TRADITIONES ORALES INFALLIBILITER AD NOS USQUE PERVENERINT

651. Status quaestionis. 1) Agimus de conservatione traditionis divinae, quae, ut diximus, verbum Dei revelatum continet, et nullam ex sua natura mutationem patitur.

2) In propagandis et conservandis divinis traditionibus consideranda sunt, non solum *actio humana,* quae ex se fallibijis est, sed praecipue *actio Dei,* quae efficacissima est et immutabilis, et *media* quibus traditiones transmittuntur, vivum scilicet Ecclesiae magisterium tum solemne tum ordinarium, quod diversimode exercetur, ut ex dicendis patebit.

3) Hinc oritur quaestio, an praefatae traditiones sint ex promissione et actione Christi mediisque opportunis ad hoc destinatis immutabiliter conservandae atque infallibiliter a majoribus ad posteros usque in finem saeculorum transmittendae.

652. Errores. *Protestantes, rationalistae* et *niodernistae,* qui, actionem Dei et adsistentiam Spiritus Sancti négligentes, mediis dumtaxat naturalibus fidunt, nullam veritatis transmissionem admittunt nisi *historicam* et *instinctivam conscientiae christianae,* utramque certe fallibilem. Hinc impossibile putant veritates, quae in sacris litteris non continentur, incorruptas per jugem saeculorum successionem ad nos usque pervenire.

653. Thesis. Traditiones divinae immutabiliter ad nos usque pervenerunt.

Arg. I. 1) Christus Dominus ait apostolis: *Euntes ergo, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*[1]. Rursus: *Praedicate Evangelium omni creaturae*[2]. En vivum magisterium a Christo institutum cum auctoritate traditionis propagandae atque conservandae. Apostolis autem et eorum successoribus, praedicantibus et docentibus quae audierant, adjunxit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*[3] Sed magisterium, cui adest virtus et adsistentia Christi, falli non potest in exponendis doctrinis. Ergo traditiones divinae per Ecclesiae magisterium expositae infallibiliter ad nos usque pervenerunt.

2) Id ipsum confirmavit Apostolus cum *Timotheo* scribens ait: *Quae audisti a me -per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere*[4]. Quibus verbis non solum hortatus est *Timotheum,* ut quae a se audierat fidelibus communicaret, verum etiam diserte adseruit fideles fore idoneos, ut alios docerent. Unde traditionem

1 ***Matth.,*** 28, 19 sq.
2 ***Marc.,*** 16, 15.
3 ***Matth.,*** 28, 20.
4 ***II Tim., 2,*** 2.

alibi vocat *depositum* x, quod ex jure civili est quasi thesaurus aliis transmittendus.

Arg. II. *Ex SS. Patribus.* SS. Patres luculenter hanc veritatem docuerunt et simul rationem reddiderunt incorruptae conservationis doctrinae traditae. «Servetur, ait *Origenes,* ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica discordat traditione»1. S. *Augustinus,* loquendo de Ecclesiae pastoribus, quibus commissum est magisterium, haec habet: «Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt» 34 Haec transmissio facta est juxta S. *Irenaeum** «per charisma veritatis certum» vel «per operationem Spiritus»5; juxta *Tertullianum* per Spiritum Sanctum, qui «ad hoc missus est a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis... non sinens Ecclesias aliter interim intelligere et aliter credere»6; juxta S. *Augustinum* 7 per Dominum inhabitantem Ecclesiam.

654. Scholion. Media ad hanc incorruptam traditionis conservationem necessaria nunquam defuerunt Ecclesiae. Traditio enim dicitur *oralis* in oppositione ad S. Scripturam, sed, ut alibi notatum est, hoc non obstat, quominus in aliis libris non inspiratis consignetur. Porro magisterium infallibile, sive solemne sive ordinarium, Ecclesiae, quod penes pastores invenitur et est organon traditionis divinae, exeritur in definitionibus dogmaticis et symbolis fideique professionibus, quae immutabilia sunt, necnon in Ecclesiae praxi, SS. Patrum et theologorum scriptis, fidelium consensu atque aliis documentis pastorumque praedicationibus et doctrinis, edoctis sub adsistentia Spiritus Sancti.

ARTICULUS IV

QUODNAM SIT ORGANON TRADITIONIS DIVINAE

655. Status quaestionis. Organon traditionis vocantur illa media, quibus revelationes divinae traditioni commissae dignoscuntur, custodiuntur et ad alios transmittuntur. Porro hujusmodi media, licet plura sint, ad magisterium Ecclesiae facile reducuntur. Magisterium infallibile Ecclesiae, quod in pastoribus residet, aliud est *solemne* aliud *ordinarium* juxta illud Concilii Vaticani: *Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive* solemni *judicio, sive* ordinario et universali *magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur*8.

1 ***I Tini.,*** 6, 20; ***II Tim.,*** 1, 14.
2 IIsp'. «ρχων, lib. 1, in praef., n. 2; MG 11, 116.
3 ***Cont. Julian.,*** lib. 2, n. 34; ML 44, 698.
4 ***Adv. haer.,*** lib. 4, c. 26, n. 2; MG 7, 1053.
6 ***Adv. haer.,*** lib. 3, c. 24, n. 1; MG 7, 966.
° ***De praeseripl., c.*** 28; MI. 2, 47.
7 ***In Ps. (j,*** n. 12; ML 36, 122.
" Sess. 3, C. 3, ***de. fide:*** Donz-Bunnw., 1792.

Magisterium *solemne* in definitionibus dogmaticis seu judiciis formalibus continetur, *ordinarium* in praedicatione ecclesiastica seu instructione populorum exhibetur.

Quaeritur hic, an Ecclesiae magisterium sit authenticum et adaequatum organon traditionis conservandae atque propagandae.

656. Error. Hic etiam sicut in superioribus agendum nobis est contra protestantes, qui, magisterium infallibile a Christo Domino institutum omnino respuentes, nullum admittunt traditionis divinae propagandae organon authenticum.

657. Thesis. Magisterium vivum et infallibile Ecclesiae, quod in «solemne» et «ordinarium» dispescitur, est authenticum et adaequatum organon traditionis conservandae atque propagandae.

A. De magisterio solemni ut est organon traditionis.

Magisterium solemne Ecclesiae manifestatur, ut diximus, *in definitionibus dogmaticis, in symbolis* et *professionibus fidei,* quae a Romanis Pontificibus vel Conciliis Oecumenicis (aut etiam particularibus ab Ecclesia receptis vel a Summo Pontifice *in forma solemni* approbatis) editae sunt.

658. 1) Definitiones dogmaticae sunt, ut ipsa vox sonat, declarationes solemnes, quibus Romani Pontifices vel concilia decernunt aliquam doctrinam a Deo revelatam esse et ab omnibus fide tenendam. Hujusmodi sunt dogma Immaculatae Conceptionis, inerrantia Romani Pontificis ex cathedra loquentis in rebus fidei et morum, et alia quamplurima decreta conciliorum et solemnes definitiones Romanorum Pontificum. in quibus nonnulla jam sacris litteris consignata contra obortos errores declarantur, et alia in sola traditione contenta definiuntur [x].

659. 2) Symbola vocantur quaedam simplices ac breves summae veritatum fidei. Horum utilitatem negabit nemo. Symbolum enim, summam veritatum fidei brevi compendio exhibens, faciliorem reddit dogmatum intelligentiam, unitatem fidei totius servat, et fideles ab infidelibus facile secernit. S. *Thomas*[1] egregie ostendit in symbolo contineri ea omnia, quae sunt fidelibus ad salutem necessaria [3].

Tria sunt symbola praecipua in tota Ecclesia recepta, *apostolorum* scilicet, *nicaeno-cpolitanum,* et *athanasianum.*

a) *Symbolum apostolorum* duodecim vel juxta alios quatuordecim articulis constat, in quibus doctrina fidei ab omnibus credenda summarie proponitur. *Plures theologi, S. Leonem M.* sequuti[4], putant singulos articulos hujus symboli a singulis apostolis, antequam per orbem

1 De conciliis eorumque definitionibus iterum sermo redibit in quaestione speciali. Hic novisse sufficiat definitiones dogmaticas non raro ex sola traditione haustas esse.

3 ***II-II,*** q. i, a. 8.

3 Apud Migne, ***Theol. curs. compl.,*** 6, coi. ii sq., invenies quorumdam symboli expositiones. Confer etiam Denz-Bannw., ***Enchiridion Symbolorum et definitionum,*** n. i sqq.

4 S. Leo, ***ep. 31 ad Pulcheriam Augustam,*** c. 4; ML 54, 794, symbolum hoc vocat brevem et perfectam confessionem, «quam duodecim apostolorum totidem est signata sententiis». S. Leonis sententiam sequuti sunt plures. Cfr. Perujo, ***Diccion. de Ciendas Eccas.,*** v. «Sfmbolo».

dispergerentur, compositos esse; *alii* docent ab apostolis quidem communi consilio fuisse compositos, sed non singulas sententias a singulis apostolis fuisse prolatas x; *alii* denique, ex hodiernis praecipue criticis, contendunt ab apostolis quoad substantiam fuisse traditum, et deinde, in instructione catechumenorum paulatim auctum ac perpolitum, ante saeculum v ut regulam fidei fuisse propositum et acceptum 1.

b) *Symbolum nicaeno-constantinopolitanum* ab Hossio cordubensi, ut dicitur 3, compositum, in Concilio Nicaeno I (a. 325) approbatum et in Concilio Cpolitano I (a. 381) modificatum atque completum. Huic, arianae haeresis confutandae causa, in Hispania primo (a. 400), in Gallia postea Angliaque addita est particula *Filioque;* quam additionem approbavere Romani Pontifices a saeculo ix, et Ecclesia universalis in Concilio Florentino consentientibus graecis4.

c) *Symbolum athanasianum,* ita nuncupatum quia nomine S. Athanasii vulgatum est, non a S. Athanasio sed probabiliter a S. Ambrosio saeculo iv compositum fuisse censent hodierni critici5.7 Privata auctoritate in principio editum fuit, «sed quia integram fidei veritatem, ut ait S. *Thomas* e, ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi fidei regula habeatur».

660. 3) Professiones fidei sunt longiores quaedam explicationes articulorum fidei, quae obortis novis erroribus subscribendae vel profitendae exhibitae sunt. Tres praecipuas enumerat *Denzinger* ', 1.a est *tridentina* seu *piana,* a Pio IV per constitutionem *Injunctum nobis* 18 Nov. 1564 edita et per decretum S. C. Concilii 20 Jan. 1877 aucta, quam omnes professores, beneficiati, superiores ordinum religiosorum, etcetera, antequam suo munere fungantur, emittere debent. 2.a edita est pro graecis a Gregorio XIII per constitutionem *Sanctissimus Dominus noster.* 3,a denique est ab Urbano VIII et Benedicto XIV edita pro orientalibus.

Haec sunt organa quibus solemne magisterium Ecclesiae exercetur et traditiones divinae ad posteros tuto transmittuntur. Christus siquidem, ut superius late ostendimus, vivum magisterium in Ecclesia instituit, ut doctrinam fidei et morum infallibiliter conservaret et populo Christiano traderet. Magisterium autem Ecclesiae hoc munere fungitur *definitiones dogmaticas, symbola* et *professiones fidei* solemniter edendo. Ergo magisterium solemne Ecclesiae est partim organon traditionis ad nos usque transmittendae.

1 Ita Rutinus, antiquissimus historiographus (f 410), ***Comment, in symbolum aposl.,*** n. 2; ML 21, 337 aliique plures.

2 Cfr. Schaff, ***The Creeds of Christendom.***—S. Thomas, ***II-II,*** q. 1, a. 9 ad 6 adserit editum fuisse «tempore persecutionis». Vide Palmieri, ***Theol. dog. orth.,*** . 281 sqq.; «Razôn y I-'e», vol. 29, p. 429 sqq.; et «The Irish Theological Quarterly», vol. 3, p. 358 sqq.

3 Cfr. Menéndez y Pelayo, ***Historia de los hétérodoxes espaholes,*** t. 2, lib. I, . I, § 2 (ed. 2), p. 37; et Bonilla, ***Hist, de la Filosofia esp.,*** ep. rom., p. 183.

4 Cfr. Wouters, ***Hist. eccl. comp.,*** epocha 6, 15.

8 Cfr. ***Revue d'Histoire Écclés.,*** Juillet, 1936.

0 ***II-II,*** q. 1, a. 10 ad 3. Vide Palmieri, ***Theol. dogm. orth.,*** p. 362; et Kunsle apud «Razôn y Fe», vol, 29, p. 429.

7 ***Enchiridion,*** nn, 994-1083, 1460 sqq.

sa

661. B. De magisterio ordinario ut organon traditionis.

Magisterium item ordinarium Ecclesiae multipliciter exercetur. Praecipua ejus media sunt: 1) *Pastorum Ecclesiae per orbem dispersorum vivae vocis praedicatio*[1]; 2) *Ecclesiae praxis* in publica et solemni administratione sacramentorum, celebratione missarum et recitatione precum; 3) *scripta SS. Patrum,* qui apostolorum praedicationi interfuerunt, vel saeculis posterioribus a majoribus accepta dogmata litteris fideliter consignarunt; 4) *Consensus theologorum,* qui, sensum Scripturarum et traditionis adepti, doctrinas fidei et morum a populo christiano amplectendas docuerunt; 5) *Congregationes Romanae* a Summis Pontificibus institutae, quae suis decisionibus errores atque haereses proscribunt et normam credendorum agendorumque proponunt; 6) *Consensus communis populi Christiani* qui in errorem circa credenda nunquam labitur; 7) *Monumenta* denique sive scripta, ut historiae, sive non scripta, ut opera archaeologica, servant proculdubio veterum catholicorum doctrinas, quas antiqui a majoribus et a Deo acceptas tenuerunt.

Singula sunt breviter pertractanda.

662. 1) Pastorum Ecclesiae vivae vocis praedicatio, jugiter in Ecclesia ex Christi institutione exsistens, medium est aptissimum traditionis conservandae. Multa enim Dominus et post ipsum Spiritus Sanctus docuerat apostolos, quae non sunt in Scripturis relata; et, ut omnia juxta Ecclesiae necessitates implicite vel explicatius proponerentur atque fidelibus transmitterentur, institutum est ministerium praedicationis evangelicae illis verbis: *Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*[2]. Promisit deinde Dominus verbi divini praeconibus se adfuturum *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Accepto hoc munere, primo apostoli et deinde eorum successores terras mariaque obiere, et doctrinam catholicam fidelibus tradidere eo successu, ut innumeros Christo pepererint ex omni gente et natione filios. Initia praedicationis evangelicae describuntur in Actibus et epistolis apostolorum, et progressus referuntur in operibus SS. Patrum et historiis ecclesiasticis [3].

663. 2) Ecclesiae praxis in sua liturgia plures exhibet doctrinas fidei et morum.

Liturgia juxta nonnullos ex vocibus graecis Μῖτο εργον (publicum opus), vel juxta alios λειτη εργον (orationis opus) coalescit, et significat libros *auctoritate Ecclesiarum conscriptos, usuque publico comprobatos, quibus ritus in administratione sacramentorum, celebratione sacrificii, et recitatione precum servandi praescribuntur.*

Disputatur non parum a criticis, num primis Ecclesiae saeculis scripta fuerit liturgia, vel sola traditione orali et consuetudine edocti fuerint

1 Ut jugis praedicationis Ecclesiae vera ratio habeatur, operae pretium est historias et opera apologetica conferre, quae apodictice demonstrant praedicationem evangelicam in Ecclesia nunquam cessasse, sed jugiter perseverasse et uberrimos fructus ubique terrarum dedisse. Cfr. Hergenrother, ***Hist, de la Igl.,*** per totum.

2 ***Matth.,*** 28, 19-21.

3 Vide Rorhbaoher ***Histoire de l'Eglise;*** Hergenrother, ***Historia dc la Iglesia,*** Sphem., ***Anales de la propagation de la fc,*** et alios.

ritus. Volunt nonnulli sola traditione et consuetudine servatam fuisse liturgiam in Ecclesia usque ad saeculum quartum[1]. *Alii* probabilius censent liturgiam fuisse ab apostolis exaratam -. Omnes tamen fatentur libros liturgicos, si qui fuerint exarati, caute fuisse tunc servatos ob metum profanationis ex parte gentilium.

In Ecclesia fuerunt Liturgiae *orientales* et *occidentales.*

Apud orientales praecipuae sunt a) *Liturgia S. Jacobi,* probabiliter a Jacobo minore scripta, et in ecclesiis Hierosolymitana et antiochena usu recepta[2]. Hanc S. *Basilius* et S. *Joannes Chrysostomus,* rebus parvi momenti mutatis, temporum et ecclesiarum necessitatibus accommodarunt[4]. b) *Liturgia S. Matthaei* quam habent aethiopes, et S. *Marci* qua utuntur alexandrini, ab incertis auctoribus compositae et a S. *Cyrille Alexandrino* aliquantulum correctae, magnam adeptae sunt apud suos auctoritatem, c) *Liturgia Byzantina,* qua utuntur rutheni, est ipsa quam *Chrysostomus* et *Basilius* ex S. *Jacobo* composuerunt. Ex his partim mutatis partim in alias linguas versis, innumerae prodierunt liturgiae, quibus utuntur in suis ecclesiis maronitae, jacobitae[5] nestoriani, tartari, copti, aethiopes, abyssini, melchitae, etc., [6].

Apud occidentales celebriores sunt a) *Liturgia Romana,* quam non nulli S. *Petro apostolo,* et *Baronius*[7], *S. Proclus*[8], etc., S. *Clementi Romano* tribuunt, partim ex graecorum partim ex latinorum ritibus constare dicitur. Haec usque ad exitum saeculi quinti paulatim aucta, a *Gelasio* deinde papa completa fuit, et inde *codex gelasianus* appellatur. A Romanis, tandem Pontificibus, praesertim *Gregorio M.,* nunc additis nunc demptis quibusdam ritibus, non parum immutata fuit, unitatem tamen doctrinae et essentiam sacrificii ad nostra usque tempora integre servavit, b) *Gallicana,* quae vel a S. *Hilario pictaviensi* vel a Musaeo, presbytero massiliensi, vel a *Sidonio Apollinari* digesta est, ut alii contendunt[9]. Hanc galli per aliquot saecula tenuerunt, sed vertente saeculo octavo liturgiam romanam opera *Caroli Magni* univcrsim acceptarunt.

1 Hanc opinionem confirmare nituntur auctoritate Tertulliani, qui de ritibus baptismi et eucharistiae loquens ait: «Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum si ***legem expostules scripturarum,*** nullam invenies. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix». ***De Corona,*** c. 4; ML 2, 99.

2 Juxta hanc sententiam Tertullianus solum negat ritus in Scripturis sanctis esse conscriptos.

3 Cfr. Honoratus a Sta. Maria, ***Animadversiones in regulas et usum criticos,*** lib. 5, diss. 3, a. 2; et Bona, ***Rerum liturg.,*** lib. x, c. 8.

4 Habetur veluti fons caeterarum liturgiarum orientalium. Cfr. Honoratus a Sta. Maria, lib. 5, diss. 3, a. 2, § 4 et 8. Ejus epitomem conservavit S. Justinus in sua celebri apologià, lib. 2, et mystice interpretatus est. S. Cyrillus Hierosolymitanus, ***Cateches. Myst. quinta;*** MG 33, 1110 sqq.

5 Fertur jacobitas habere 28 liturgias distinctas. Cfr. Martigny, ***Diet.,*** v. «Liturgie».

6 Cfr. Renaudot, ***Liturgiarum orientalium collectio;*** Denzinger, ***Ritus orientalium;*** Martigny, ***Dictionnaire des antiquités chrétiennes, v.*** «Liturgie»; Perujo, ***Diccionario de Ciendas Eccas.,*** v. «Rito»; et alii.

7 ***Annal,*** ad a. 102, n. 23.

8 ***De traditione dio. missae;*** MG 65, 849.

9 Cfr Martigny, l. c.—Bona, ***Rerum liturg.,*** lib. I, c. 12, η. V, liturgiam gallicanarn erronee confundit cum mozarabica, quam gothi, ex Hispania a mauris pulsi, detulerant in partes Galliae Narbonensis.

c) *Ambrosiana,* quae, ab Oriente probabiliter allata, a S. *Ambrosio* novis ritibus aucta est et ecclesiae mediolanensi accommodata. Nunc solummodo ejus exstant vestigia[1]. d) *Gothica* seu *Mozarabica* in Hispania *(mistarabica* ex voce *mixti arabes,* ex eo quod hispani, gothorum imperio subditi, arabibus mixti habitabant). Haec, quidquid dicat *Baronius* in contrarium [2], S. *Isidoro* vetustior creditur, imo et S. *Leandrum* praecessisse defendunt critici [3] contra *Cavium*[4]. Saeculo v vel ineunte saeculo vi ab incerto auctore composita, a *Sanctis Leandro* et *Isidoro* Hispalensibus notabiliter aucta est atque a *Sanctis Ildephonso* et *Juliano* toletanis completa[5]. Apud hispanos fuit communis, usque dum anno 1080, regnante *Alphonso VI, Gregorius VII* liturgiam romanam introduxit, relicta tamen in suo vigore liturgia mozarabica pro septem ecclesiis paroecialibus urbis toletanae.

Omnes hic recensitae liturgiae, et aliae quae exstant in quibusdam ecclesiis particularibus, plures proculdubio passae sunt tractu temporis mutationes accidentales et historicas, sed substantialiter integrae manent; vel in rebus ad fidem vel mores pertinentibus, quando praesertim omnes concordant, magnam habent auctoritatem, et sunt legitimum organon traditionis.

664. 3) Scripta Patrum, qui inde a tempore apostolorum ad saeculum usque XII dogmata credenda docuerunt et mores Ecclesiae honestos defenderunt, magni facienda sunt. Sancti Patres qui doctrina, sanctitate et communione cum Ecclesia catholica floruerunt, plures veritates a Deo revelatas et in traditione contentas ab omni corruptione immunes servaverunt, et integre ad nos transmiserunt. Acceptas e caelo traditiones Christianas sedulo scrutati sunt et contra insurgentes errores strenue defenderunt.

Hinc, licet divinas revelationes communes non acceperint, Ecclesiae tamen docentis, ad quam certe referuntur promissa Christi de auxilio praestando in dogmatum revelatorum conservatione, constituerunt partem non modicam.

Quare, tum Ecclesiae concilia tum Romani Pontifices ad Sanctos Patres semper confugiendum esse docuerunt in investigando sensu revelationis et cognoscendis traditionibus dogmaticis. «Divinitus placuit, ait Concilium Ephesinum, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens Sanctorum Patrum tenuerit antiquitas» [6]. Et in Conciliis Tridentino et Vaticano prohibitum est, ne quis Scripturam Sacram contra unanimem SS. Patrum sensum interpretari auderet[7].

1 Vide visoonti, ***De rit. miss.,*** c. 22.

2 Ad a. 633, n. 70.

3 Cfr. Honoratus a Sta. Maria, ***Animadversiones,*** lib. 5, diss. 3, a. 3, §4: et Menéndez y Pelayo, ***Historia de los hétérodoxes espaiioles,*** (ed. 2, lib. 3, Pream., t. 2, p. 80).

4 ***Hist, liti.,*** ad a. 583.

5 Cfr. Flôrez, ***Espaila sagrada,*** toni. 3, p. 234 sqq.

° ***Act.,*** i.

7 Cfr. Concil. Trid., sess. 4; Denz-Bannw., 786; et Concil. Vat., sess. 3, c. 2; Denz-Bannw., 1788.—Reprehendendi ergo sunt non solutn protestantes et rationalistae ac increduli hodierni, qui traditiones divinas et doctrinas SS. Patrum rejiciunt, verum etiain giintheriani, qui non satis deferunt auctoritati SS. Patrum. Vide breve Pii PP. IX ad Card, arehiup. colon., 1857, et ad episcop. wratislav. 30 Mart 1857.

665. 4) Consensus theologorum. Unanimis consensus theologorum est medium quo saepe Ecclesia exercet suum magisterium ordinarium. Theologi namque sunt veluti quidam Ecclesiae exercitus, qui arcana Dei et mysteria revelationis penetrantes, fidei veritates ex principiis revelationis quodammodo demonstrant, et ab incursibus haereticorum defendunt, veteresque traditiones ab omnibus fidelibus credendas illustrant atque ad posteros transmittunt.

666. 5) Congregationes item Romanae a Summis Pontificibus ad diversos fines institutae totidem sunt organa magisterii ordinarii Ecclesiae. Hominibus constant benemeritis qui integritatis fidei morumque probitatis solliciti, imo et studiis sacris plerumque dediti, Romanos Pontifices, ubi oportet, adjuvant, et decisiones dant ad intelligentiam dogmatis et instructionem fidelium maxime utiles.

667. 6) Consensus quoque unanimis fidelium in credendis rebus fidei maxime confert ad traditionis conservationem. Ecclesia siquidem *credens* seu fidelium multitudo in credendis fidei doctrinis et admittendis moribus honestis dicitur et est infallibilis.

668. 7) Monumenta denique sive scripta sive non scripta exhibent plures doctrinas et facta, ex quibus ducimur plerumque in cognitionem mysteriorum ac dogmatum latentium in traditione. Ad haec monumenta referuntur historiae variae, scripta polemica, acta martyrum, aedificia sacra (templa, catacumbae, sepulcreta), imagines, utensilia, numismata, inscriptiones aliaque hujus generis plura. Plures christiani fidem, quam jure haereditario a majoribus acceperant, in his monumentis saepe reliquerunt impressam. Idcirco, qui velit traditiones divinas et ecclesiasticas probe cognoscere, debet monumenta, non tantum scripta, sed etiam non scripta, diligenter examinare, et quae per ea significantur sedulo conferre 1.

ARTICULUS V

UTRUM DIVINAE TRADITIONES SEMPER IMMUTABILES PERMANEANT

669. Status quaestionis. Titulus articuli potest dupliciter intelligi. *Primo,* an dogmata in divina traditione contenta sint semper objective immutabilia. Hoc sensu responsio affirmativa clara est. Dogmata enim sunt doctrinae a Deo revelatae, quae objective mutari non possunt. Veritas igitur objectiva dogmatum, quae traditione docentur, eadem semper manet.

Secundo, an traditio semper tribuerit dogmatibus revelatis sensum, qui responderet veritati eorum objectivae, vel e contra explicuerit aliquando dogmata uno sensu, qui postea juxta progressus scientiarum fuerit reformandus. En paucis status quaestionis quem alii aliter, et non omnes claritate qua par est, exponere curarunt.

1 Vide Porrot, ***Les Catacombes de Rome,*** Paris, 1852; J. B. Rossi, ***Roma sotterranea cristiana,*** 1864: ***BuHeltino d'Archeologia, Inscriptiones Christianae,*** Romae, 1857; Maruoolil, ***Manuale d'Avcheologia cristiana,*** Roma, 1908; Martigny, ***Dictionnaire des antiquil. chrit.,*** ‹t alios.

670. Errores, a) Semi-rationalistae progressistae absolute docent dogmata catholica quae revelatione continentur, sive in S. Scriptura consignata fuerint sive sola traditione ad nos transmissa, etiamsi magisterio Ecclesiae fuerint declarata, non fuisse semper ab Ecclesia recte intellecta, et consequenter aliquando fore, ut secundum progressum scientiarum dogmata catholica aliter ab Ecclesia intelligantur [1]. Ita *A. Giinther, Hermes, Frohschammer, Dôllinger,* et alii non pauci [2].

b) Juxta doctorem *Hock* [3] SS. Patres docuerunt *quid dogmatum,* scholastici *quomodo dogmatum* imperfecte, philosophi posteriores *quid dogmatum* perfectius, ac denique philosophi hodierni mysteria cuncta, sublato omni velamine, in veritates rationales verterunt.

c) *Alii* hunc modum loquendi nimis durum putantes aliter rem explicare conati sunt. *Kantio* in hac parte concinentes duplicem statuerunt veritatem, unam *absolutam* quae adamussim respondet realitati objectorum, alteram *relativam* quae magis verisimilis videtur vel appropinquans realitati. Dixeruntque dogmata cuncta tum S. Scripturae tum traditionis divinae intellecta esse ab Ecclesia secundum veritatem relativam, quae attentis circumstantiis temporum et statu scientiarum magis verisimilis videbatur. «In qua sententia ita per Ecclesiae definitionem praevalente, ajebat in Concilio Vaticano adnotator in primum schema Const, de doctrina catholica [4], concedunt semper esse aliquam veritatem... atque ideo progressu temporis pro alio ulteriori stadio scientiarum necessariam reddi definitionem perfectiorem, quia illa prior huic posteriori stadio scientiae jam apta non est». Ita plures hodierni criticismi sectatores et modernistae [5].*

671. Thesis I. Dogmata traditionis divinae nunquam sunt ab Ecclesia intellecta in sensu, qui sit juxta progressum scientiarum reformandus [6].

Arg. I. Ecclesia est infallibilis in iis quae ad fidem et mores spectant proponendis. Sed si dogmata traditionis divinae aliquando intelligeret in sensu juxta progressum scientiarum reformando, actum esset de ejus infallibilitate. Ergo. Unde in Concilio Vaticano expresse definitum est sacrorum dogmatum sensum, quem Ecclesia semel declaravit, perpetuo retinendum esse, imo excommunicatione plectitur, qui *altioris intelligentiae specie et nomine* putet ab eo aliquando recedendum [7]; et *Pius PP. IX* damnavit in Syllabo propositionem 5 his verbis conceptam: «Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat».

Arg. II. Dogmata catholica, quae per traditionem ad nos transmittuntur, non inventa rationis aut philosophiae, sed doctrinae sunt a Deo revelatae et tanquam divinum depositum Ecclesiae traditae, ut ait Concilium Vaticanum [8]. Depositum autem rite custodiendum est non

1 Vide Concilium Vat., *sess.* 3, *can.* 3, ***De fide et ratione:*** Denz-Bannw., 1818.

2 Cfr. Giinther, ***Propaedeutica,*** t. 2, p. 259 sqq.; et ***Annales philosophici,*** quos inscripsit ***Lydia,*** 1850, p. 94.

3 ***Gerbertus aut Papa Silvester II ejusque saeculum.***

4 ***Coli. Lac.,*** 7, pp. 537'538.

5 Prof. Kuno Fisoher, philosophiae kantianae commentator in Germania, Loisy, modernista excommunicatus in Gallia ***(Autour d'un petit livre),*** et alii hanc theoriam recenter amplexi sunt.

3 Vide quae diximus q. 16. a. 6. n. 361 sqq. de progressu Ecclesiae.

7 Concil. Vat., sess. 3, c. 4, et can. 3; Denz-Bannw., 1800 ct 1818.

8 ***Sess.*** 3, C. 4; Denz-Bannw., 1S00.

reformandum. «Quid est depositum? ait ad rem *Lirinensis* 1. Id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti, res non ingenii sed doctrinae, non usurpationis privatae sed *publicae traditionis:* res ad te perducta, non a te prolata, in qua non auctor debes esse sed *custos,* non institutor sed sectator».

Arg. III. Dogmata in traditione contenta superant plerumque captum humanae rationis et philosophiae 2. Quae autem captum humanae rationis provinciamque philosophiae superant, nequeunt progressu scientiarum reformari. Ergo tantum abest, ut dogmata traditionis ab Ecclesia intelligantur sensu, qui sit progressu scientiarum reformandus. «Summa impudentia adserere non dubitant, ajebat *Pius PP. IX* de semirationalistis in allocutione habita die 9 Junii 1862... ipsam divinam revelationem esse imperfectam et ideo subjectam continuo et indefinito progressui» 3. Quis revelationem divinam ejusque intelligentiam reformare ac perficere valeat?

672. Corollarium I. Ex iis facile deduces quam immerito *Hock, Giinther* et alii supra citati docuerint *traditionis doctrinalis* inteltigentiam fuisse imperfectiorem in apostolis quam in Patribus, imperfectiorem in Patribus quam in scholasticis, imperfectiorem in scholasticis quam in posterioribus philosophis, ac denique in philosophis modernis culmen perfectionis attigisse. Hoc modo loquendi innuunt apostolos non fuisse a Christo ct Spiritu Sancto instructos, quod quam falsum sit ac erroneum facile quisque ex *Valentia 4, Snares* 5, aliisque summis theologis et ex principiis disciplinae theologicae conjicere poterit 6. Huc venit illa sententia epistolae quae dicitur *Barnabae:* «Servabis quae accepisti, nec addens nec demens» 7. Et nostris semi-rationalistis dicta videntur illa Lirinensis verba: «Mirari satis nequeo quorumdam hominum.....errandi libidinem, ut contenti non sint *tradita* semel et accepta antiquitus credendi regula; sed nova ac nova in diem quaerant semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere. quasi non caeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat» [8].

673. Corollarium II. Sollicite animadvertas velim non omnem progressum sed illum dumtaxat, qui dogmatum mutationem substantialem significat, in traditionis expositione ab Ecclesia damnari. Salvo dogmatum genuino sensu Ecclesia semper ea, quae in traditionibus *implicite* continentur, explicuit, *obscura* declaravit, et quae *minus diserte* proposita sunt, definivit [9].

674. Thesis II. Conceptus «veritatis relativae» est philosophice absurdus, et traditionibus dogmaticis applicatus vel auctoritati Dei vel magisterio infallibili Ecclesiae derogat.

1 ***Commonitorium*** x, c. 22; ML 50, 667.

2 Cfr. Breve Pii PP. IX ad archiep. colon., 15 Junii, 1857; et ad archiep. wratislav., 30 Mart. 1857.

3 Vide epist. Pii PP. IX, ad aichiep. monacensem et frisingensein (11 Dec. 1862), qua opera philosophica presbyteri Jacobi Frohschammer damnata sunt. Denz-Bannw., 1666.

4 De ***fide,*** disp. 1, q. 1, p. 6.

5 De ***fide,*** disp. 10. sect. 1, n. 1 sqq.

6 Cfr. Waldensis, ***Doctrinale fidei,*** lib. 2, cc. 22-23; Cano, De ***locis,*** lib. 2, c. 7, et lib. 4, c. 4.

7 ***Ep.,*** n. 19; MG 2, 780.

8 ***Communit***n 21; ML 50, 666.

9 Cfr Lirlnenaia, ***Communit.,*** n 23 sqq.; ML 50, 667 sqq.

Prob. 1.a pars.

Arg. Veritas, ut profunde ait S. *Thomas* est *conformitas intellectus et rei;* et intellectus dicitur verus, quando rei similitudine seu specie perfusus concipit objectum, prout est in se; quia, ut ipsemet Angelicus ait, «quicumque intelligens intelligit rem esse aliter quam sit, est falsus»[1]. Sed veritas *relativa* juxta patronos novissimae sententiae superius expositae non est conformitas intellectus et rei, sed conceptio quae magis approximari visa est veritati, quamvis deinde comprobetur non respondisse realitati. Ergo conceptus velitatis relativae est philosophice absurdus.

675. Prob. 2.a pars.

Arg. Traditiones divinae continent dogmata catholica a Deo revelata et ab Ecclesia per suum infallibile magisterium proposita. Sed theoria veritatis relativae traditionibus dogmaticis applicata implicite docet vel Deum non revelasse veritatem absolutam, et hoc auctoritati Dei loquentis derogat, vel Ecclesiam non recte exposuisse mentem Dei revelantis, et hoc infallibili magisterio Ecclesiae detrahit. Ergo conceptus veritatis relativae, traditionibus dogmaticis applicatus, vel auctoritati Dei loquentis vel infallibili Ecclesiae magisterio graviter derogat.

Huic argumentationi non sine theologorum et fidelium scandalo respondit *A. Loisy* conceptus, quos Ecclesia exhibet veluti dogmata catholica, non esse a caelo delapsos nec traditione religiosa servatos[3]. Sed quantum hoc a vera theologia fideque alienum sit, annuntiant contra auctorem undique voces.

QUAESTIO XXIV

DE CONCILIIS

De Conciliis hic quatenus ad theologiam spectant et exercitium magisterii infallibilis Ecclesiae manifestant breviter disseremus.

ARTICULUS I

QUID ET QUOTUPLEX SIT CONCILIUM

676. I. Nominis descriptio. *Concilium* graece σύνοδο (synodos), sive a *consulendo* dicatur, ut nonnulli volunt, sive a *considendo* vel a *concurrendo* vel etiam a *conciliando* ortum sit, ut aliis placet, apud he-

1 *I p.,* q. i6, a. I et 2.

2 *I p.,* q. 13, a. 12 ad 3.

3 «Les conceptions que l'Églîse présente comme des dogmes révélés ne sont pas des vérités tombées du ciel et gardées par la tradition religieuse dans la forme précise où ils ont paru d'abord. L'historien y voit l'interpretation de faits religieux acquise par un laborieux effort de la pensée théologique». *L'Evangile et l'Eglîse,* c. 4. § 2.

bracos *sanhedrin* vel *synedrion* appellatur, et congregationem seu conventum sonat.

II. Realis significatio. In libris tum Veteris tum Novi Testamenti diversimode usurpatum est nomen concilii, a) Aliquando *pro generali procerum senatu* acceptum est, ut cum dicitur: *Surrexeruni... viri proceres synagogae et qui tempore concilii per nomina vocabantur* l. b) Interdum *judiciariam sessionem* eorum, qui in judicio concurrunt ad ferendam de reo sententiam, significavit; ut cum *Paulus* ait: *Ipsi* (judaei) *dicant; si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio* 2. c) Non semel significavit *coetum eorum* qui ad malum finem coadunati sunt; sic Psalmista: *Non sedi cum concilio vanitatis... et cum impiis non sedebo* 3. d) Saepius pro pontificum et sacerdotum ad aliquam doctrinam de religione definiendam convenientium sessione adhibitum est, juxta illud Joannis: *Collegerunt ergo pontifices et pharisaei concilium* 4.*

Hoc quod primo introductum est ad significandam quamlibet congregationem, civilem vel ecclesiasticam, deinde consuetudine usurpatum est ad significandos conventus Pastorum Ecclesiae, adeo ut *concilia* idem sint in Ecclesia, ut ait S. *Bellarminus* s, ac *comitia* in regnis. «Nam quemadmodum, cum oritur controversia in republica, conveniunt in unum principes regni et magistratus, et statuunt quid facto opus sit, ita in Ecclesia, cum oritur controversia aliqua de religione, conveniunt praesules Ecclesiarum et simul collatis sententiis statuunt quod bonum videatur» 6.

Hinc concilium in genere definiri potest: *Legitimus episcoporum conventus ad judicandum et statuendum aliquid de rebus ecclesiasticis.*

Dicitur 1.° *Conventus;* ut significetur veram coadunationem seu coetum episcoporum ad concilium requiri, ut collatis consiliis quid decidendum sit statuatur.

Dicitur 2.° *Episcoporum;* quia in rebus ecclesiasticis soli episcopi sunt judices. Jure tamen ecclesiastico alii etiam, ut Cardinales non Episcopi, Praelati *nullius,* Abbates Superiores Congregationum monasticarum ac Supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum admittuntur, ut dicemus infra n. 681.

Dicitur 3.° *Legitimus;* quia conventus quorumdam episcoporum, illegitime seu contra debitum ordinem coadunatorum, non concilia sed *conciliabula* ac *pseudo-synodi* appellati sunt.

Dicitur 4.° *Ad judicandum et statuendum aliquid;* ut innuatur finem conciliorum esse definire seu decernere aliquid, non tantum consulere aut tractatus habere.

Dicitur 5.° *De rebus ecclesiasticis;* id est, de rebus fidei, morum et disciplinae.

677. III. Origo conciliorum. Constat ex S. Scriptura apostolos

1 ***Num.,*** 16, 2.
3 ***Act.,*** 24, 20.
3 ***Ps.*** 25. 4-5.
4 ***Joan,*** ii, 47.
6 ***De Conciliis,*** lib. 1, c. 3.
0 S. Bollarniinu», ***De Conciliis,*** lib. I, c. 3.

concilia celebrasse. Nam primo in electione S. *Mathiae* [1], deinde in electione septem diaconorum [2], ac denique in causa legalium [3] conventum celebrarunt et collatis consiliis causas finierunt. Quae cum ita sint, non parum disputatum est inter theologos, an concilia ortum habuerint ex jure divino vel institutione solum apostolica.

Alphonsus Salmeron [4], cui subscribunt *Pighius* [6] et alii, docet celebrationem conciliorum suggestam quidem esse Petro ejusque successoribus a Spiritu Sancto, tanquam remedium pro dirimendis controversiis de fide, abusibus extirpandis ac disciplina restituenda, sed hanc suggestionem non constituere proprie jus divinum sed tantum ecclesiasticum seu canonicum.

Baronius e contra putat concilia esse introducta in Ecclesia jure divino. «Si quis, inquit, ejus rei exordium repetat, inveniet non tam ab apostolis, quam ab ipso Christo duxisse principium atque sumpsisse auctoritatem»[6]. Baronium sequuntur S. *Bellarminus*[1], *Suarez*[8], *Dominicus a SSma. Trinitate* [9], *Billuart*[10], *Palmieri* [11], *Groot* [12] et alii. Hanc sententiam ostendere contendunt tum ex illo *Matthaei: Quem dicunt homines esse filium hominis?* ubi Petro respondenti: Tu es Christus filius Dei vivi; annuit Dominus dicens: *Caro et sanguis non revelavit tibi sed Pater meus qui in caelis est*[13]; tum ex illo Christi Domini: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [14].

678. IV. Quotuplex sit concilium. Alii plures alii pauciores conciliorum species distinguere consueverunt[15], sed, si ratio divisionis accommoda habeatur, tria sunt conciliorum genera consideranda, *oecumenica, plenaria* et *provincialia.*

1) *Oecumenica* sunt quibus Romanorum Pontificum convocatione intersunt totius orbis episcopi sub ipsius Romani Pontificis aut ejus legatorum praesidentia, quaeque fuerunt ab ipso Pontifice approbata[16].

2) *Plenaria* dicuntur, in quibus ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum conveniunt, petita venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad concilium convocandum eique praesidendum[17].

1 ***Act.,*** i, 15-16.
2 ***Act.,*** 6, 2.
3 ***Act.,*** 15, 6 sqq.
4 ***In Act. Apost.,*** tr. 77.
5 ***Hierarch.,*** lib. 6, c. 1.
6 ***Annal.,*** a. 58, n. ng.
7 ***De Conciliis,*** lib. 1, c. 3.
8 ***De fide,*** disp. 11 in princip.
9 ***Bibliotheca theol.,*** lib. 3, sect. 5, c. 2.
10 ***De. regulis fidei,*** diss. 5 in princip.
11 ***De Romano Pontifice,*** th. 28.
12 ***Summa apolog.,*** q. 13, a. 1.
13 ***Matth.,*** 16, 13-17.
14 ***Matth.,*** 18, 20.—His verbis divinam conciliorum institutionem significari docent Concil. Chalcedonense (ep. ad S. Leonem), S. Caelestinus Papa (cp. ad Concil. Ephes.), Concilium Cpolitanum III ***(Aci.,*** 17), Concilium Toletanum IIT, et alii.
15 Helele, ***Introduci, ad historiam conciliorum,*** octo conciliorum species enumerat, sed illae octo possunt ad tres facile reduci.
16 Ante approbationem Romani Pontificis vocari consueverunt ***generalia.***
17 ***Can.*** 281. Prae oculis habeat candidatus lector haec interdum concilia ple-

3) *Provincialia* nuncupantur, in quibus congregantur episcopi unius provinciae ecclesiasticae sub archiepiscopo seu metropolita praeside 1. Primis Ecclesiae saeculis bis in anno 2, deinde quotannis 3, ac denique ex praescriptione Concilii Tridentini singulis trienniis 4 celebrari debebant. Eorum acta replent innumera volumina. Nunc autem celebranda sunt vicesimo saltem quoque anno. *(Codex,* can. 283.)

679. V. Concilium Oecumenicum. Praetermissis, quae de conciliis plenario et provinciali disserunt canonistae, pauca ad nostrum institutum explicanda sunt de Concilio Oecumenico.

Oecumenicum a graeca voce οἰχοϋμενη (terra habitata) derivatur, et est ipsum concilium generale a Romano Pontifice approbatum et confirmatum. Variae, ut patet, conditiones requiruntur, ut concilium aliquod appellari queat oecumenicum.

680. 1.° Ut a Romano Pontifice vel eo annuente convocetur.

Jus convocandi auctoritative Concilium Oecumenicum ad solum Romanum Pontificem pertinere semper intellexerunt ac tuiti sunt catholici contra novatores 6: «sic tamen, ait S. *Bellarminus,* ut possit etiam alius Pontifice consentiente, concilium indicere; quin etiam satis sit, si indictionem factam ipse postea ratam habeat et confirmet»6.

Hoc, quod omni genere argumentorum demonstrant canonistae, breviter ostenditur.

a) Ecclesia semper docuit penes solum Romanum Pontificem esse potestatem indicendi concilia oecumenica. Quare in Concilio Chalcedonensi 7 Dioscorus, patriarcha alex., prohibitus est a Legatis Pontificiis sedere inter episcopos, «quia... synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est». Concilium Lateranense V declaravit «solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum... plenum jus et potestatem habere». Idem docet hodie *Codex Juris Canonici,* can. 222. Hanc doctrinam confirmat *Angelicus Doctor* dicens:

naria, et aliquando provincialia, appellata fuisse ***generalia,*** ut quondam unum romanum sub Symacho, Toletanum IV, et Cartaginense IV; sed hoc intelligenclum est non absolute sed respective ad nationem in qua celebrata sunt. Cfr. S. Bollarminus, ***De Conciliis,*** lib. 1, c. 4; et Suarez, ***De fide,*** disp. 5, sect. 7, n. 2.

Anno 1899 singulare simul et gravissimum Romae celebratum est Concilium ***plenarium Americae latinae,*** cui interfuerunt omnes archiepiscopi et episcopi Americae latinae. Ejus exstant acta et decreta egregia cum appendice documentorum.

1 Horum decreta subjicienda sunt, antequam publicentur, correctioni S. Congregationis Concilii, ne «quid fortasse in eisdem aut nimis rigidum aut minus rationi congruum deprehendatur». Benedictus XIV, ***De Synodo,*** lib. 13, c. 3, η. III. Cfr. Bouix, ***De Concil Prov.,*** p. 368 sqq. «Absoluto Concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittat, nec eadem antea promulgentur, quam a S. Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint». ***Codex,*** can. 291, § 1.

2 ***Concil. Nicaen. I,*** can. 5; Mansi, 2, 670.

3 ***Concil. Cpolitanum III,*** et ***Nicaen. II,*** can. 6; Mansi, 13, 750.

4 ***Concil. Trid., sess.*** 24, c. 2, de reform.; Mansi, 33, 157.

5 Lutherus, ***lib. de Conciliis,*** et post ipsum omnes protestantes docuerunt munus convocandi Concilia generalia Competere imperatoribus. Cfr. S. Bellarminus, ***De Conciliis,*** lib. 1, c. 12.

° ***De Conciliis,*** lib, 1, c. 12; «At de Concilio generali».

7 ***Aci,,*** 1; Mansi, 6, 5^-

«SS. Patres in conciliis congregati nihil statuere possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam *nec concilium congregari potest» x.*

b) Cum convocatio authentica seu coactiva concilii sit actus jurisdictionis, ad eum pertinet convocare Concilium Oecumenicum, cui competit jurisdictio in omnes et singulos orbis catholici episcopos. Sed soli Romano Pontifici competit haec jurisdictio. Ergo.

c) Jus convocandi concilia a Romanis Pontificibus semper exercitum fuisse ostendunt eruditi, allatis, ad rem documentis antiquis, adeo ut cuncta concilia oecumenica convocata fuerint a Summis Pontificibus **1**.

Quia tamen nonnulla concilia dicuntur convocata ab imperatoribus Christianis, notandum est cum *Palmieri* 3 duplicem esse actum convocationis, *alterum* qui est *actus jurisdictionis* obligans convocatos ut adunentur; appellari potest auctoritativa seil coactiva; *alterum* qui est *actus ministerialis,* et fit consulendo, exhortando vel etiam praecipiendo, supposito consensu legitimae auctoritatis.

Soli Romani Pontifices, quibus competit jurisdictio in omnes orbis catholici episcopos, *coactive* indixerunt Concilia Oecumenica; imperatores vero in obsequium potestatis jurisdictionis non semel ea convocarunt *ministerialiter* 45Hoc imperatoribus saepe concessum est, a) ut Ecclesiam inter et imperium amoris et benevolentiae signa semper vigerent; b) ut ambae potestates de loco celebrationis concilii deligendo facilius paciscerentur; c) ut episcopi auctoritate potestatis civilis suffulti iter ad concilium sine periculo peragerent; d) ut imperatorum quandoque egregia merita ab Ecclesia remunerarentur; e) ut desideratus conciliorum effectus securius obtineretur.

681. 2.° Ut omnes episcopi totius orbis jurisdictionem habentes evocentur.

Docuerunt *novatores* nullum esse jure divino discrimen inter clericos et laicos, ac consequenter ad concilia generalia etiam laicos, saltem pios, una cum clericis convocandos esse tanquam judices ®.

Deinde *pistorienses* arbitrati sunt parochos aliosque sacerdotes una cum episcopis pronuntiandos esse judices fidei in conciliis 6.

Satis tamen clara videtur doctrina a nobis exposita. Quia, cum in conciliis oecumenicis agantur saepe et definiantur causae fidei et morum, ii omnes sunt in ipsa vocandi, qui in unione cum Romano Pontifice acceperunt charisma infallibilitatis in rebus fidei et morum. Corpori

1 ***Opusc. I, contra impugn, religion.,*** c. 4; «Quod ergo primo».

2 Cfr. S. Bellarminus, ***De Conciliis,*** lib. i, cc. 12-14; Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibliotheca theol.,*** lib. 3, sect. 5, c. 4.

3 ***De Romano Pontifice,*** th. 28.

4 Cfr. Eusebius, lib. 3, ***De vita Constantini,*** c. 6; MG 20, 1060; Socrates, lib. 1, c. 8; MG 67, 61. Acta Concilii Cptani. IV, a. 869, etc.

5 Cfr. S. Bellarminus, ***De Conciliis,*** lib. 1, c. 15; Dominicus a SSma. Trinitate, ***Biblioth. theol.,*** lib. 3, sect. 5, c. 6; et alii.

° Pius PP. VI, per const. ***.1 uclorem fidei.*** 28 Aug. 1794. damnavit eorum propositionem X. Donz-Bannw., 1510.

autem episcoporum una cum Ecclesiae capite concessum est hoc charisma, sicut superius ostendimus. Ergo. «Nunquam, ait Concilium Nicaenum II, sacri canones statuunt, ut ad synodos principes saeculares veniant, sed *soli episcopi*[1].

Quomodo aliqui intersint conciliis. Haec ut radicitus explicentur, notandum est cum communi sententia theologorum et Ecclesiae praxi multis de causis aliquos intéressé conciliis. *Alii* intersunt tanquam *judices,* ut episcopi qui suffragium decisivum habent et sententiam ferunt; *alii* tanquam *consultores,* ut theologi qui suffragium consultivum habent, et in disputando, etc., difficultates solvunt; *alii* tanquam *ministri,* ut imperatores qui concilium defendunt et adjuvant, notarii qui decreta et canones scribunt, custodes et alii qui operam dant, ut omnia pacifice fiant.

Compertum est et generatim admissum ex *consultoribus* et *ministris* tot ad concilia adsumi posse, quot requiruntur ad dilucidandas quaestiones. negotia expedienda, pacem servandam, coërcendos rebelles.

Omnes episcopi, quoad fieri potest, vocandi sunt, quia episcopi sunt judices fidei jurisdictionem habentes in Ecclesiae fideles, et constituunt corpus pastorum, cui commissum est charisma infallibilitatis[2].

«Vocantur ad concilium in coque jus habent suffragii deliberativi:

1) S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi.

2) Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales, etiam nondum consecrati;

3) Abbates vel Praelati *nullius;*

4) Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat.

Etiam Episcopi titulares, vocati ad concilium, suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur»[3].

Adsistentia generalis. Non facile definitur, an satis sit generalis convocatio, vel ulterius requiratur generalis adsistentia, et quot episcopi convenire debeant, ut concilium dicatur oecumenicum.

Sane, si facta generali indictione pauci admodum conveniant, nequaquam poterit dici concilium oecumenicum. «Non satis est quidem ad concilium generale, ait *Cano,* si evocatio generalis est, quando adeo pauci congregantur, ut major meliorque provinciarum pars relicta esse videatur»[4]. E contra, si omnium et singulorum praesentia requireretur, nunquam posset Concilium Oecumenicum celebrari, quia nonnulli infirmitate, senectute, distantia detinentur.

Ut huic difficultati satisfiat et vera statuatur doctrina, dicendum est ad Concilium Oecumenicum requiri congregationem moraliter, non physice, generalem, ita ut non omnes et singuli episcopi, sed totius Ecclesiae repraesentationes conveniant[5]. Requiritur et sufficit, ait *S. Bellarminus,*

1 C. 17, ap. Hard. 1103.

2 Non est tamen necessarium, ut convocatio ad aures omnium et singulorum perveniat, sed satis est, ut convocatio sit universalis ex parte convocantis.

3 ***Codex Juris Canonici,*** can. 223.

4 ***De locis,*** lib. 5, c. 3.

5 Nec est necessarium, ut major pars episcoporum accedat, sed sufficit, ut tot conveniant, quot requiruntur ad universalem Ecclesiam repraesentandam.

«ut saltem ex majori parte Christianarum provinciarum aliqui adveniant; et si quidem concilium fit in Oriente, semper visum est sufficere, si ex provinciis omnibus Orientis episcopi conveniant multi, ex toto autem Occidente mittantur aliqui a Summo Pontifice, qui suppleant aliorum locum. Et e contrario, si celebretur in Occidente, conveniant ex omnibus provinciis Occidentis multi, ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum» J.

682. 3.° Ut Summus Pontifex per se vel per suos legatos Concilio praesideat.

Jus habent Romani Pontifices praesidendi conciliis oecumenicis, non tantum praesidehtia honoris, sed etiam jurisdictionis, adeo ut sine ejus praesidentia et moderatione nihil valeant episcopi congregati magis efficere quam si essent in suis ecclesiis dispersi.

Ostenditur hoc multiplici ratione.

1) Praesidere conventibus episcoporum totius Ecclesiae, in quibus dogmatice et judicialiter declarantur res fidei et morum, spectat ad primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam. Sed solus Romanus Pontifex habet primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, ut superius satis probatum est. Ergo.

2) Capitis proprium est praesidere membris. Sed solus Romanus Pontifex est episcoporum tum dispersorum tum congregatorum caput. Ergo.

3) «Episcopi coacti in synodo, ait *Palmieri,* non differunt a se ipsis manentibus singulis in suis ecclesiis nisi *ratione actionis;* quatenus in suis ecclesiis singuli seorsim agunt, in synodo vero actiones singulorum conferuntur, unaque prodit actio communis. Quoad *esse* vero idem est coetus episcoporum dispersus et unitus: Ecclesia enim semper est una, unum corpus. Jam vero, universus coetus collectus pastorum, nonnisi a Romano Pontifice potestatem habet decernendi actione communi leges pro universa Ecclesia. Jurisdictioni ergo Romani Pontificis subest totum concilium» 1.

4) Constat ex historia et auctoritate gravissimorum theologorum Romanos Pontifices per se vel per suos legatos omnibus conciliis oecumenicis tum orientalibus tum occidentalibus praefuisse 3. Sic, ut aliquid de orientalibus indicemus (de occidentalibus enim nemo negat), ut legati Pontificis interfuerunt *primo* Concilio Oecumenico *Hossius Cordubensis, Vitus* et *Vincentius4; tertio S. Cyrillus Alex., Arcadius* et *Projectus* epi-

1 ***De Conciliis,*** lib. i, c. 17.

2 ***De Romano Pontifice,*** th. 28, n. 4.

3 Cfr. Rohrbacher, ***Histoire de l'Église*** passim; S. Bollarminus.Dc ***Conciliis,*** lib. 1, c. 19; Suarez, ***De fide,*** disp. II, sect. 3; Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibliotheca theol.,*** lib. 3, sect. 5, c. 5; Palmieri, ***De Romano Pontifice,*** th. 28; Mazzelia, ***De Relig. et Eccl.,*** n. 1028.

4 Cfr. Eusebius, ***De vita Constantini,*** lib. 3, c. 7; MG 20, 1061. S. Athanasius, ***Apolog. de fuga,*** n. 5; MG 25, 649. Secundum Concilium generale Constantinopoli celebratum non habuit praesident ex parte Pontificis, et hac de causa non fuit oecumenicum celebratione, sed post approbationem Damasi Pontificis anno sequenti evasit oecumenicum. Voluit Damasus episcopos Orientis Constantinopoli congregatos Romam transferri, ut ibi cum occidentalibus celebraretur plenissimum Concilium, at orientales justis de causis Romam venire non valentes in commu-

scopi, et *Philippus* presbyter *quarto Paschasius* et *Lucentius* episcopi cum *Bonifacio* et *Basilio* presbyteris [1]; *quinto Eutychius* constantinopolitanus, qui *Vigilio* Pupae praesidentiam obtulit [2]; *sexto Theodorus* et *Georgius* presbyteri ac *Joannes* diaconus *septimo Petrus* archipresbyter romanus, et *Petrus* abbas S. *Sabae* [3]; *octavo Donatus* et *Stephaniis* episcopi cum *Marino* diacono [4]; ii inquam nomine ac delegatione Romanorum Pontificum conciliis generalibus praefuerunt, ut ex locis citatis satis apparet.

Haec omnia confirmata sunt a *Leone PP. X,* qui in bulla *Pastor aeternus,* approbante Concilio Lateranensi V, sess. 11, docet «solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam conciliorum indicendorum, quam transferendorum et dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex S. Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum sacrorumque canonum decretis,' sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constare» [7].

Juri praesidentiae connectitur proculdubio, ut bene ait *Palmieri,* «jus proponendi ac determinandi materiam circa quam deliberandum sit, et ferenda sententia» [8]; necnon jus praescribendi ordinem disputationum et moderandi omnia, quae in conciliis circa definitiones agenda sunt.

Munus episcoporum in Concilio. Episcopi, quidquid sit de origine jurisdictionis eorum in proprias ecclesias, jurisdictionem exercent in Concilio generali a Romano Pontifice acceptam, quia auctoritas eorum in Concilio extenditur ad Ecclesiam universalem, quae in omnium sententia nonnisi a Supremo Pastore in episcopos derivatur.

Hoc tamen non obstat, quin episcopi sint in Concilio veri judices, licet inferiores et a Supremo Pastore dependentes, non secus ac assessores, qui aliquando in jure dantur judici principali, ut cum eo ferant judicialiter sententiam. Convocat itaque Romanus Pontifex et adsumit in Concilio eos, qui in propriis ecclesiis jurisdictionem habent, eisque ita congregatis auctoritatem confert in Ecclesiam universalem, ut actus et definitiones conciliares omnes simul cum ipso edant.

Judicant ergo, quamquam dependenter a R. P., episcopi in Concilio, et docent fideles doctrinas fidei, sententiamque ferunt [9].

nione cum occidentalibus, qui Romae aderant, celebraverunt Concilium, quod deinde a Damaso approbatum est.

1 Cfr. ***Aci.,*** 3, ejusdem Cone. Mansi, 4, 1293; Nioophorue, lib. 14,1 34; MG MU, 1169 sq.; et epist. Caelestini PP. ad S. Cyrillum inter acta synodi.

2 Vide ***Ad.,*** 3, Concilii; Mansi, 6, 977; et epist. S, Leonis ad Concil. Chalced. <47). Mansi, 6, 133.

3 Cfr. S. Bellarminus, ***De Conciliis,*** lib. 1, c. 19.

4 ***Ad.,*** x Concilii; Mansi, Xl, 209.

5 Ex subscriptionibus Patrum Concilii apparet eos fuisse vices gerentes Adriani Papae; Mansi, 13, 730.

6 ***Ad.,*** 1; Mansi, 16, 18.

7 Imperatoribus non semel concessa est praesidentia ***honoris*** aut etiam ***loci,*** non ***jurisdictionis,*** juxta illud Patrum chalcedonensium ad Leonem: «Tu quidem ***sicut membris caput praeeras*** in his qui tuum tenebant locum benevolentiam praeferens; fideles vero imperatores ***pro decenti ordine*** praesidebant».

8 ***De Romano Pontifice,*** th. 28; «Cum utroque jure».

9 Quare Romani Pontifices edere solent decreta conciliaria ***sacro approbante***

Quod si agatur de re antea per Romanum Pontificem ex cathedra definita, nequeunt episcopi examen *dubitativum,* quod a dubio rei incipit instituere, quia ut veri fideles definitiones Romani Pontificis acceptare tenentur, bene tamen examen *comprobativum* quo nova motiva, si quae sint, scrutantur et clarior acquiritur rei notitia. Episcopi, ubi nova motiva investigant, doctrinam sua sententia confirmant, ut veritas magis elucescat juxta illud S. *Leonis:* «Ipsa quoque veritas et clarius renitescit et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit» '.

Non tamen requiritur in actibus conciliaribus, ut quidam erronee dixerunt, unanimitas ne quidem moralis suffragiorum. Ratio est, quia, cum episcopi jurisdictionem accipiant in Concilio a Romano Pontifice, illa dicenda est sententia conciliaris, quam tulerit Summus Pontifex, quamvis non habeat pro se unanimitatem nec majorem partem suffragiorum 2.

683. 4.° Ut Romanus Pontifex sua auctoritate Concilium confirmet.

Romanus Pontifex potest diversimode se habere respectu Concilii generalis. 1) Aliquando ipse interest praesens Concilio cum Patribus, et proprio suffragio satis confirmat actus conciliares. 2) Interdum praesidet per suos legatos cum instructione Sedis Apostolicae pro determinata materia definienda, ut factum est in Conciliis generalibus IV, VI et VII; et tunc, si legati et Patres definiant rem juxta instructiones a Pontifice acceptas, Concilium est satis confirmatum et nulla indiget ulteriori approbatione 3. 3) Quandoque praesidet per suos legatos sine instructione speciali, ut novimus factum esse in Concilio Tridentino et quoties diversae materiae erant tractandae. In hoc ultimo casu Concilium eget confirmatione Pontificis, ut sit vere oecumenicum; quia ante confirmationem Pontificis non repraesentat Ecclesiam universalem, cum desit omnium fidelium Pastor et caput4.

Concilio; et Pius PP. IX ***sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis episcopis*** edidit primam Concilii Vaticani constitutionem.

1 ***Ep.*** 120, c. i; ML 54, 1048.

2 In Conciliis saepe fuerunt episcopi dissentientes (Cfr. Socrates, ***H. E.,*** lib. 5, c. 8, MG 67, 576). Sic in Concilio Trid. quaestio de invaliditate matrimoniorum clandestinorum confutata est a 50 Patribus, usque dum decretum ederetur (Pallavicini. ***Hist. Conc. Trid.,*** lib. 23, c. 9, n. 5); et in Concilio Vaticano dogma infallibilitatis R. Pont, strenue a quibusdam confutatum est; et suffragium «Non placet» tulerunt duo episcopi. Cfr. ***Coll. Lac.,*** vol. 7, p. 487.

3 «Illud Concilium, inquit Suarez, ***De fide,*** disp. 5, sect. 7, n. 10, quoad talem definitionem habet confirmationem Pontificis, quasi anticipatam».

1 Cfr. Scheeben, ***La Dogmatique,*** t. I, n. 545 sqq.

Habemus 19 Concilia Oecumenica diversis temporibus et causis in Ecclesia celebrata, prout in sequenti synopsi describuntur:

	CONCILIA	ANNO	PONTIFICE	IMPERATORE	CAUSA PRAECIPUA
1	Nicaenum I	325	S. Sylvestro	Constantino	Adversus arianos
2	Constant. I	381	S. Damaso	Theodosio Sen.	Adv. macedonianos
3	Ephesin.	431	S. Caelestino	Theodosio Jun.	Adv. nestorianos
4	Chalced.	451	S. Leone	Marciano	Adv. outychianos
5	Constant. II	553	VIKIIo	Justiniano	Propter tria capitula

ARTICULUS II

DE INFALLIBILITATE CONCILIORUM

684. Status quaestionis. Agimus hic de inerrantia conciliorum in materia fidei et morum a tota Ecclesia credendorum vel agendorum.

Haec inerrantia referri potest ad concilia particularia vel generalia, eaque a Romano Pontifice approbata vel non approbata.

685. Errores, a) *Juxta protestantes* nulla auctoritas est in terra infallibilis nisi *sola Scriptura,* eaque exposita per spiritum cujusque privatum.

b) *Richeriani* et *jansenistae* requirunt consensum totius Ecclesiae credentis, ut definitio aliqua conciliaris firma esse possit.

c) *Puseistae* in Anglia, qui veram Christi Ecclesiam putant coetibus catholico, graeco-rutheno, et anglicano constitui, docent nullum Concilium esse infallibile, quod repraesentatione et consensu horum coetuum non fuerit celebratum.

d) *Increduli* et *rationalistae* hodierni dicunt scientiam solummodo, non conciliorum auctoritatem, esse infallibilem. Imo dum Pontifici, Ecclesiae atque conciliis inerrantiam negant, insanae cuidam criticae rationali nomen scientiae et praerogativam infallibilitatis tribuunt.

686. Thesis I. Acta et decreta conciliorum particularium a Romano Pontifice in forma specifica non approbatorum possunt continere errorem in fide.

Arg. Donum infallibilitatis solummodo concessum est Ecclesiae universali sive credenti sive docenti, ejusque capiti Romano Pontifici. Sed concilia particularia, nondum a Romano Pontifice approbata, nec Ecclesiam universalem repraesentant, nec auctoritate Pastoris Ecclesiae fulciuntur. Ergo.

Nemo tamen dubitet, quin concilia particularia sint magnae auctoritatis in Ecclesia ad dogmata catholica exponenda. Ex eorum quippe auctoritate doctrina fidei saepe suadetur, ut docet *Cano* [1]

	CONCILIA	ANNO	PONTIFICE	IMPERATORE	CAUSA PRAECIPUA
6	Constant. III	680	Agathone	Const. Pogon.	Adv. monothelitas
7	Nicaenum II	787	Adriano I	Const, et Iren.	Adv. iconoclastes
8	Constant. IV	870	Adriano II	Basilio	Adv. Photium
9	Lateran. I	1123	Callixto II	Henrico IV	Propter investituras
10	Lateran. II	1139	Innocentio II	Conrado III	Propter schisma antipapae
11	Lateran. III	1179	Alexandro III	Friderico I	Adv. waldenses et albig.
12	Lateran. IV	1215	Innocentio III	Friderico II	Propter expedit. Jerosol.
13	Lugdnn. I	1245	Innocentio IV	Ludovico IX	Contra Fridericum II
14	Lugdun. II	1271	Gregorio X	Rodulpho	Propter unionem grace.
15	Viennen.	1312	Clemente V	Henrico VII	Propter causam templar.
16	Florent.	1139-15	Eugenio IV	Sigismundo	Propter unionem grace.
17	Lateran. V	1512	Julio 11 et Leon. X	Maximil. I	Propter schisma ex c. pis.
18	Trident.	1545-63	Paulo III-Plo IV	Carolo V	Adv. prot. et ad discipl. rest.
19	Vatican.	1869-70	Pio IX	Napoleone III	Adv. rationalistes

1 *De locis,* lib. 5, c. 4, conci. 6.

687. Thesis II. Concilia particularia a Summo Pontifice in forma specifica confirmata nequeunt errare in fide.

Hanc doctrinam non audet S. *Bellarminus*[1] dicere de fide ob auctoritatem quorumdam negantium, certam tamen appellat et proximam fidei; et adserit *Cano*[2] multorum haereticorum damnationem fore incertam, si haec conclusio certa non esset.

Arg. Ratio fundamentalis est, quia, cum Summus Pontifex sua auctoritate confirmat decreta et canones conciliorum particularium in materia fidei et morum, loquitur ex cathedra, ac propterea infallibiliter proponit doctrinam ab omnibus fidelibus credendam. Hinc hujusmodi concilia auctoritate Romani Pontificis roborata semper accipiuntur in Ecclesia ut certa regula fidei[3][4]

688. Thesis III. Concilium generale etiam legitime congregatum ac consentientibus legatis S. Sedis, sine instructionibus tamen vel contra instructiones Pontificis celebratum, et a Papa in forma specifica non confirmatum, videtur posse in fide errare, etiamsi Patres unanimes fuerint in definiendo.

Gravissimi quidam theologi contradicunt huic doctrinae dicentes definitiones Concilii generalis in materia fidei, ubi praecipue unanimi Patrum et legatorum consensu eduntur, esse irreformabiles ante confirmationem Romani Pontificis Communior tamen et verior est nostra sententia.

Arg. Concilium generale, etiamsi legitime congregatum fuerit et praesidentibus legatis Apostolicae Sedis celebratum, quousque firmetur auctoritate pontificia, non repraesentat Ecclesiam universalem, cum sit capite privatum. Membris autem sine capite, licet aliquando unanimiter sentiant de rebus dogmaticis, non est concessum charisma infallibilitatis. Ergo Concilium generale auctoritate Romani Pontificis nondum confirmatum, etiamsi Patres unanimes sint in definiendo, errori subjectum est in rebus fidei. Hinc concilia generalia, quibus Pontifex non praefuit, suos canones pro approbatione Romam mittere consueverunt.

Id ipsum confirmant facta quae referuntur. Concilium siquidem basileense sess. 2 legato praesente erravit statuens Concilium generale esse supra Papam; et Concilium pariter cptanum, cui praefuerunt legati cum instructionibus Nicolai I erravit.

689. Thesis IV. Concilium generale a Summo Pontifice confirmatum est infallibile in rebus fidei et morum definiendis.

Arg. I. Ecclesia docens est, per promissam ipsi a Christo Spiritus Sancti adsistentiam, infallibilis in rebus fidei et morum definiendis, ut

1 ***De Conciliis,*** lib. 2, c. 5.

2 ***De locis,*** lib. 5, c. 4, conci. 5.

3 Cfr. Valentia, ***In II-II,*** disp. I, q. 1, p. 7, § 45; et Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibi, theol.,*** lib. 3, sect. 5, c. 8, conci. 4.

4 Ita Banez, ***II-II,*** q. i, a. 10, dub. 4, conci. 1; et Dominicus e SSma. Trinitate, ***Biblioth. theol.,*** lib. 3, sect. 5, c. 8.

satis superque ostendimus, dum de inerrantia Ecclesiae. Sed Concilium generale a Summo Pontifice confirmatum repraesentat Ecclesiam docentem, corpus scilicet cum capite x. Ergo Concilium generale, a Summo Pontifice confirmatum, est infallibile in rebus fidei et morum definiendis.

Hoc argumentum confirmant:

a) Testimonia Scripturae et argumenta quibus ostendimus suo loco inerrantiam Ecclesiae in docendo.

b) Infallibilitas Romani Pontificis, qui tota plenitudine suae potestatis loquitur, cum actus conciliares in materia fidei et morum confirmat.

c) Inerrantia Ecclesiae in credendo. Universitas siquidem fidelium in errorem induceretur in materia fidei, si Concilium generale a Papa confirmatum aliquando erraret, quod nefas est dicere.

d) Haereticorum in conciliis condemnatio nunquam foret firma, si quando concilia generalia a Papa confirmata possent errare in fide.

Arg. II. *Ex traditione. S. Athanasius* ait: «Verbum Domini per oecumenicam nicaenam synodum prolatum in aeternum manet» 1.— S. *Gregorius M.* haec habet: «Sicut Sancti Evangelii quatuor libros sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor» 3. S. *Augustinus:* «Quod plenarium Concilium confirmavit, hoc sequimur»4.*

690. Scholion. Ex his facile deduces quam vim in theologia habeant argumenta ex conciliis deprompta.

1) Ex conciliis plenariis et provincialibus, auctoritate Romani Pontificis nondum confirmatis, probabile, non certum, sumitur in theologia argumentum ad fidei dogmata suadenda.

Probabile quidem et magnae auctoritatis ex iis sumitur argumentum, quia in conciliis plenariis et provincialibus a gravissimis plerumque Patribus dilucidantur quaestiones fidei et morum, collatisque plurium consiliis deliberatur quid tradere oporteat populo Christiano. His autem decisionibus non facile subest error in fide. Unde «ex innumeris conciliis ejusmodi vix quinque aut sex reperiuntur, quae a recta definienda ratione ac via declinarint» 6.

Non tamen certum sumitur argumentum, quia ejusmodi concilia, cum non repraesentent Ecclesiam universalem, non gaudent adsistentia Spiritus Sancti, nec proinde facere possunt certam fidei regulam.

2) Auctoritates, quae ex conciliis generalibus a Romano Pontifice nondum approbatis nec reprobatis promuntur, probabile tantum suppeditant theologo argumentum ad dogmata fidei probanda. Ratio est, quia ejusmodi concilia, quousque accedat confirmatio Romani Pontificis, capite destituta sunt, et non repraesentant Ecclesiam universalem.

3) Ex conciliis tum particularibus tum generalibus a Romano Pontifice in forma speciali confirmatis potest theologus validum depromere argumentum ad dogmata catholica probanda, quia conciliis a Romano Pontifice hoc pacto confirmatis subesse non potest error in fide.

1 Praecepit Martinus V, ut suspectus errorum Wicleff et Hus interrogaretur: «Utrum credat et asserat quod quodlibet Concilium generale, et etiam constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet».

2 ***Ad Afros,*** n. 2; MG 26, 1032.

3 ***Ep.,*** lib. i, ep. 25; ML 77, 478.

4 ***De Baptismo,*** lib. 4, n. 9; MI, 43, 159.

6 Cano, ***De locis,*** lib. 5, e. 4, conci. 6.

QUAESTIO XXV

DE CAETERIS LOCIS THEOLOGICIS

De aliis quae supersunt locis theologicis, scilicet de SS. Ecclesiae Patribus, theologis, ratione naturali, philosophis, atque humana historia breviter in hac quaestione disseremus.

ARTICULUS I

DE SS. ECCLESIAE PATRIBUS [1]

691. I. Nomen Patrum. Quamvis omnes apostoli, evangelistae, caeterique Christi discipuli, qui filios in Jesu Christo per Evangelium genuerunt, dici possint et aliquando appellati fuerint Patres Ecclesiae [2], proprie tamen juxta communem theologorum usum *Patres* vocantur illi celeberrimi scriptores qui ob eminentem doctrinam, insignem vitae sanctitatem et competentem antiquitatem ut tales tacite vel expresse declarati sunt ab Ecclesia. Appellantur *Patres* per metaphoram, quia filios doctrina et sanctitate Jesu Christo genuerunt.

Qualitates. Quatuor requiruntur conditiones, ut aliquis inter SS. Patres cooptetur. 1) *Eminens doctrina;* quia SS. Patres praedicatione evangelica filios ex gentibus procrearunt, et genitos pabulo doctrinae aluerunt. 2) *Insignis vitae sanctitas;* quia exemplo et integritate morum non minus quam pabulo doctrinae filios nutriverunt et ad sanctitatem promoverunt [3]. 3) *Competens antiquitas;* quia sicut patres in generatione naturali praecedunt filios eosque procreant, ita in generatione spirituali Patres, qui ad perfectionem Ecclesiae operam dederunt, praecesserunt statum perfectum Ecclesiae. Cum autem Ecclesia jam olim attigerit perfectionem, oportet Patres antiquitate donari. Unde primus Ecclesiae Pater potest hoc sensu vocari S. Clemens Romanus (f 101?), et ultimus S. Bernardus (f 1153) qui ideo dicitur *junior Patrum.* 4) *Ecclesiae saltem tacita approbatio.* Quare *Hormisdas Papa* de quibusdam theologis loquens ait: «quos in auctoritatem Patrum non

1 De SS. Patribus egregie scripserunt Cano, ***De locis,*** lib. 7; Annatus, ***Apparatus,*** lib. 4; Dominicus a SSma. Trinitate, ***Bibliotheca theologica,*** lib. 2, sect. 5, c. 6; Fessior, ***Instit. patrologicae*** (novam editionem curavit B. Jungmann, Innsbruck; 1890); Bardenhewer, ***Patrologie*** (versionem hisp. edidit P. SolA); Yus, ***Patrologia;*** Freppol, ***Les Pères Apostoliques;*** B. Smidt, O. S. B., ***Précis de Patrologie.*** et alii

2 Episcopi et scriptores ecclesiastici, qui populum erudiebant, appellati sunt Patres in primis Ecclesiae saeculis. Cfr. Bardenhewer, ***Patrologie, Introd.,*** § t.

3 Tertullianus, Clemens alexandrinus, Origcnes, Arnobius, Lactantius, Eusebius caes., Theodoretus, Rufinus et alii, licet scientia et eruditione clarissimi, defectu tamen sanctitatis aut etiam orthodoxae fidei non sunt proprie ***Patres Ecclesiae*** sed ***scriptores ecclesiastici.*** Horum opera veniunt in patrologia generali, et valde commendantur in quibusdam materiis, in aliis tamen caute admodum sunt legenda.

recipit examen»; et in Concilio Lat.-Rom. (a. 649) aliqui, de quorum approbatione dubitabatur, vocati sunt *Patres Ecclesiae -probabiles* x.

692. II. Doctores Ecclesiae. Ex SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis nonnulli declarati sunt *Doctores Ecclesiae,* quorum titulus ut bene intelligatur, prae oculis habenda est differentia inter *Doctorem in Ecclesia* et *Doctorem Ecclesiae. Doctor in Ecclesia* appellatur, qui membrum Ecclesiae exsistens gradum doctoris in aliqua universitate rite obtinuit. Quandoque hic titulus requiritur ad beneficia ecclesiastica obtinenda. *Doctor Ecclesiae* vocatur qui ob eminentissimam scientiam et vitae sanctitatem cum morte conjunctam ut doctor declaratus est ab Ecclesia Dati sunt doctores juxta Apostolum *ad consummationem sanctorum* 3. Notae characteristicae Doctorum Ecclesiae sunt *fides orthodoxa, sanctitas vitae, eminens doctrina et expressa Ecclesiae declaratio* 4. Octo numerantur *majores Doctores Ecclesiae,* quatuor scilicet occidentales, S. Ambrosius (f 397), S. Hieronymus (f 420), S. Augustinus (f 430), S. Gregorius M. (f 604); et quatuor orientales, S. Athanasius (f 373), S. Basilius (j 379), S. Gregorius Nazianzenus (f 390) et S. Joannes Chrysostomus (f 407). Alii sunt *Doctores minores,* nempe in Ecclesia latina S. Hilarius Pictaviensis (t 366), S. Petrus Chrysologus (f 450), S. Leo M. (f 461), S. Isidorus Hispalensis (f 636), S. Beda (f 735), S. Petrus Damianus (f 1072), S. Anselmus Cantuariensis (f 1109), S. Bernardus (f 1153), S. Thomas Aquinas (f 1274), S. Bonaventura (f 1274), S. Joannes a Cruce (f 1591), S. Petrus Canisius (f 1597), S. Bellarminus (f 1621), S. Franciscus Salesius (f 1622), S. Alphonsus M. de Ligorio (j· 1787); et ex graecis S. Cyrillus Hierosolymitanus (f 386), S. Cyrillus Alex, (j 444), et S. Joannes Damascenus (f 754).

693. III. Patres ut Doctores et ut testes. SS. Patres, licet non omnes Doctoris titulo gaudeant, nihilominus profunda scientia claruerunt, et dupliciter res exponere consueverunt, ut *doctores privati* et ut *testes fidei* seu *traditionis.* 1) Ut *doctores privati* veritates catholicas ex intrinseca earum natura more philosophorum explicant, et scientifice probant atque tuentur. Magna pollent auctoritate propter ingenium quo praediti sunt, et propter eruditionem ac doctrinam quam in rebus dogmaticis et ecclesiasticis adepti sunt. 2) Ut *testes fidei* seu *traditionis* loquuntur, «si ad majorum traditionem provocant, si quod proponunt doctrinam esse fidei asserunt, si doctrinam contrariam tanquam haereticam rejiciunt, etc.» 5. Hoc sensu majori pollent auctoritate, quia exercent magisterium Ecclesiae, quo veritates traditionis a majoribus ad posteros transmittuntur et Sacrae Scripturae interpretantur.

694. IV. Praenotanda. Ut auctoritas SS. Patrum in theologia certa definitione praescribatur, varia sunt praenotanda.

1) Disputare possumus de auctoritate unius aut alterius Patris, vel

1 ***Conc. tat. rom.,*** can. i8; Mansi, io, 1157.

2 Ex his concludes non omnes nec solos SS. Patres esse ***Doctores Ecclesiae.***

3 ***Ephes.,*** 4, n.

4 Antiquitus nonnulli usu recepti sunt et agniti ut tales in liturgia ecclesiastica, alii decreto speciali Ecclesiae inter Doctores sunt connumerati,

6 P. Raphael a S. Joseph, ***De S. Theol. locis,*** c. 9.

de plurium communi consensu contra paucos, vel denique de omnium unanimi concordique sententia [1].

2) Sanctorum Patrum testimonia versantur a) quandoque circa materias pure naturales et philosophicas, puta circa naturam et proprietates rerum; b) interdum circa veritates historico-ecclesiasticas; c) non semel circa quaestiones theologicas quae nec ad fidem pertinent nec ex rebus fidei derivantur, cujusmodi est disputatio de causalitate instrumentali physica sacramentorum [2]; d) saepe circa dogmata fidei quae a catholicis admitti debent.

Sub his adspectibus consideranda sunt effata SS. Patrum, ut inde nobis innotescat quam vim habeant in theologia.

695. Errores, i) *Lutherus* [3] et post ipsum omnes protestantes contemnunt auctoritatem SS. Patrum, et nihil intentatum relinquunt, ut persuadeant omnia dogmata et mysteria religionis testimoniis S. Scripturae ad placitum conscientiae privatae dilucidari posse.

2) *Critici item hodierni* negant SS. Patribus auctoritatem in theologia, et docent tantum valere eorum effata, quantum suadent rationes quibus innituntur.

696. Thesis I. Sanctorum Patrum auctoritas in rebus pure philosophicis et scientiis naturalibus cum dogmate non connexis nunquam suppeditat certum argumentum, sed tantum valet quantum ratio qua eorum argumentatio nititur.

1) Speciali divinae providentiae consilio positi sunt SS. Patres, in Ecclesia, ut, dogmata fidei interpretantes, filios in Jesu Christo per Evangelium procrearent, genitosque *ad consummationem sanctorum... in aedificationem corporis Christi* perducerent [4], non ut disciplinas philosophicas scientiarumque naturalium theorias mundo traderent. Quare plerique, licet ingenio acutissimo praediti essent et studiis philosophicis olim dediti, solis Scripturis et traditionibus investigandis toti incubuerunt, ut ipsi non semel testantur.

2) Qui disciplinas philosophicas scientiasve naturales coluerunt, nequiverunt omnia scientiae vel philosophiae dogmata, quae hodiernis temporibus detecta sunt, tunc temporis cognoscere. Physica namque, chimia, astronomia, geographia, geologia, aliaeque scientiae quae magnum hodie in scholis adeptae sunt nomen et interesse, vix nominabantur in Sanctorum Patrum aetate.

697. Thesis II. In rebus historico-ecclesiasticis, puta in conscribendis SS. martyrum actis, in colligendis ecclesiarum liturgiis, etc., auctoritas SS. Patrum, licet fallibilis, est maximi valoris.

1) *Est quidem fallibilis,* quia SS. Patres in rebus historico-ecclesiasticis 'conscribendis caruerunt adsistentia Spiritus Sancti.

2) *Est maximi valoris,* quia SS. Patres fuerunt plerumque rerum

1 Cfr. Canus, ***De locis,*** lib. 7, c. 2.

2 Ejusmodi quaestiones vocantur ***adiaphorae*** seu ***indifferentes.***

3 ***De abrog. Missa privata:*** «Secundo objicient».

4 ***Ephes.,*** 4. 12.

ecclesiasticarum testes oculares vel saltem auriculares vicini; et in conscribendis actis martyrum, colligendis liturgiis, describendis conciliis, tradendis ecclesiarum moribus, etc., curam impenderunt non modicam. Hinc S. Clemens a primo jam saeculo creavit notarios septem, ut «passiones martyrum et res ab eis gestas diligentissime conquisitas litteris mandarent»[1].

698. Thesis III. In rebus theologicis, quae revelatae non sunt nec ex revelatis certo deducuntur, auctoritas SS. Patrum, etiamsi communi consensu loquantur, probabile dumtaxat non firmum suppeditat argumentum.

Juxta *Vincentium Lirinensem*[2] consensio SS. Patrum non in omnibus divinae legis quaestionibus sed solum in regula fidei necessario sequenda est. Porro materiae theologicae, quae revelatae non sunt nec ex revelatis certo deducuntur, non constituunt regulam fidei. Unde SS. Patrum auctoritas in his rebus, licet sit magna reverentia suscipienda, non est tamen omnino firma[3].

699. Thesis IV. «In materia fidei et morum» Sancti Patres 1) ut «Doctores privati» distributive sumpti probabile argumentum praestant; 2) ut «testes», a) si pauci adsentiant, probabile, b) si plures, reliquis reclamantibus, firmius, non tamen irrefragabile, c) si omnes communi consensu, certissimum ac firmum suppeditant traditionis argumentum.

Pars 1» Patres ut Doctores privati.

Diximus Patres *ut Doctores distributive* sumpti, id est, quatenus ut Doctores materias tractant ex intrinseca earum natura et singuli suam opinionem ex analogiis, comparationibus, rationeque naturali colligunt. Quod si considerentur corpus Patrum efficiendo, non jam solum Doctores sed testes sunt potius majorum traditionem invocantes de quibus in secunda parte theseos.

Conclusio sic explicata facilis est.

Arg. Sancti Patres, etsi doctissimi fuerint atque ingenii sagacitate celebres, spiritu tamen humano locuti sunt, quando ut Doctores privati intimam rerum naturam scrutari conati sunt. Ideo nefas fuerit donum infallibilitatis singulis eorum concedere. Unde S. *Augustinus* ajebat ad Hieronymum: «Solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam... alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt»[4].

1 ***Brev. Bout.,*** 23 Nov.

2 ***Commonitorium,*** n. 28; ML 50, 675 sq.

3 S. Augustinus, lib. 6, ***De Baptismo contra donat.,*** c. 2; ML 43, 198, cum errorem S. Cypriani de haereticis rebaptizandis refellit, «nunquam, ut ait Petavius ***(Prolog.,*** c. 2, n. 7), nisi honorifice de eo loquitur, nec sine praefatione veniae».

4 ***Ep.*** 82, n. 3; MI. 33, 277. Cfr. S. Thomas, ***I p.,*** q. 1, a. 8 ad 2.

700. Pars 2.a Patres ut testes.

1) *Pauci ex Patribus, si consentiant ut testes, probabile faciunt fundamentum.* Pauci siquidem Patres, quantumvis fuerint dogmatum acerrimi defensores, non repraesentarunt Ecclesiam universalem, nec Ecclesiae magisterium sibi arrogare potuerunt, ut essent organon traditionis transmittendae. Unde aliqui Patres errarunt in iis etiam, quae ad fidem spectare postea demonstratum est.

Testimonium tamen quorumdam Patrum, ab Ecclesia sine aliorum oppositione cum plausu acceptum, in materia fidei et morum potest aliquando firmum efficere argumentum. Sic doctrina Augustini de praedestinatione et gratia, Hilarii et Athanasii de Trinitate, et Cyrilli alexandrin! de incarnatione Christi, accipitur ut solida et certa, quia creduntur hi sancti a Deo esse electi ad defensionem dogmatis in casibus particularibus, et eorum testimonio accedit jam consensus plaudentis Ecclesiae.

2) *Testimonium plurium Patrum, aliis contradicentibus, eo est firmius et probabilius, quo major graviorque fuerit numerus consentientium, nunquam tamen irrefragabile citra definitionem Ecclesiae.* Ratio est, quia Patres numero pauciores, qui contradicunt, probabilem faciunt opinionem juxta doctrinam modo traditam. Contra probabilem autem opinionem non datur irrefragabile argumentum.

3) *Consensus unanimis SS. Patrum in materia fidei et morum certissimum ac firmum praestat theologo argumentum.* Notant hic theologi consensum unanimem non mathematice sed moraliter esse accipiendum, adeo ut dicatur SS. Patrum communis intelligentia, cui non opponitur auctoritas paucorum inducentium opinionem probabilem.

a) Patres Concilii Nicaeni II (Act. 7) *Sanctorum... et divinorum Patrum doctrinae insistentes* iconomachos damnarunt. Clemens V in Concilio Viennensi *ad... Sanctorum Patrum et Doctorum communem sententiam apostolicae considerationis... aciem convertens* sententiam in re dogmatica tulit h S. Tridentina synodus sess. 4. vetuit Sacram Scripturam contra unanimem consensum Patrum in rebus fidei et morum interpretari.

b) Ratio theologica id suadet. Patres enim fuerunt in Ecclesia a Spiritu Sancto positi, ut corpus Ecclesiae docentis constituentes divinam traditionem a majoribus acceptam custodirent, et ad posteros transmitterent. Idcirco eorum consensus communis est in Ecclesia regula fidei infallibilis.

Quando igitur scriptores ecclesiastici videntur Patribus infallibilitatem denegare, locuti sunt de singulis Patribus non de eorum unanimi consensu.

Alia de SS. Patribus scitu necessaria mittimus ad specialem tractatum *de institutionibus patrologiae,* cui scholares theologiae operam navare debent.

ARTICULUS II

DE AUCTORITATE THEOLOGORUM

701. Praenotamina. 1) Sancti Patres, imo et apostoli et evangelistae, fuerunt vere theologi, quia theologiam docuerunt; et revera S. Joannes Damascenus [1] Gregorium Nazianzenum theologum appellat. Proprie tamen loquendo theologi dicuntur, qui ex doctrina revelata veritates tum dogmaticas tum morales ad Ecclesiae utilitatem deduxerunt, id est, qui doctrinas in S. Scriptura et «amplissimis SS. Patrum voluminibus diffusas»[1] scientifico ordine congesserunt. Saeculo XII maxime florere coeperunt et inde ad haec usque tempora innumeri aquas purissimas doctrinae revelatae ex fonte Scripturarum et traditionis derivare nobisque tradere curarunt.

2) Possunt theologi, cum loquuntur in materia fidei et morum, considerari *ut doctores privati* et *ut testes fidei,* eodem modo ac Sancti Patres; item singuli seorsim, vel plures numero collective, vel omnes simul consentientes.

3) Quamvis munus theologorum sit ex revelata doctrina conclusiones deducere, aliquando tamen solent, etiam in rebus fidei et morum, pro illustranda materia ex disciplinis naturalibus et ratione humana argumenta depromere. Loquimur hic de auctoritate theologorum in propria materia.

702. Theologorum adversarii, a) *Novatores* saeculi XVI, Wicleffi vestigia sequuti, in theologos praesertim scholasticos acriter invecti sunt. Non modo omnem auctoritatem in materia fidei et morum ipsis denegarunt, verum etiam dixerunt eos, utpote fallaces et ad discordiam natos, esse Ecclesiae perniciosos. Vide quae retulimus in *prolegomenis* a. 3.

b) *Hodierni item increduli et rationalistae,* imo et scientiarum naturalium cultores non pauci, historiae ecclesiasticae penitus ignari, mille vocibus concinunt theologos progressui scientiarum refragari [3][4].

c) *Modernistae* denique a theologia abhorrent, cum dicunt S. Scripturam nullibi habere eumdem sensum pro theologo et critico [*], theologiam innovandam esse juxta placita philosophiae modernae, quae agnosticisrno et immanentisme innititur, positivam theologiam reducendam esse ad historiam dogmatum [6], ac tandem theologiam scholasticam dirimendam esse atque contemnendam [°].

703. Placita doctorum. Doctores communiter magni faciunt auctoritatem theologorum, non tamen conveniunt in adsignando gradu firmitatis, quae debetur eorum testimoniis. Concors omnium theologorum sententia de doctrina fidei aut morum adeo firma videtur aliquibus, ut contrarium sen-

1 ***Sermo in Nat. B. V. M.,*** n. 4; MG 96, 668.
2 Leo XIII, encycl. ***Aeterni Patris,*** § «Exinde». ***Acta S. S.,*** vol. 12, p. 107.
3 Cfr. ***Syllabus,*** prop. 13; Denz-Bannw., 1713.
4 Decr. ***Lamentabili,*** prop. 61; Denz-Bannw.. 2061.—Ex Loisy, ***Autour d'un petit livre,*** p. 44.
5 Cfr. Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2104.
° Encycl. ***Pascendi,*** «l'auca demum». ***Acta S. S.,*** 40, 631

tire sit *error in fide aut errori proximum* juxta *Banes*[1]; *si haeresis non est at haeresi proximum* juxta *Canum*[2]; *temerarium* juxta alios communiter.

Paucis rem expendere curabimus.

704. Thesis I. Theologi seorsim considerati tantum valent generatim quantum eorum ratio comprobarit.

Natio est, quia theologi seorsim considerati auctoritatem non repetunt nisi a rationum, quas adducunt, pondere et gravitate.

Diximus *generatim,* quia sunt aliqui doctores dicendi gravitate ita praeclari, ut eorum vel simplex adsertio probabilitatem in theologia tum dogmatica tum morali omnium consensu generet. Hujusmodi sunt S. Thomas, omnium princeps et magister, in universa theologia, Salmanticenses et S. Alphonsus M.[3] de Ligorio in re morali.

705. Thesis II. Plures theologi vel etiam omnes unius scholae doctores, quibus contradicunt alii graves theologi vel alia respective schola, probabile dumtaxat, majori vel minori probabilitatis gradu juxta circumstantias, faciunt argumentum.

«In scholastica disputatione, ait optime *Cano,* plurium auctoritas obruere theologum non debet; sed, si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversum plurimos stare. Non enim numero haec judicantur sed pondere... Certe ubi variae sunt doctissimorum hominum discrepantesque sententiae, academicorum temperamentum imitari et a rebus incertis certam adsensionem cohibere debemus» [4] Id ipsum scholarum opinionibus applicat gravissimus theologus. Ex opinionum siquidem praejudiciis, quas quis in schola accepit, non licet viros graves alterius scholae, qui contrarium docent, temere ac leviter condemnare.

706. Thesis III. Theologorum omnium in rebus fidei et morum unanimis consensus adeo firmum praebet argumentum, ut a) si quid doceant esse de fide, contrarium sentire sit error in fide aut errori proximum ', et b) si quid tradant tanquam certum, ab eo recedere sit saltem temerarium.

Prob. 1.a pars.

1) Theologi simul sumpti sunt quasi organon manifestationis Magisterii ordinarii Ecclesiae. Sed Magisterium ordinarium Ecclesiae est infallibile in tradendis rebus fidei et morum. Ergo consensus unanimis theologorum in rebus fidei et morum firmum praebet argumentum.

2) Posuit Deus non solum apostolos, evangelistas, prophetas et pastores, verum etiam doctores, ut corpus fidelium instruerent in fide. Doctorum autem nomine veniunt etiam theologi, qui ut testes traditionis et fidei doctrinam Christianam populo fideli tradunt. Sed consensus

1 *In I p.,* q. i, a. 8, dub. circa 3 locum, conci. 3.
2 *De locis,* lib. 8, c. 4. conci. 3.
3 *De locis,* lib. 8, c. 4, conci 1.
4 Hoc sensu vera est sententia Cani.

communis corporis doctorum in rebus fidei et morum firmum praebet theologo argumentum. Ergo.

3) Pius PP. .IX ad archiepiscopum monacensem expresse declaravit obligationem, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur obedire Ecclesiae decretis, non coarctari «iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur... sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur; *ideoque universali et constanti consensu* a catholicis theologis *ad fidem pertinere retinentur** L

Pars 2.a

Qui in materia fidei et morum rejicit doctrinam ab omnibus theologis traditam ut certam, gravissimo se exponit periculo errandi in fide. Ergo temerarium est negare doctrinam ab omnibus theologis traditam ut certam.

ARTICULUS III

DE LOCIS SUBSIDIARIIS THEOLOGIAE

707. I. Ratio naturalis. Locus a ratione naturali est theologiae extraneus, non tamen inimicus. Quare extrema sunt in hac parte fugienda, seu duplex error vitandus. «Primus est, ait *Cano,* eorum qui usque adeo argumentis a ratione ductis addixerunt se, ut sive disputent sive scribant, Scripturam sacram Sanctorumque Patrum libros ne legisse quidem videantur... Alter autem error illorum est, qui solis sacrarum litterarum testimoniis aut interdum etiam scriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis naturae haud aliter abhorrentes, quam si essent theologiae adversa et inimica» [1]. Rationi naturali in theologia suus concedendus est locus, non solum ut veritates fidei, aliunde notae, discursu naturali, quantum fieri potest, confirmentur, verum etiam ut status quaestionis cognoscatur, comparationibus et analogiis res declaretur, expositio amoenior fiat, ingeniorum acies intendatur, infidelium utilitati consulatur, rationalistarum, qui fide et theologia rationem extingui dicunt, importunitati satisfiat, objectiones solvantur, et materiae philosophicae, quae non semel in theologum cadunt, pro merito tractentur. Semper tamen oportet explicari dogmata Christiana revelatione contineri et magisterio Ecclesiae proponi. Sicut caput juxta Apostolum [3] non potest dicere pedibus *non estis mihi necessarii,* ita nec theologia potest philosophiam rationemque despicere. In vera theologia principia quidem sunt revelata et fide admissa, sed ex eis conclusio deduci nequit, nec fide ipsa tutari, nec scientia proprie theologica formari, sine opera rationis.

1 Denz-Bannw., 1683.
2 ***De locis,*** lib. 9, cc. 1-2.
3 ***I Cor.,*** 12, 21.

708. Usus moderatus rationis in theologia commendatur multiplici ratione. Nam

1) Monet S. Petrus ut omnes parati sint reddere rationem spei [1].

2) Apostolus plerumque ratione usus est, cum plura in suis epistolis reliquit eruditionis humanae monumenta.

3) Concilia oecumenica saepe decreverunt, ut ecclesiastici et religiosi naturalibus disciplinis sedulo operam darent.

4) Hominis conditio, qui scientias nonnisi humano modo, id est ratiocinando, acquirere potest, hoc vehementer suadet.

5) Apologetae omnes, tum antiqui, S. Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Clemens alexandrinus, Origenes, Lactantius, Eusebius Caesariensis, S. Augustinus, etc.; tum recentiores, Bossuet, Huetius, Pascal, S. Alphonsus M.a de Ligorio, Lacordaire, etc.; tum hodierni qui in confutandis erroribus protestantium, rationalistarum, incredulorum, liberalium, modernistarum, etc., versantur, ac in defendenda fide catholica, revelationis exsistentia, Jesu Christi Domini nostri divinitate, librorum sacrorum inspiratione et integritate, etc., in Ecclesiae utilitatem strenue laborant; omnes inquam hi apologetae rationi naturali suas dedere partes in theologia.

Oportet itaque theologum his praesertim temporibus, quibus adversarii principia revelata plerumque negant, in usu rationis naturalis argumentandique legibus esse instructum.

709. II. Auctoritas philosophorum. 1) Antiquis temporibus sola philosophia graeca habita fuit ut vera scientia. Hujus quatuor potissimum erant scholae, *platonicorum* scilicet, *stoicprum, epicureorum* et *peripateticorum,* a Platone, Zenone, Epicuro et Aristotele respective fundatae.

Philosophia graeca potest in quatuor epochas dividi cum cl. *Wulf* [2]:

Epocha 1.a a Thaïe milesio usque ad Socratem (vn-v saecul. ante J. C.) se extendit.

Epocha 2.a a Socrate usque ad Aristotelem (v-iv a. J. C.).

Epocha 3.a a morte Aristotelis usque ad adventum neo-platonicorum (iv a. J. C.—in saec. post J. C.).

Epocha 4.a ab introductione scholae neo-platonicae usque ad finem philosophiae graecae (πι-vi post J. C.).

Philosophi graeci hoc tempore inter grossos errores, quos tradiderunt, gravissimas saepe docuerunt veritates.

2) Advenit deinde philosophia patristica. Patres siquidem studiis philosophicis primo dediti et dein fide christiana perfusi atque edocti, ex antiquis philosophorum theoriis collegerunt phires veritates hic inde sparsas, et, rejectis paganorum judaeorumque erroribus, veram philosophiam cum dogmate catholico conciliare curavere.

3) Successerunt scholastici. S. Thomas potentissimo ingenio ut erat praeditus, Aristotelis philosophiam purgavit ab erroribus, segetes doctrinae fecundas ex operibus SS. Patrum congessit, et ingens philoso-

[1] ***I Petr.,*** 3, 15.

[2] ***Histoire de la Philosophie nu'diéval,*** n. 2.

phiae Christianae monumentum construxit[x]. Hujus Angelici Doctoris philosophiam iterum atque iterum enixe commendatam voluere Summi Pontifices, praecipue *Leo XIII* [1], *Pius X* [3] *et Codex Juris Canonici* [4].

Inter scholasticos exsistunt quidem scholae gravissimae, quae a theoriis S. Thomae dissentiunt, Scoti scilicet ex ordine S. Francisci, Aegidii Romani ex familia augustinianorum, et Joannis Bachoni ex carmelitanis calceatis, sed principatum semper retinuit ac tenet schola S. Thomae.

4) Aliae sunt hodie scholae philosophicae, quae a scholastica abhorrent, et tot agnoscunt capita quot sunt novitatum amatores. Hujusmodi sunt Compte, Leibnitz, Kant, Hegel, Fichte, Kraus, Spencer, etc.

710. Horum philosophorum si attendas auctoritatem in theologia, facile deduces sequentes conclusiones.

a) Auctoritas philosophorum ethnicorum, nisi confirmetur a philosophia Christiana vel dogmate catholico, parum habet roboris. Sequitur ex conditione ethnicae philosophiae, quae, ut notum est, absurda omnis generis tradidit sequenda.

b) Philosophi moderni, qui scholasticam respuunt, parum habent pro theologo auctoritatis. Quaedam tamen utiliter induxerunt in aliquas partes philosophiae, quae non sunt spernenda, sed hodiernis moribus accommodanda et, ubi veritatibus fidei non refragantur, prudenter adhibenda [5].

c) Dicta unius scholae philosophiae Christianae vel plurium scholasticorum, quibus aliae scholae vel philosophi contradicunt, non certam sed probabilem dumtaxat faciunt sententiam.

d) Consensus omnium omnino philosophorum in admittenda doctrina, quae fidei vel moribus non contradicit, certitudinem moralem parit; non tamen demonstrat dogmata catholica, quia arguit ex locis extraneis et alienis.

711. III. Historia ecclesiastica et profana. Historia, licet sit locus subsidiarius, magni tamen facienda est hodie in theologia. Ex quo critici hodierni monumenta antiquitatis et archiva examinarunt, invehuntur in Jesum Christum et impetunt furore incredibili fundamenta religionis catholicae. Hinc necesse est, ut theologus ex eodem armamentario gladios et tela sumat, iisdemque armis instructus, paratus sit ad incredulorum evertenda principia.

Historiae humanae fontes sunt: 1) *documenta scripta,* ut opera antiqua, acta conciliorum, decreta Pontificum, litterae episcoporum, libri liturgici, inscriptiones veterum, etc.; 2) *monumenta archaeologica,* ut

1 Leo XIII, Litt. Ap. 4 Aug. 1879, haec habet: «Quidquid vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille (S. Thomas) penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur».

2 "Encycl. *Aeterni Patris; Acta S. Sedis,* 12, 107 sqq.

3 Encycl. *Pascendi,* n. 50.

4 Can. 1366, § 2.

5 «Edicimus, ait Leo XIII, libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum». Encycl. *Aeterni Patris; Acta S. Sedis,* 12, 114.

templa aegyptiorum ac graecorum, palatia babylonensium, ruinae assyriorum, statuae romanorum, catacumbae Christianorum, etc.; 3) *traditio,* tum *oralis,* ut narrationes, legendae, mythi, anecdota, proverbia, cantus, tum *figurata,* ut picturae, imagines, statuae, etc.*; 4) mores populorum continua successione consecrati.

Ad historiae cognitionem valde conferunt ejus subsidia, nimirum: a) *Linguistica,* qua idiomata comparantur[1]. b) *Diplomatica,* qua diplomata et instrumenta litteraria cognoscuntur[3]. c) *Palaeographica,* seu ars legendi vetera manuscripta et diplomata[4]. d) *Epigraphica,* qua leguntur et interpretantur veteres inscriptiones[5]. e) *Chronologica,* qua tempora et aerae computantur[6]. f) *Sphragistica,* qua sigillorum notio adipiscitur[7]. g) *Heraldica,* quae de nobilium titulis agit[8]. h) *Numismatica,* quae de munis omnium populorum et temporum disserit[9].

712. *Arte criticae opus est* in rerum praeteritarum investigatione. Regulae siquidem, quae addiscuntur in arte critica, admodum necessariae sunt in historica disciplina, ne nimia credulitas quorumdam et scepticismus aliorum obtenebret, uti solet, veritatem, neve juribus particularium noceat. Quare, qui historicis rebus examinandis operam dare velit, praeter alia monita, quae dantur, haec potissimum prae oculis habere curet.

a) *Habeat animum ad studia tranquillum et ab opinionum praejudiciis omnino expertem*[10]. Hodierni rationalistae et increduli, qui tanto furore in Ecclesiam catholicam invehuntur, hac tranquillitate opus habent. Nonnulli scriptores moderni, opinionum praejudiciis obcaecati, malunt saepe budhismum et brachmanismum laudibus extollere, quam religionis catholicae veritatem agnoscere.

b) *Conjecturae possunt esse motivum quaestionis examinandae, nun-*

1 Cfr. Antonius Weis, ***Hist. Eccl.,*** Introd., § 5.

2 Utiliter conferri possunt Glossaria: Du Fresne du Cange, Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis, 6 vol. fol. Lugd 1688 et Wratisl., 1892; et Glossarium inediae et infimae latinitatis, 6 vol., Paris, 1733-1736 et alibi; Forcellini, ***Totius latinitatis lexicon;*** nova ed. Vincentii de Vit, 6 vol., Prato, 1858-1879; et alii.

3 Cfr. Giry, ***Manuel de diplomatique,*** Paris, 1894.

4 Vide M. Prou, ***Manuel de paléographie latine et française du*** 6.° ***au*** 17, ***siècle,*** 2 ed., Paris, 1892; E. Reuseus, ***Elements de paléographie,*** Louvain, 1899; Paoli, ***Programma scolastico di paleografia latina e diplomatica,*** 3 vol., Firenze, 1888-1900; et alii.

5 Circa materias epigraphicas consuli potest Zell, ***Handbuch d. rom Epigraphik,*** Heidelb., 1850.

6 Conferantur omnino J. Scaliger, ***De emendatione temporum,*** Genevae, 1629; Petavius, ***Rationarium temporum,*** Lugd. Batav., 1624, et ***Doctrina temporum,*** Antuerp., 1703; Clemenoet, ***L'Art de vérifier les dates des faits hist.,*** 3 vol., ult. ed., Paris, 1844; et alios. Aerae, quarum studium est valde utile, numerantur: ***Christiana, judaica, olympiadum, ab Urbe condita, indictionum, seleucidarum, diocletiana, hispanica, mauretana, armenorum, Tyri, persarum, Abrahami, muhamedana,*** etc.

7 Vid. Heineocius, ***De veteribus germanorum aliarumque nationum sigillis,*** Francof., 1719, et opera quae tractant de diplomatica.

8 Cfr. Sacken, ***Katechismus der Heraldk,*** Leipzig, 1893.

9 Engel et Serrure, ***Traité de numismatique du moyen-âge,*** 2 vol., Paris, 1891; ***Traité de numismatique moderne, et contemporaine,*** ibid., 1897.

10 Leo XIII, ***Ep. de studiis historicis,*** 18 Aug. 1883; ***Acta S. Sedis,*** 16, 49.

quam ratio gravis, doctrinae definiendae. Hanc regulam saepe obliti sunt critici moderni. Vix enim scientiarum naturalium hodiernum progressum salutarunt, statim buccinis triumphum cecinere dicentes in S. Scriptura errores contineri. Ecclesiae magisterium se fefellisse, dogmata catholicorum absurda esse, et alia id genus plura.

c) *Argumenta pure negativa contra receptas in populo traditiones parum probant.* Quare nimis praecipitanter hac in re procedunt modernistae eorumque affines neo-critici, quando traditiones populorum antiquissimas rejiciunt atque refutant eo quod non invenerint in pergamenis exaratas vel in tabulis incisas. Graviter in hoc peccant qui confessionem auricularem admittere.detrectant, authenticitatem librorum sacrorum negant, aliaque dogmata religionis traditione edocta rejiciunt; imo reprehendendi sunt qui contra fidem populorum docent rosarium non fuisse S. Dominico nec scapulare S. Simoni Stock a Bma. Virgine traditum.

713. Ea tamen, quae juxta regulas critices historice probantur, admittenda sunt theologo, et si religioni favere noscantur, in argumentatione sunt adhibenda, sin minus prudenter interpretanda et cum doctrina catholica concilianda. Documenta item plurima quibus veritates religionis confirmari solent, historice et critice, quantum fieri potest, rimari oportet.

Decet itaque, ut theologus magni faciat historiam, in quaestionibus praesertim, in quibus hodie argumenta religionis injusta lance librantur ab adversariis.

APPENDIX

DE MODERNISMO

714. Ab incunabulis jam religionis Christianae apparuerunt in mundo haeretici ac increduli; et exinde in saeculorum serie nunquam destiterunt homines perversi in Ecclesiam catholicam invehi. Judaei et gentiles plenis buccis clamarunt contra revelationem Christianam, et apostatae a fide excogitarunt theorias periculosissimas, quae non semel attulerunt populis ploranda mala. Inter omnia tamen systemata, quae hactenus inventa sunt a diabolo ad demoliendum, si fieri posset, Ecclesiae aedificium, infensissimum est proculdubio *modernismus,* qui novo et inaudito furore religionis catholicae impetit fundamenta. Vix natus orbem catholicum turbavit, innumera patravit mala in fidei detrimentum et maxime his diebus contristavit Vicarium Christi, Ecclesiae visibile caput.

Cum modernismus maxima ex parte theologiam fundamentalem respiciat, opportunum visum est nobis hic ejus errores breviter exponere, ut candidatus lector uno veluti intuitu prae oculis habeat, quid in hac materia fugiendum sit. Pleraque ex documentis Pii PP. X et ex operibus modernistarum colligemus.

§ I

Errores modernismi.

715. *Modernismus* est systema quoddam ab hodiernis criticis excogitatum, vel potius a rationalismo protestantico derivatum, quod nonnisi phaenomenorum visibilium cognitionem rationi humanae naturaliter concedit, et, immanentiae vitali philosophiae modernae nimis insistens, revelationis, dogmatis, fidei et religionis exsistentiam ac naturam ex sensu quodam religioso, qui in nobis esse dicitur, repetit. Modernistae, semel stabilito principio explicationis ordinis supernaturalis per sensum religiosum, plurimas exinde consequentias de ipso dogmate, fide, revelatione, magisterio Ecclesiae, inspiratione et veritate SS. Scripturarum, divinitate Domini nostri Jesu Christi, sacramentis, etc., deducunt. Hinc errores modernistarum versantur ut plurimum circa philosophiam, theologiam (dogmaticam, moralem et mysticam), S. Scripturam, disciplinam Ecclesiae et historiam. De singulis pauca.

716. Errores circa philosophiam. Fundamentum philosophiae modernistarum est *agnosticismus Kantii* et *Spencer*[1], juxta quem humana

[1] «Noi accettiamo, ajunt auctores libelli ***Il programma dei modernisa,*** § 2, a, ia critica della ragione pura che Kant c Spencer hanno fatto.»

ratio phaenomena solum, quae apparent eaque specie qua apparent, cognoscere valetx. Ex hoc modernistae inferunt theorias absurdas. In *Logica* sola utilitas est critérium intellectus, ratio non investigat veritatem sed solum symbolum veritatis; *Ontologia* est *noumenon,* incognoscibile; ac idcirco essentiae et causae rerum, immutabilitas veritatis, animae spiritualitas ac immortalitas, aliaeque veritates metaphysicae latent naturaliter humanam rationem; principium contradictionis nullius est valoris: in *Theodiçea* exsistentia Dei naturaliter demonstrari non potest 2; Deus non est objectum scientiae nec subjectum historiae. Consequenter scientia et historia, quae phaenomenis includuntur, debent esse atheae resque pertractare nullo ad Deum habito respectu.

717. Ex his negationibus pergunt modernistae ad partem positivam, quam extruunt super *immanentismum* 3 hoc pacto: «Scientia atque historia duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia» ultra quos adest *incognoscibile.* Coram hoc *incognoscibili,* quod juxta nonnullos extra hominem juxta alios intus in *subconscientia* 5 latet, indigentia divinorum, quam omnes experimur, commovet *sensum religiosum,* qui divinam *realitatem* tanquam objectum et sui causam implicat.

Hic sensus religiosus «qui per vitalem immanentiam e latebris *subconscientiae* (vel *praeconscientiae)* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quae in religione quavis fuere aut sunt futura» 6. Quando realitas seu phaenomenon est in subconscientia, vocatur *ego idealis,* et quando transit in conscientiam *ego realis, personalis.*

Hinc juxta modernistas Deus et objecta religionem spectantia, quae phaenomenis externis non apparent, latent in subconscientia. Quando

1 Encycl. Pii PP. X, ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2072.

2 Ipsam Dei exsistentiam aliqui in dubium revocant. «La question, ait Loisy, qui est au fond du problème religieux dans le temps présent n'est pas de savoir si le Pape est infallibile, ou s'il y a des erreurs dans la Bible, ou même si le Christ est Dieu, ou s'il y a une révélation... mais de savoir si l'univers est inerte, vide, sourd, sans âme, sans entrailles, si la conscience de l'homme y est sans écho plus réel et plus vrai qu'ellc-même. Du oui ou du non il n'existe pas de preuve rationnelle qu'on puisse qualifier de péremptoire... Vais-je verser dans le monisme, dans le panthéisme? Je l'ignore. Ce sont des mots. Je tache de parler de choses. La foi veut, le théisme; la raison tendrait au panthéisme. Sans doute elles envisagent deux aspects du vrai, et la ligne d'accord nous est cachée». ***Quelques lettres,*** p. 45 sqq.

3 In quo reponant modernistae hunc immanentismum difficile dictu est. Fonegrives ***(La quinz,*** Janv., 1897; ***Le Monde,*** Mai, 1895) reponit in subjectivismo quod valore objectivo caret; Abbas Ch. Denis ***(Annales de Phil, chrët.,*** Juillet, 1897), in exsistentia subjecti in se ipso; Blondel ***(Annales de Phil, chrët.,*** Janv. et Juillet, 1896), in statu quodam quo homo nihil admittere potest quod non procedat a se ipso; Laberthonnière ***(Essais de Phil. Relig.,*** p. 169), in penetratione ordinis supematuralis in nobis.

' Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2074.

5 Status internus, cujus conscientia caremus, vocatur ***inconscientia*** a philosophis modernis. Carentia conscientiae potest accidere dupliciter: primo, quia phaenomenon nondum advenit conscientiae, et appellatur ***praeconscientia;*** secundo, quia transiit, et est ***subconscientia.*** Modernistae tamen confundunt saepe subconscientiam cum conscientia et praeconscientia.

° Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2077 -Cfr. Dehô, ***La condanna del modernisnio.***

indigentia divinorum premimur, erumpit sensus religiosus, quo Deum et dogmata non tantum cognoscimus quantum experimur, intuemur et palpamus eo ferme modo, quo Jacobi docebat nos sentire Deum in corde, et Gratry per quemdam divinum sensum se communicabat cum Deo.

718. Nunquam explicant modernistae, in quo consistat hic sensus religiosus; nescimus, an sit facultas ad modum intellectus et voluntatis, ut voluit *Kant* cum aliis, an status animi vel corporis, an emotio quaedam ad modum aliarum sensationum quas saepe experimur.

Quidquid sit, exaggerant certe valorem hujus sensus religiosi, cum dicunt eum superiorem ac perfectiorem esse intellectu et voluntate, nobisque praestare intuitionem sentimentalem Dei et divinorum, experientiam subjectivam et communicationem intimam cum Deo [1].

719. Errores circa theologiam dogmaticam. Ex iis quae vidimus philosophiae fundamentis non est difficile conjicere quas modernistae admittant in theologia doctrinas.

Fides juxta novum systema est *sensus religiosus Dei conscius,* cujus objectum non respondet factis historicis sed factis psychologicis, experientiae nimirum internae [2].

Revelatio est *acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia* [3]; id est, progressiva cognitio Dei intra cujuslibet individui conscientiam sese manifestantis [4]. Revelatio igitur non est manifestatio veritatis ignotae menti humanae a Deo facta, ut theologia catholica docet; sensus religiosus in conscientia apparens, quin et ipse Deus in eodem sensu animis manifestans dicitur revelatio et objectum revelatum. Hinc apud modernistas conscientiae et revelationis promiscua saepe usurpatio [5].

Religio est *intimus sensus nostrae dependentiae a Deo* [6]. Diversae autem religiones non sunt nisi *religiosi sensus* merae explicationes, adeo ut religio catholica nata fuerit processu vitalis immanentiae in conscientia Christi, electissimae naturae viri [7].

Dogmata Ecclesiae non sunt veritates e caelo delapsae, sed interpretatio factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit [8]; cujus genesim hoc pacto explicant modernistae: in *sensu religioso* non datur intellectui locus nec proinde adest proprie co-

1 Juxta Tyrrel ***(Quarterly Riview, Rights and Limits of Theology,*** Oct., 1905) est «God's touch tilt within the heart».

2 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2074. (Cfr. Pesoh, ***Fede, Dogmi, Fatti storici,*** § 2.)

3 Deer. ***Lamentabili,*** prop. 20; Denz-Bannw., 2020. Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2075.—«Ce, ait Loisy, ***Autour d'un petit livre,*** p. 195, qu'on appelle révélation n'a pu être que la conscience acquise par l'homme de rapport avec Dieu».

4 Sabatier, ***Les Religions d'autorité et la Religion de l'Esprit,*** 1903; liv. 2.me, ch. 2, § 4; et ***Filosofia de la religiôn,*** lib. 1, c. 2, § 3.

5 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2075.

6 Sabatier, ***Filosofia de la religiôn,*** lib. 1, c. 1, § 3.

7 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2077 sq.

8 «Les conceptions, ait Loisy, ***Évangile et Église,*** ed. 3.", pp. 202-203, que l'Église présente comme des dogmes révélés ne sont pas des vérités tombées du ciel et gardées par la tradition religieuse dans la forme précise ou elles ont paru d'abord. L'historien y voit l'interprétation des faits religieux, acquise par un laborieux effort de la pensée théologique». Cfr. Decr. ***Lamentabili,*** prop. 22; Donz-Bannw., 2022.

gnitio, sed *jides, revelatio, experientia, intuitus, contactus Dei* r, qui in eo statu vix a credente distinguitur 1. Ad intellectum pertinet sensum religiosum collustrare et Deum a credente secernere, quod efficit fidem suam cogitando, id est, in *sensum religiosum se inflectendo;* quodque duplici modo: *primo,* mens humana naturali et spontaneo actu, absque abstractione, relationes hominis cum Deo in sensu religioso percipit exprimitque sententia quadam simplici ac vulgari; *secundo,* orta controversia, reflexe et penitius *cogitationem elaborat,* «eloquiturque cogitata *secundariis sententiis,* derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae secundariae sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituunt dogma» 3. Hinc dogmata originem trahunt quidem ex formula simplici ac vulgari, quam intellectus naturaliter exprimit, sed continentur in *formulis secundariis,* quae primitivam ideam seu formulam explicant. Hae formulae seu ideae magis vel minus abstractae et penitius elaboratae, cum ab Ecclesia definiuntur, dicuntur et sunt respectu fidei et sensus religiosi *symbola* seu *imagines veritatis,* et respectu credentis vocantur *instrumenta* seu vehicula veritatis 4.

Evolutio dogmatis, quam tantopere amant et praedicant modernistae, fundatur in hac doctrina. Objectum siquidem *sensus religiosi* infinitos habet adspectus, quorum modo unus modo alter juxta exigentiam temporum ac progressum scientiarum symbolis seu formulis dogmaticis manifestatur, eo ferme modo quo diversa tempora in aeternitate continentur et successive apparent 5. Hinc dogmata sunt veritates *relativae* adjunctis temporum accommodatae. Nonnulla juxta *Sabatier* 6, quem communiter sequuntur modernistae, *in desuetudinem abierunt,* ut fides in daemonum exsistentiam; alia sensum *mutaverunt,* ut Trinitas, inspiratio, miraculum; aha jam olim oblita *reviviscunt,* ut justificatio per fidem; alia denique *creantur* vel potius in perpetua evolutione *apparent,* ut fides in Christum conscientiae christianae. Christus non docuit determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicable 7; doctrina Christiana in suis exordiis judaica per successivas

1 «Les vérités de la révélation, iterum Loisy, ***Autour d'un petit livre,*** p. 200, sont vivantes dans les assertions de la foi avant d'être analysées, dans les spéculations de la doctrine. Leur forme native est une intuition surnaturelle et une expérience religieuse, non une considération abstraite ou une définition systématique de leur objet.»

2 Conceptus omnino pantheisticus, quem non semel exprimunt modernistae.

3 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2078.

4 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2079.

5 «La conception théorique du dogme immuable ne peut effacer l'histoire des dogmes. Le sens qui ne change pas n'est pas celui qui résulte précisément de la lettre, c'est-a-dire la forme particulière que la vérité prenait dans l'esprit de ceux qui ont libellé la formule; il n'est pas davantage dans la forme particulière des interprétations qui se succèdent selon le besoin; il est dans leur fond commun, impossible à exprimer en langage humain, par une définition adéquate à. son objet et suffisante pour les siècles des siècles». Loisy, ***Autour d'un petit livre,*** p. 201.

4 Exquisse d'une Philosophie de la Religion d'après la Psychologie et l'histoire, Paris, 1897; liv. 3, ch. 4.

7 Decr. ***Lamentabili,*** prop. 59; Donz-Bnnnw., 2059; ex Loisy, ***Etu.l évang*** , 13

evolutiones facta est paulina, joannica, hellenica et universalis [1]; nunc progressus scientiarum et historiae postulat, ut reformentur conceptus doctrinae Christianae de Deo, Christo et Ecclesia. Unde mutanda est fides catholicorum circa auctoritatem Scripturae et circa traditionem, divinitatem Christi, redemptionem atque salutem hominum [2].

Consequenter omnes religiones, quae respondent *experientiae sensus religiosi* et *symbolis* seu veritatis imaginibus, sunt verae, ut jam aperte docent aliqui modernistae [3].

Traditio divina non est veritatum e caelo delapsarum a majoribus ad posteros transmissio, ut theologi et Ecclesia hucusque docuerunt, sed «originalis experientiae quaedam cum aliis communicatio per praedicationem, ope formulae intellectivae», quae non solum repraesentat cogitata, sed excitat quoque *sensum religiosum,* forte torpentem, instauratque experientiam aliquando habitam in eo, qui credit, et gignit sensum religiosum ac experientiam in iis, qui non credunt [4].

Divinitas D. N. Jesuchristi non est realis et physica sed idealis. Quare admittendus est geminus Christus, alter *historicus* seu realis, filius Mariae et Joseph, conceptus et natus non ex virgine sed consortio maritali, electissimae quidem naturae, sed homo purus [5]; ad quem refertur tota historia evangelica; alter *dogmaticus,* qui nunquam exstitit, sed eductus est e notione Messiae a conscientia Christiana [6]; id est, persona historica Christi transformata est atque deformata a fide, et huic Christo, remotis proprietatibus et gestis, quae in Evangeliis referuntur, convenit divinitas, utique idealis a conscientia Christiana formata.

Ipse Christus non habuit conscientiam suae dignitatis messianicae usque ad baptismum [7], et exinde nomen *Filius Dei,* quod sibi passim tribuit, non significat Christum fuisse filium Dei naturalem, sed aequivalet nomini *Messias,* id est, agenti divino et ordinatori regni Dei.

Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina [8], quia Paulus explicuit textus evangelicos sensu universaliori quam habebant. Cum enim Christus praedicatione sua populum commovisset, damnatus est ad mortem, quin ipse cogitaret se morte sua hominem cum Deo reconciliaturum [9].

1 Loisy, ***L'Évang. et ('Église,*** p. 134.—Cfr. Decr. ***Lamentabili,*** prop. 60; Denz-Bannw., 2060.

2 Loisy, ***Autour d'un petit livre,*** 153-154.—Cfr. ***Lamentabili,*** prop. 64; Denz-Bannw., 2064.—Modernistae praeiverat Melanchton, qui ***Letter seelte,*** 1565, lett. 2, qq. 3-4, expresse docuit articulos fidei mutandos esse et circumstantiis temporum accommodandos.

3 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2082. «Ogni via, ait Besant ***(L'intima proposito della Società teosofica,*** Roma, 1901), è buona per coloro che la seguono: qgni via è divina e per essa gli uomini possono giungere a Dio». Pag. 7.

1 Encycl. ***Pascendi;*** Denz-Bannw., 2083. Fetichistae in imperio sinensi majores aberrationes non docuerunt.

3 Nisi velis Christum hominem appellari Deum, quatenus speciali modo fuit Deo unitus adeo ut qui ipsum conspicerent aliquo modo Deum viderent.

° Loisy, ***Autour,*** p. 117.—Cfr. ***Lamentabili,*** prop. 27; Denz-Bannw., 2027.

7 Loisy, ***L'Évang. et l'Église,*** p. 55.—Cfr. ***Lamentabili,*** prop. 35: Denz-Bannw., .'«35·

" ***Lamentabili,*** prop. 38; Denz-Bannw., 2038.

• Loisy, ***L'Évangile et l'Église,*** p 122.

Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia Christiana sensim ex aliis derivavit. Siquidem «fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis quam de vita Christi immortali apud Deum» 1.

Miracula solum significant activam praesentiam Dei in mundo, non transgressionem legum naturalium nec manifestationem omnipotentiae et scientiae Dei. Sunt actus, quibus spiritus individualis hominis (vel plures spiritus individuales) intensius solito agens, suam potestatem supra materiam acquirit 2.

Prophetia non est opus miraculosum nec certa eventus futuri praedictio sed perfectior conceptus Dei cum persuasione indefectibili, quod aliquis eventus effectu compleatur.

Ecclesia non fuit a Christo instituta sed est *parttis conscientiae collectivae* seu foetus consociationis conscientiarum singularium. Initio siquidem aliquis bonus vir, fidelis et credens, singularem divinorum experientiam nactus, aliis fidem suam communicavit, et, cum fides communis evasit, ex conscientia omnium collectiva surrexit Ecclesia. Auctoritas pariter ecclesiastica ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat, quae ad modum auctoritatis civilis democraticis formis uti debet, nisi velit in hominum conscientiis intestinum excitare bellum. Magisterium Ecclesiae ad populares formas et ad singularium hominum conscientias sese accommodare oportet.

Ecclesia a Statu sejungi mo et in temporalibus Statui subesse debet.

Ecclesia tum in se ipsa, quatenus est societas organica, tum quoad dogmata, quoad cultum et quoad disciplinam, subjecta est principio fundamentali evolutionis p rpetuae 3.

Simon Petrus ne suspic tus unquam est sibi a Christo demandatum

1 ***Lamentabili,*** prop. 36 et 37; Denz-Bannw., 2036 sq. Ex Loisy, ***Autour,*** pp. 169 et 120; ***Quelques lettres, p.*** 48 sqq.—Paulo aliter resurrectionem Christi modo modernistico explicat Leroy dicens: «D'ailleurs il ne faudrait pas croire que, per la mort, l'âme soit totalement désincarnée. Elle emporte avec elle son corps en tant que matière pure; ce corps subsiste à titre de virtualité: ***radicaliter,*** dit Saint Thomas. La germe, la tendance qui persistent ainsi tout ce qui rend possible et convenable une résurrection, laquelle n'est pas autre chose qu'une reprise des fonctions d'activité pratique, une reconstruction de mécanismes plus ou moins semblables a ceux qu'on avait perdus ou une réparation de ces derniers. J'ajoute que la reprise du corps, conçue de cette manière, est bien toujours, quoi qu'il advienne du cadavre éliminé, une résurrection ***in came propria.*** En effet, c'est comme une seconde naissance: l'âme s'etait une première fois construit un corps, elle recommence; et le corps qu'elle refa t, étant son œuvre et son instrument, son point de vue et son centre d'action, il faut l'appeler de nouveau ***son*** corps, dans le même sent et la même raison que la première fois». ***Dogme et Critique,*** p. 239 sqq. «Je formulerais donc volontiers le dogme de la résurrection dans les termes suivants: l'état présent de Jésus est tel que, pour correspondre a sa réalité ineffable... l'attitude et la conduite requises de nôtre part sont celles qui convendraient vis-a-vis d'un contemporain». ***Ibid*** p. 255.

2 «Un miracle, c'est l'acte d'un esprit individuel (ou d'un grupe d'esprits individuels) agissant comme esprit à un degré plus haut que d'habitude, retrouvant en fait, et comme dans un éclair, sa puissance de droit». Leroy, ***Annales de Philosophie ch*ét.,*** Dec., 1907.

3 Lnsy, ***Autour,*** p. 176. —Cfr. ***Lamentabili,*** p. 53; Donz-Bimnw., 2053.

esse primatum in Ecclesia. Romana Ecclesia non ex divinae provide!) tiae ordinatione sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est L

Sacramenta non fuerunt a Christo instituta sed «ortum habuerunt ex eo quod apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, inter pretati sunt»2. Non conferunt gratiam, sed «eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam»

Communitas Christiana necessitatem baptismi induxit tanquam ritum necessarium4, quem dein resolvit in duo, in baptismum et poenitentiam 8; distinctio baptismi et confirmationis non pertinet ad historiam verba Apostoli de institutione Eucharistiae (*I Cor.,* 11, 23-25) non sunt historice sumenda 7; Jacobus in sua epistola (5. 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi8; qui coenae christianae prae esse consueverant, paulatim characterem sacerdotalem acquisivcnmt matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia, post datam scilicet plenam explicationem theologicam doctrinae de gratia et sacramentis 10.

720. Errores circa theologiam moralem. Ecclesia impar est ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis, quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt ".

Actuum humanorum in finem supematuralem relatio consistit in commercio et experientia animae cum Deo, in sensu religioso sese manifestante.

Conscientia non est dictamen intellectus practici, ut hucusque theologi docuere, sed potentia aut nescio quid, qua phaenomena percipiuntur, vel etiam id in quo sensus religiosus apparet. Quare conscientia est saepe cum revelatione aequanda.

Leges, etiam naturales et divino positivae, non exceptis decalogi praeceptis, tractu temporis mutantur12

Loisy, ***Autour,*** p. 17, et ***L'Évangile,*** pp. 97-99.—Cfr. ***Lamentabili,*** 55-56; Denz-Bannw., 2055 sq.

2 ***Lamentabili,*** prop. 40.—Ex Loisy, ***L'Évangile,*** p. 194.
3 — prop. 41.— — — p. 220.
4 — prop. 42·— — ***Autour,*** p. 233 sq.
prop. 43.— — ***L'Évangile,*** p. 195.
prop. 44.— — ***Autour,*** p. 234.
prop. 45.— — — p. 237.
prop. 48.— — — p. 251.
prop. 49.— — — p. 253.
prop. 51.— — — p. 255.
11 — prop. 63.

12 «Non è vero, ait Boccardo (***La sociologia nella storia, nella scienza, nella religione e nel cosmo,*** § 3), che, come dice il Makintosh, la moralità non ammette scoperte, ***morality admits of no discoveries:*** non è vero cii> che afferma il Condorcet, che la morale di tutte le nazioni è stata la medesima, ***la morale de toutes les nations a etc la même:*** non è vero il pronunciato di Emmanuele Kant, che noi nella filosofia morale non abbiamo oltrepasato gli antichi, ***in der Moralphilosophie sind wir nicht weiter gehommen, als die Allen:*** non è vero cib che il Bukle ripete, che le verità morali non riccvono addizioni, ***moral truths receive no addition.*** Noi pOssiamo enumerate non poche e non irrilevanti vcrit.i morali, « lie gli antichi non conobbero

Fideles non tenentur Ecclesiae mandatis obedire, sed ipsa Ecclesia debet conscientiae fidelium sese accommodare.

Sacrum in sacerdotio coelibatum sublatum desiderant modernistae protestantium more b

Sacramenta non conferunt gratiam *ex opere operato.*

721. Errores contra theologiam mysticam. *In via purgativa,* quando peccator reconciliatur cum Deo, non communicantur animae merita et satisfactiones mortis piacularis Christi.

In via illuminativa plures virtutes, ut humilitas, patientia, mortificatio, sacrificium, obedientia, modestia, mansuetudo, puritas, pietas, etc., sunt *passivae,* olim quidem in magno pretio habitae, sed hodie parvi faciendae. E contra virtutes *activae,* ceu magnanimitas, fiducia in se, zelus animarum, etc., sunt accurate colendae, ut mundus nos aestimet.

In via unitiva anima ita Deo conjungitur, ut neglectis virtutibus passivis et supernarum rerum contemplatione, in sensu religioso, qui ex latebris subconscientiae erumpit, Deum intueatur ac jugiter experiatur sine moralibus adjunctis, quae ad experientiam gignendam requiruntur [1].

722. Errores circa S. Scripturam. Juxta modemistas Deus non est vere auctor S. Scripturae, sicut apologetae, theologi et expositores hactenus docuere [3].

Inspiratio S. Scripturae est vehemens quaedam impulsio, similis in-

affato, e delle quali possiano assegnare i discopritori e l'epoca in cui furono rivelate, come assegnamo gli inventori e la data delle veriti di ordine fisico e scientifico.»

1 Encycl. ***Pascendi';*** Denz-Bannw., 2104. Modernistarum doctrinam quoad moralitatcm exprimit unus eorum doctor G. Prezzolini ***(Prose,*** Rivista d'artc e d'idee, Roma, aprile-maggio, 1907, pag. 163 sqq.) his verbis: «Ea carne e la fame non si cacciano via se non con soddisfarle. E io dico che il miglior modo desser liberi dalla materia è di lasciare che la materia viva da sè, sia contenta e soddisfatta».

8 Encycl. ***Pascendi,*** 14.—In hac mysticae parte potissimum, perniciosius quam in aliis materiis, erravere modernistae. Totum ordinem supernaturalcm et commercium animae cum Deo per sensum religiosum explicare volentes, doctrinas et aberrationes quietistarum, theosophorum et sentimentalistarum laudibus extulerunt et amplexati sunt. Famosa sunt hac in re opuscula mystica Dnae. de Guyon, ***Teosojia*** Josephi Giordano (Mediolani, 1907) et alia quamplurima quae doctrinis sentimentalistarum et theosophorum referta in lucem edita sunt. Librum mysticopantheisticum ***Eine deutsche Théologie*** (Una teologia germânica) olim ignoto auctore a Luthero magnis encomiis in lucem editum, et alium ***Guia espiritual,*** Michaelis Molinos, quietistarum antesignani, optimos esse codices viae spiritualis clamitant, et cum adnotationibus exhibent atque commendant piis lectoribus.

Quam longe distet hic modernistarum dicendi modus a sanctorum doctrina, non est opus, ut probare conemur. Mystici aliquando Deum experiuntur, potentia quidem sensitiva mediantibus imaginibus et repraesentationibus, potentia vero intellectuali firmissime sibi persuadendo, quod Deus in oratione ***recollectimis, quietis, raptus, volatus animae*** et ***impetus,*** ipsis certissime sistit, sed hoc fit modo omnino supernaturali, et conceditur dumtaxat quibusdam animabus, quae in via spirituali plurimum adlaborarunt. «Notoriamente ve, ait S. M. N. Theresia, ***Mor. y,*** c. i, η. 7,··. que cstàn (las tres divinas personas) en lo interior de su aima, en lo muy inuy interior, en una cosa muy Honda que no sabe decircômo es, porque no tiene letras, ***sienle*** en si esta divina compania .. y si no falta a Dios cl aima, jamâs cl la faltarà, a mi parecer. ***de darse a conocer tan conocidamenle su presenciat***

3 ***Lamentabili,*** prop 9; Denz-Bannw., 2009.

spirationi poeticae, qua scriptor ad fidem suam, id est, sensum ex indigentia divinorum ortum, verbo scriptove aperiendam adigitur *. Haec inspiratio, quamvis ad totam S. Scripturam extendatur, non tamen praeservat sacros libros ab erroribus plurimis, scientificis et historicis; nullum siquidem caput est in Scriptura a Genesi usque ad Apocalypsim quod contineat eamdem doctrinam ac Ecclesia 1.

Sacri scriptores transcripserunt in suis libris plura documenta mythica, traditiones populares, formulas apparentes, etc., quae errores continent, quin responderent de veritate relatorum sed de veracitate tantum translationis; imo plura retulerunt evangelistae, quae, etsi falsa, censuerunt lectoribus magis proficua 3.

Evangelia sensim sine sensu ita aucta sunt usque ad definitum constitutumque canonem, ut in ipsis doctrinae Christi non remanserit nisi tenue et incertum vestigium 4.

723. Errores circa disciplinam Ecclesiae. Regimen Ecclesiae adeo reformandum est juxta modernistas, ut intus forisque cum moderna conscientia componatur, quae tota ad democratiam vergit, tributis inferiori clero et laicis in regimine partibus. Sacrae Congregationes, praecipue S. *Officium* et *Index,* immutandae sunt, ut magna omnibus fiat conscientiae libertas.

724. Circa historiam. Curiosa denique sunt quae circa modum conficiendi historiam docent modernistae. His temporibus adeo progressi sumus, ut jam historia non sit simplex enarratio factorum, sed involucrum inexplicabile quod criticus, historicus et philosophus simul conficiunt 5.*

§ n

Historia modernismi.

725. Causae praecipuae modernismi merito dicuntur a Pio PP. X error mentis, curiositas et superbia 0, sed, si radicitus res examinetur, facile dignoscitur ex intima quorumdam catholicorum cum protestantibus rationalistis relatione et communicatione atque ex librorum rationalistarum familiari lectione modernismum originem duxisse7. Quidam scriptores, de monitis Ecclesiae catholicae parum solliciti et in philosophicis theologicisque disciplinis perfunctorie instructi, sive ob curiositatem, ut aliqui volunt, sive ob refutandos errores protestantium, ut ipsi clamitant, libros rationalistarum *criticismo biblico* et *subjectivism#* refertos imprudenter evolvere eorumque auctoribus nimia familiaritate uti coeperunt. Inde tot hodie lugenda mala. Ex philosophia Kantii (1724-

1 ***Pascendi,*** n. 22; ***Lamentabili,*** prop. 10; Denz-Bannw., 2090 et 20x0.
2 Loisy, ***Autour d'un -petit livre,*** p. 54.
3 ***Lamentabili,*** prop. 14.—Ex Loisy, ***Autour,*** p. 44.
4 ***Lamentabili,*** prop. 15.—Ex Loisy, ***L'Évang.,*** p. 13.
5 Cfr. Encycl. ***Pascendi: Acta S. Sedis,*** 40, 623.
* ***Pascendi; Acta S. Sedis,*** 40, 635.
7 Epilent. ***Die Wartburg*** (München, 1908, 88). ajebat: «Modernismus est caro de caille et os tic oese protestant isini»,

1889), Schleiermacher (1768-1834), Ammon (1766-1849), Ritschl (1822-1889), A Sabatier (1840-1901), Spencer (1820-1903), aliorumque rationalistarum suas doctrinas maxima ex parte hauserunt modernistae. In relationibus deinde cum Ed. Hartmann, Pfleiderer, Wellhausen, Holzmann, Weiss (Joan), Jülicher, Rubois Reymond, Hamack, et aliis, sensim sine sensu amiserunt fidem, et exposuerunt dogmata modo omnino rationalistico.

726. Praecipui modernismi coryphaei fuere:

In Gallia: Alfredus Loisy [1], Ed. Leroy [2], Houtin [3] A. Dupin [4], Bonnefoy [5], etc.; quibus accedunt Blondel [6], Alaux [7], Laberthonnière [8], Turmel [9] et alii.

In Italia: Murri [10], Minocchi [11], Fogazzaro [12] Meregalli [13], Bataini [14], Coenobium (Rivista internazionale di liberi studi, Lugano).

In Germania: Schell [15], Schrörs [16] scriptores ephemeridis «Das zwanzigste Jahrhundert», München, 1908, 88 sqq. et plures discipuli Schell.

In Anglia: Tyrrel [17], et alii.

727. SSmus. D. N. Pius X, dato primo decreto *Lamentabili* sub die 3 Julii 1907 et dein encyclica *Pascendi* sub die 8 Septembris 1907 gravissimis verbis damnavit modernismum, et modernistas semel et iterum admonuit, ut, depositis rationalistarum theoriis, doctrinas Ecclesiae humiliter acciperent; sed modernistae, haereticorum viam sequuti, nedum voluerunt Ecclesiae mandatis se subjicere, sed libellos insolentissimos publicarunt, inter quos eminent: «A Pio XQuello che vogliamo» (Milano, 1907); «Il Programma dei modernisti—Risposta all'enciclica di Pio X *Pascendi dominici gregis*» (Roma, 1908 [18]);«Das zwanzigste Jahrhundert» (München, 1908); «Internationale Wochenschrift» (München, 1908); «Lendemains d'Enzyclique» (Paris, 1908). Necnon Loisy, Tyrrel, Murri et alii directe responderunt Romano Pontifici, adeo ut juxta *Lendemains d'Enzyclique* modernistae itali «sicut magister puero» ita «pauperi Papae» locuti fuerint.

1 *L'Évang. et l'Église; Autour d'un petit livre* per torum; *Simples Réflexions sur le Decret du Saint-Office Lamentabili sane exitu et sur l'Encyclique cPascendi».*

2 *Dogme et Critique,* etc.

3 *La question biblique.*

4 *Le dogme de la Trinité dans les trois premiers siècles.*

5 *Vers l'unité de croyance. Le catholicisme de demain.*

6 *Histoire et dogme,* «Quinzaine», 15 Jan., 15 Febr.

7 *La religion progressive.*

8 *Annales de Phil, chrét.*

9 *Histoire du dogme de la papauté: L'Eschatologie a la fin du IV siècle.*

10 *Rattaglie d'oggi, La Filosofia nuova e l'enciclica contra il modernisme,* etc.

11 *La Genesi, Il paradiso terrestre* per totum; *Il simbolismo nella Genesi,* etc.

12 *Il Santo.*

13 Vide *Civiltà Cattolica,* 1907, vol. 4, p. 331.

14 *Il Socialismo e la Democrazia cristiana, Il Renan e l'Harnack,* etc.

15 *Die neus Aeil und der alte Glaube,* etc.

16 *Kirche und Wissenschaft, Zuslande an einer katholisch-theologischen Pacultat*

17 *A much abused letter: Trough Scylla and Charybdis,* etc

18 Est libellus infamatorius et haereticus paginarum 239, scriptus, ut dicitur, a sex sacerdotibus italis.

728. Sunt alii scriptores, neo-critici, qui nostro conceptu et bonorum opinione nimis concedunt adversariis in interpretatione S. Scripturae, apologetica Christiana et gravissimis de theologia quaestionibus. Noluimus eos inter modernistas recensere, ne citra declarationem Ecclesiae videremur accusatoris officium agere; candide tamen fatemur criticam hodiernam in multis quidem esse laudabilem sed in aliis plurimum nobis displicere. Non enim est satis fundata, ut exigat in exegesi catholica profundas innovationes, quae in discrimen adducunt veritatem S. Scripturae.

§ in

Condemnatio modernismi.

729. His ultimis temporibus plura prodierunt a Sede Apostolica contra modernismum documenta, quae oportet prae oculis haberi. Aha sunt quae viam sternunt ad condemnationam modernismi; alia quae ipsum expresse proscribunt; alia quae modernistas eorumque opera damnant.

730. 1) *Documenta quae viam sternunt ad condemnationem modernismi.* a) SSmus. D. N. Pius PP. X allocutione habita ad creatos Cardinales in Consistorio diei 17 Aprilis 1907 maxime conquestus est de modernis criticis, quorum doctrinae secum ferunt venenum omnium haeresum. b) Datae sunt deinde litterae S. Congregationis Indicis 29 Aprilis 1907 ad Emum. Cardinalem Archiepiscopum mediolanensem, quibus spiritus periculosissimus periodici *II Rinnovamento* damnatus est. c) Mox Rom. Pontifex sub die 6 Maji 1907 dedit Litteras ad Emum. Cardinalem Archiep. parisiensem caeterosque archiepiscopos et episcopos Galliarum, Patronos Instituti Catholici Parisiensis, in quibus dolet «e Clero praesertim adolescenti quasdam erumpere coepisse, periculi et erroris plenas, novitates sententiarum de ipsis fundamentis doctrinae catholicae», profectas plerumque a contempta scholastica philosophia.

731. 2) *Documenta quibus proscribitur modernismus.* a) Die 3-4 Julii 1907 editum est decretum S. Officii *Lamentabili sane exitu,* quo damnantur 65 propositiones doctrinales modemistarum. b) Deinde, sub die 8 Septembris 1907, datae sunt gravissimae Litterae Encyclicae *Pascendi,* quibus solemniter proscribuntur modemistarum errores. Est pretiosissimum Ecclesiae documentum, quo exposita et contrita sunt adversae doctrinae fundamenta, c) Rom. Pontifex *Motu proprio* 18 Novembris 1907 Auctoritate sua Apostolica iteravit confirmavitque tum Decretum illud S. Congregationis Supremae tum Litteras suas Encyclicas, addita excommunicationis poena adversus contradictores; ita ut si quis: «quamlibet ex propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento... improbatis tueatur, censura ipso facto plecti (noscat), Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogata, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis». d) In allocutione habita in Consistorio 16 Decembris 1907 repetit se bonum depositum custodiendi causa decretum *Lamentabili* et Litteras Encyclicas *Pascendi* edidisse.

732. 3) *Modernistae eorumque opera damnantur,* a) Sacerdos Alfredus Loisy, qui jam erat suspensus a divinis, post formales canonicas

monitiones *nominatim* ac *personaliter* excommunicatus est decreto S. Officii 7 Martii 1908; item Romulus Murri, deer. S. Officii 22 Martii 1909. Alii sacerdotes rebelles suspensi sunt a divinis, b) Item plura modernistarum opera sunt ab Ecclesia damnata et in Indicem librorum prohibitorum relata, ex quibus speciali mentione digna est damnatio *II Programma dei Modernisti.* Emus. Cardinalis Vicarius sub die 29 Octobris 1907 hunc librum proscripsit, et vendere, legere aut retinere prohibuit sub culpa lethali, adjungens: «SS. D. N. Pius X per hoc decretum auctores et scriptores caeterosque omnes, qui quoquo modo ad hunc librum conficiendum operam contulerunt, excommunicationis poena afficit, a qua sibi soli absolutionem reservat». Damnata sunt etiam quaedam opera Eduardi Leroy, Joannis Morin, Alberti Houtin, Coenobium, Rivista internazionale di liberi studi (Decr. Indicis 16 Jul. 1907); Diaria modernistica *La Justice Social* et *La Vie Catholique* (Decr. S. Officii 13 Febr. 1908); Antonii Dupin (Decr. Ind. 25 Maji 1908); Bonnefoy et Romuli Murri (Decr. Ind. 5 Jan. 1909); Josephi Tunnel et iterum Romuli Murri (Decr. Ind. 5 Jul. 1909) et alionim.

733. Hic quaeri potest, quinam sit horum documentorum valor juridicus.

1) Certùm est documenta n. 1. recensita non esse locutiones ex cathedra, quia nondum Pontifex videtur habuisse intentionem proscribendi doctrinas de modernismo ut Doctor universalis.

2) Multum disputatum est de valore decreti *Lamentabili,* a) Aliqui dixerunt hoc decretum esse quidem maximae auctoritatis, obligationemque inducere, cui omnes fideles in conscientia se subjicere tenentur, non tamen esse definitionem ex cathedra, quia est decretum S. Officii, approbatum a S. Pontifice *in forma communi.* Ita *P. Choupin* [4], *Vermeersch* [1], *Miranda* [3] et alii. Adjungunt tamen in forma specifica approbatum fuisse *Motu proprio* diei 18 Nov. 1907, adeo ut, quod primo erat decisio S. Officii, evectum fuerit ad categoriam definitionis ex cathedra; tum quia Pontifex praefatum decretum iterat atque confirmat, tum praecipue quia contradictores poena excommunicationis plectit. Vide *Miranda* [4] et *Vermeersch* [5]. b) Alii volunt decretum *Lamentabili* fuisse jam ab initio approbatum a Pontifice *in forma specifica* et consequenter esse definitionem ex cathedra, quia Romanus Pontifex formae communi approbationis «Sanctitas sua decretum Emorum. Patrum approbavit» aliam formam adjunxit, quibus condemnationem omnino suam facere visus est dicens: *ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.* Ita *Tailliez* [6], *Pierrot* [7], *Villada* [8] et alii.

1 ***Études,*** 15 Août, 1907.

2 ***Periodica,*** tom. 3, p. 148.

3 ***Ensayo de comentario al Decreto «tLamentabili»*** por los alumnos dei Pontificio Colegio espaiiol de Roma.

4 L. c.

5 ***Periodica,*** t. 4, p. 52.

6 ***Revue catholique des Institutions et du Droit,*** Août, 1907.

7 ***L'Ami du Clergé,*** 1 Août. 1907.

8 ***Razôn y Ee,*** Oct., 1907,

Utraque opinio est satis fundata; sed si attente considerentur verba Pontificis et circumstantiae, in quibus approbatio impertita est, secundam sententiam dixerim esse veriorem. Summus Pontifex gravissimae haereseos exordia intuitus, semel et iterum periculum annuntiavit, et deinde non solum approbavit decretum S. Officii damnantis propositiones 65, sed adjunxit: *Omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.*

734. Encyclica *Pascendi* est partim disciplinaris partim doctrinalis. *Pars disciplinaris,* utpote ab auctoritate suprema Ecclesiae emanata obligat in conscientia et est ab omnibus ad quos spectat adamussim exequenda. *Pars doctrinalis* videtur esse a Romano Pontifice suprema sua auctoritate definita et Ecclesiae universali proposita, ut ab omnibus fide teneatur. Haec opinio fuit etiam ab initio communior.

Quidquid sit de valore primitivo horum documentorum, hodie non est dubitandum, quin utrumque fuerit *Motu proprio* Praestantia 18 Nov. 1907 in forma specifica approbatum eo quod contradictores, id est, defendentes propositiones ab Ecclesia damnatas, censura excommunicationis, ex Capite *Docentes* Apostolicae Sedis, Romano Pontifici simpliciter reservata ipso facto plectuntur 1.

735. Caetera documenta, quae retulimus, sunt vel decisiones disciplinares Romani Pontificis contra sacerdotes rebelles, vel decreta Congregationum S. Officii et Indicis in forma communi a Pontifice approbata.

§ IV

Remedia contra modernismum et methodus servanda in ejus refutatione.

736. Principale remedium, ne quis modernismo inficiatur, est proculdubio humilis subjectio doctrinis Ecclesiae, captivando intellectum in obsequium fidei juxta Apostoli monitum. In Ecclesia siquidem absque vel levissimo erroris coeno invenitur veritas, ut ait *Gregorius XVI* 2, et qui Ecclesiae sequuntur doctrinam, securo incedunt pede.

Aliud remedium valde efficax contra modernismum est assiduum philosophiae et theologiae scholasticae studium. Modernistae siquidem, licet in pluribus scientiis naturalibus versati sint, principia tamen verae philosophiae et theologiae plerumque neglexerunt, et philosophiae Kantii et agnosticorum dogmata incaute amplexi sunt. Inde veniunt tot eorum vacillationes et diversitates in quaestionibus etiam fundamentalibus et mysteriis religionis. Hinc bonum foret, ut in seminariis et collegiis religiosorum, ubi juvenes ad sacerdotium educantur, praecipua pars temporis tribueretur studiis philosophicis et theologicis. Nemo negaverit scientias naturales, linguarum peritiam, etc., esse hodié maximi momenti, sed philosophia et theologia sunt adeo necessariae, ut, qui velit sine his errores hodiernos cavere, ipse se decipiat.

1 Cfr. Buoooroni, ***Comment, in Consi. Ap. Sedis,*** n. 37.
3 Encycl. ***Singulari Nos,*** 7 kal Jul., 1834; Denz-B»nnw., 1617.

Integritas inorum et pietas cordis maxime conferunt ad praecavendos errores modemismi. Experientia enim quotidiana compertum est aberrationes haereticorum ex morum corruptione plerumque originem duxisse.

737. Cum disputandum fuerit cum modernistis, qui se dicunt esse catholicos, operae pretium est demonstrare eorum systema non posse cum Ecclesiae doctrina conciliari. Ad hoc prae oculis habeat apologeta doctrinam Ecclesiae de inspiratione, de revelatione, de ordine supernatural!, de fide, de immutabilitate dogmatis, et de aliis in quibus theoriae modernistarum toto caelo differunt ab Ecclesiae definitionibus, et data occasione applicare curet in praxim.

Si disputandum fuerit cum modernistis, qui nomini etiam catholico simul cum fide renuntiarunt, sicut novimus quosdam renuntiasse, argumenta depromenda sunt ex motivis credibilitatis seu criteriis revelationis aliisque locis, quibus arguitur contra rationalistas.

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

INDEX

PAG.

Licentia Ordinarii.....

Prolegomena in theologiam dogmatico-scholasticam.

QUAESTIO UNICA

Art. I. Quid et quotuplex sit theologia..... 7
Art. II. Quod sit objectum theologiae..... 12
Art. III. Utrum et quomodo theologia sit necessaria.....
Art. IV. Utrum theologia viatorum sit scientiaproprie dicta.....
Art. V. Utrum theologia viatorum sit proprie subalternata scientiae Dei et beatorum..... 36
Art. VI. Utrum theologia viatorum sit sapientia..... 38
Art. VII. Utrum theologia nostra sit supernaturalis.....
Art. VIII. De certitudine theologiae.....
§ i. Utrum theologia viatorum superet certitudine omnes scientias naturales.....
§ 2. Utrum conclusiones theologicae sint de fide.....
§ 3. Utrum theologia viatorum sit dignior aliis scientiis naturalibus..... 33
Art. IX. De subjecto theologiae.....
§ i. Utrum theologia vere remaneat in haeretico.....
§ 2. Utrum theologia, quae proprio uniuscujusque labore comparatur in via, remansura sit in patria.....
Art. X. Quo animo studiis theologicis vacandum sit.....

THEOLOGIA GENERALIS SEU FUNDAMENTALIS

TRACTATUS I

DE VERA RELIGIONE

QUAESTIO I

DE NECESSITATE RELIGIONIS

Art. I. Quid et quotuplex sit religio..... 68
Art. II. Utrum quilibet homo teneatur aliquam religionem profiteri... 71
Art. III. Utrum societati necessaria sit aliqua religio..... 77
Art. IV. Utrum cuique liberum sit quam libuerit religionem profiteri. 82
Art. V. Utrum societas ipsa teneatur veram religionem profiteri ac tueri 85

QUAESTIO II

DE REVELATIONE IN GENERE

PAG.

Art. I. Quid et quotuplex sit revelatio 91
Art. II. Utrum revelatio sit possibilis 95
Art. III. Utrum revelatio supernaturalis sit homini necessaria 101

QUAESTIO III

DE COGNOSCIBILITATE REVELATIONIS DIVINAE

Art. I. An factum revelationis divinae certe cognoscatur 113
Art. II. Utrum et unde probari possit auctoritas Dei revelantis 115
Art. III. Utrum veritates a Deo revelatae sint evidenter credibiles 115

QUAESTIO IV

DE NOTIS SEU CRITERIIS REVELATIONIS

Art. I. Quid et quotuplex sit critérium revelationis 116
Art. II. De valore criteriorum nobis internorum 117
Art. III. De criteriis externis religioni intrinsecis 119

QUAESTIO V

DE MIRACULO

Art. I. Quid et quotuplex sit miraculum 121
Art. II. Utrum miracula sint possibilia 124
Art. III. Utrum aliquando facta fuerint miracula 130
Art. IV. Quae sit causa miraculorum 131
Art. V. Utrum miracula certo cognosci possint 132
Art. VI. Utrum miraculum sit verum critérium revelationis 138

QUAESTIO VI

DE PROPHETIA

Art. I. Quid et quotuplex sit prophetia 142
Art. II. Utrum prophetia sit possibilis 143
Art. III. Utrum prophetia sit certum revelationis critérium 144

QUAESTIO VII

DE REVELATIONIS INQUISITIONE ET ACCEPTATIONE

Art. I. Utrum homo teneatur revelationem mediate sibiimpertitam....inquirere 148
Art. II. Quae sit ratio revelationis inquirendae 149
Art. III. Utrum omnes teneantur revelationem supernatural··:msibi notam amplecti 151

QUAESTIO VIII

DE REVELATIONE PRIMITIVA

Art. I. Utrum Deus aliquas veritates ante Moysen hominibus revelaverit. 153
Art. II. Qualis fuerit revelatio primitiva 156

QUAESTIO IX

DE REVELATIONE MOSAICA

PAG.

Art. I. Quis fuerit auctor Pentateuchi 159
Art. II. Utrum Pentateuchus substantialiter integer ad nos usque pervenerit 166
Art. III. Utrum Moyses divina revelatione perfusus Pentateuchum scripserit 168
Art. IV. Utrum lex mosaica abrogata jam fuerit 175

QUAESTIO X

DE REVELATIONE CHRISTIANA

Art. I. Utrum Evangelia sint opera genuina 181
Art. II. Utrum Evangelistae veraces fuerint in Evangeliis conscribendis atque ideo fide digni censeantur 189
Art. III, Utrum Evangelia integra adhuc exstent 192

QUAESTIO XI

DE DIVINA CHRISTI LEGATIONE

Art. I. Utrum testimonio Christi probetur legatio ejus divina 195
§ i. Utrum Christus affirmaverit se esse legatum Dei seu Messiam 195
§ 2. Utrum testimonium Christi de sua messianitate sit fide dignum 197
rt. II. Utrum legatio divina Christi rite comprobetur ex ejus miraculis. 198
Art. III. Utrum ex vaticiniis a Christo editis et eventu comprobatis divina ejus legatio demonstretur 208
Art. IV. Utrum divina legatio Christi demonstrari queat ex sua a mortuis resurrectione 211
Art. V. Utrum legatio divina Christi probari possit ex vaticiniis Legis Veteris 219
§ i. Utrum Messias praenuntiatus fuerit in Lege Veteri. . 220
§ 2. Utrum vaticinia messianica Legis Veteris adimpleta fuerint in Christo, atque ideo Christus fuerit verus Messias in lege promissus 223

QUAESTIO XII

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANAE

Art. I. Utrum divinitas religionis Christianae demonstretur ex sublimitate doctrinae ejusdem 235
Art. II. De mirabili vita Ecclesiae 240
§ I. Utrum divinitas religionis Christianae rite ostendatur ex ejus celerrima per orbem propagatione. 240
§ 2. Utrum divinitas religionis Christianae ex eo ostendatur, quod mores societatis, familiae et individui restauraverit 250
§ 3. Utrum ex constantia et testimonio martyrum comprobetur divinitas religionis Christianae 255
§ 4. Utrum divinitas religionis Christianae comprobetur ex ejus inter adversa hujus mundi conservatione 262
Appendix. De Budhismo 263
De Mahumetismo 265

TRACTATUS II

DE ECCLESIA CHRISTI

SECTIO I

DE INSTITUTIONE ECCLESIAE

e QUAESTIO XIII

DE ORIGINE ECCLESIAE

< PAG.

Art. I. Traduntur notiones praeviae 266
Art. II. Utrum in Veteri Testamento fuerit Ecclesia 272
Art. III. Utrum Christus immediate Ecclesiam Novi Testamenti instituerit . 278
Art. IV. Quando Christus Ecclesiam suam instituerit 282
Art. V. Quem ob finem Christus in terris Ecclesiam instituerit 290

QUAESTIO XIV

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

Art. I. Utrum Christus veram instituerit in Ecclesia hierarcliiam perenniter duraturam 292
Art. II. An et quomodo episcopi sint ex Christi institutione presbyteris superiores 298

QUAESTIO XV

DE REGIMINE ECCLESIAE

Art. I. Quae sit forma regiminis Ecclesiae 302
Art. II. Utrum solus beatus Petrus directe et immediate a Christo Domino acceperit primatum verae propriaeque jurisdictionis in universam Ecclesiam 306
Art. III. Utrum ex institutione et voluntate Christi B. Petrus in primatu jurisdictionis in universam Ecclesiam perpetuos habeat successores 315

QUAESTIO XVI

DE QUALITATIBUS ECCLESIAE

Art. I. Utrum Ecclesia Christi sit essentialiter visibilis 316
Art. II. Utrum Ecclesia sit societas perfecta 322
Art. III. Utrum Ecclesia sit societas legalis 325
Art. IV. Utrum Christus instituerit Ecclesiam infallibilem in conservando et proponendo deposito revelationis 327
Art. V. Utrum Ecclesia Christi sit indefectibilis 328
Art. VI. Utrum Ecclesia Christi progressu successivo in melius sit mutanda 331
Art. VII. Utrum Ecclesia ita sit necessaria, ut extra eam nequeat obtineri salus 332

QUAESTIO XVII

DE PROPRIETATIBUS SEU NOTIS VERAE ECCLESIAE

PAG.

Art. I. Quae sint in genere proprietates seu notae Ecclesiae..... 337
Art II. De notis Ecclesiae in particulari..... 338
§ i. Utrum et quomodo Ecclesia Christi sit una..... 338
§ 2. Utrum et quomodo Ecclesia Christi sit sancta..... 343
§ 3. Utrum et quomodo Ecclesia Christi sit vere catholica. 346
§ 4. Utrum et quomodo Ecclesia Christi sit apostolica... 350

QUAESTIO XVIII

DE ECCLESIA ROMANA

Art. I. An Ecclesia Romana sit vere hierarchica..... 354
Art. II. Utrum Ecclesia Romana sit vere monarchica..... 354
§ i. Utrum B. Petrus Romam venerit ibique commoratus cathedram erexerit atque vitam martyrio finierit. 354
§ 2. Utrum Romani Pontifices succedant B. Petro in primatu Ecclesiae..... 362
§ 3. Quo jure primatus adnectatur Sedi Romanae..... 366
Art. III. Utrum Ecclesia Romana notis verae Ecclesiae praefulgeat..... 369
§ i. Utrum EcclesiaRomana eaque sola sit una..... 369
§ 2. Utrum EcclesiaRomana eaque sola sitsancta..... 374
§ 3. Utrum EcclesiaRomana eaque sola sitcatholica. . . . 380
§ 4. Utrum EcclesiaRomana eaque sola sit apostolica... 381
Art. IV. Utrum sola Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia..... 385
Explicit Apologetica.

SECTIO II

DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE

QUAESTIO XIX

DE POTESTATE ECCLESIAE

Art. I. Notiones praeviae traduntur..... 385
Art. II. De potestate ordinis..... 386
Art. III. De potestate magisterii. 387
§ i. Utrum Christus instituerit magisterium vivum ac permanens in Ecclesia..... 387
§ 2. Utrum magisterium Ecclesiae sit infallibile..... 389
§ 3. Quodnam sit infallibilitatis Ecclesiae subjectum..... 393
§ 4. Quodnam sit infallibilitatis objectum primarium. . . . 406
§ 5. Ad quae secundario se extendat infallibilitas Ecclesiae. 418
§ 6. Utrum Ecclesia sit supremus ct infallibilis judex controversiarum fidei..... 419
Art. IV. De potestate regiminis..... 421
§ i. Utrum Christus contulerit Ecclesiae potestatem jurisdictionis liberam et a principum auctoritate independentem..... 421
§ 2. Utrum Christus contulerit Ecclesiae potestatem legiferam..... 424
§ 3. Utrum Ecclesia habeat potestatem judiciariam..... 425
§ 4. Utrum Ecclesiae competat potestas coactiva..... 426

§ 5. Utrum Romanus Pontifex habeat potestatem jurisdictionis supremae in universam Ecclesiam. 428
§ 6. Utrum Romanus Pontifex habeat plenitudinem potestatis jurisdictionis in universam Ecclesiam..... 43o
§ 7. Utrum Romanus Pontifex habeat potestatem jurisdictionis ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam, et in omnes singulosque fideles. 433
§ 8. Utrum singuli episcopi habeant jurisdictionem ordinariam et plenam in suos subditos..... 435

QUAESTIO XX

DE MEMBRIS ECCLESIAE

Art. I. Notiones generales traduntur..... 436
Art. II. Utrum omnes et soli praedestinati ad Ecclesiae corpus pertineant. 438
Art. III. Utrum Ecclesia constituatur solis justis..... 439
Art. IV. Utrum catechumeni pertineant ad Ecclesiam..... 442
Art. V. Utrum haeretici sint membra corporis Ecclesiae..... 444
Art. VI. Utrum schismatici sint membra corporis Ecclesiae..... 447
Art. VII. Utrum excommunicat! sint membra corporis Ecclesiae..... 448

QUAESTIO XXI

DE MUTUIS INTER ECCLESIAM ET STATUM RELATIONIBUS

Art. I. Utrum Ecclesia Statui subordinetur..... 450
Art. II. Utrum Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia sejungendus sit. 452
Art. III. Utrum Ecclesia habeat potestatem indirectam in Statum..... 454
Art. IV. Quae sint officia et jura Ecclesiae et Status ad invicem..... 455
§ i. In nationibus catholicis..... 456
§ 2. In nationibus acatholicis..... 459

TRACTATUS III

DE FONTIBUS REVELATIONIS SEU TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS

QUAESTIO XXII

DE S. SCRIPTURA

Art. I. Quid sit S. Scriptura..... 461
Art. II. Quid sit S. Scripturae inspiratio..... 468
Art. III. An omnes et singuli libri S. Scripturae cum singulis suis partibus fuerint divinitus inspirati..... 473
Art. IV. Sitne S. Scriptura immunis ab errore..... 475
Art. V. Unde nobis innotescat inspiratio alicujus libri..... 480
Art. VI, Utrum res et sententiae tantum vel etiam singula verba S. Scripturae sint divinitus inspirata..... 482
Art. VII. De sensibus S. Scripturae..... 485
Art. VIII. De interpretatione et usu S. Scripturae..... 488
§ i. De interpretatione authentica..... 489
§ 2. De interpretatione scientifica..... 494
§ 3. Quam vim habeant pro theologo argumenta ex S. Scriptura..... 497
Art. IX. De lectione S. Scripturae..... 498

QUAESTIO XXIII

DE SACRA TRADITIONE

PAG.

Art. I. Quid et quotuplex sit traditio 502
Art. II. Utrum detur divina traditio, quae contineat verbum Dei in S. Scriptura non relatum 504
Art. III. Utrum traditiones orales infallibiliter ad nos usque pervenerint. 510
Art. IV. Quodnam sit organon traditionis divinae 511
Art. V. Utrum divinae traditiones semper immutabiles permaneant .. 517

QUAESTIO XXIV

DE CONCILIIS

Art. I. Quid et quotuplex sit Concilium 520
Art. II. De infallibilitate conciliorum 529

QUAESTIO XXV

DE CAETERIS LOCIS THEOLOGICIS

Art. I. De SS. Ecclesiae Patribus 532
Art. II. De auctoritate theologorum 537
Art. III. De locis subsidiariis theologiae 539
Appendix. De modernismo:
§ I. Errores modernismi 545
§ II. Historia modernismi 553
§ III. Condemnatio modernismi 555
§ IV. Remedia contra modernismum et methodus servanda in ejus refutatione 557

INDEX ALPHABETICUS HUJUS VOLUMINIS

Referuntur numeri marginales.

A

Alcoranus 284.

Anima Ecclesiae 531, 557.

Apologetica 60; ejus objectum *quod* et *quo* '60; reducitur ad philosophiam 60; ejus ambitus 60, 61.

Apologia 60.

Apostoli singuli fuerunt infallibiles in doctrina fidei et morum 461.

Apostolicitas 391; carent ecclesiae protestantes 442; carent ecclesiae schismaticae 443.

Argumenta ex S. Scriptura 633; ex Conciliis deprompta 690; ex SS. Patribus 696; in rebus pure philosophicis 696; in rebus historico-ecclesiasticis 697; in rebus theologicis 698; in materia fidei et morum 699; ex theologis 704; ex theologis seorsim sumptis 704; ex pluribus vel omnibus unius scholae 705; ex omnibus in rebus fidei et morum 706; ex ratione naturali 707; ex auctoritate philosophorum 710; ex historia ecclesiastica et profana 711.

Aristocratia 323.

Articuli fidei sunt principia theologiae 10.

Articuli fundamentales 424.

Atheistae 67.

Auctor S. Scripturae principalis Deus, instrumentalis hagiographus 594.

Auctoritas Dei revelantis 113; unde nobis innotescat 113.

B

Baur 200.

Bonnetty J00.

Budhismus 259, 283; Budhae vita 283; doctrina 283.

C

Canon Scripturarum 582.

Caput Ecclesiae duplex 327.

Catocliu moni non sunt actu membra Ecclesiae 542; pertinent ad animam Ecclesiae 543.

Caihollollaa 385; materialis et formalis 386; juris et facti 386; physica et moralis 386; simultanea et successiva 386; errores 387; Ecclesia romana est catholica 424; non Ecclesiae protestantes 436; nec schismaticae 437.

Certitudo, quid 36, no; objectiva et subjectiva 36; metaphysica, physica et moralis no; philosophica et vulgaris no; certitudo facti revelationis 112.

Christus testatus est se esse legatum Dei seu Messiam 214; hoc testificans non fuit deceptor nec deceptus 217; edidit miracula 220 sqq.; qua virtute 227; suam divinam legationem miraculis comprobavit 226; vera vaticinia edidit 231; his vaticiniis suam divinam legationem comprobavit 232; vere mortuus est 235; a mortuis resurrexit 238; suam divinam legationem resurgendo comprobavit 242.

Clerici a laicis distinguuntur 315.

Concilium, nominis descriptio 676; realis significatio 676; definitio 676; origo 677; concilia sunt occumcnica, plenaria et provincialia 678; Concilium fiecumenicum 679; convocari debet a Romano Pontifice 680; advocantur omnes episcopi jurisdictionem habentes 681; quinam intersint 681; quis praesideat 682; quis illud confirmet 683; concilia particularia approbata in forma generali non sunt infallibilia 686; bene tamen approbata a Romano Pontifice in forma specifica 687; Concilium generale a Papa in forma specifica non approbatum potest errare 688; Concilium generale a Summo Pontifice confirmatum est infallibile in rebus fidei et morum definiendis 689.

Conclusio theologica io, 41; est de proprietatibus mctaphysicis rei revelatae 10; est de necessariis 41; aliquando infertur ex una praemissa de fide et altera naturali 41; qliquando ex utraque de fide 41: conclusio materialiter et formatter 41; qua talis non est de fide 41, 42; conclusio declarata de fide potest cognosci per lumen fidei et per

lumen theologicum 41; nunquam est de fide divina ante Ecclesiae definitionem 44; conclusio proprie theologica est ab Ecclesia definibilis, et, ubi definitur, est de fide catholica 45; cum Ecclesia definit conclusionem theologicam, non efficit novum dogma 46.

Congregationes sacrae 473; earum auctoritas 473; sunt organa magisterii ordinarii Ecclesiae 666.

Conflictus inter Ecclesiam et Statum 577.

Consensus fidelium 667.

Corpus Ecclesiae 531.

Corpus episcoporum quomodo infallibile 461.

Credibilitas rationalis 114.

Criteria revelationis 116, 117; interna et externa 118; interna universalia et individualia 118; externa intrinseca et externa extrinseca 118; externa intrinseca praecipua sunt doctrinae sublimitas et mirabilis Ecclesiae vita 118: externa extrinseca primario sunt miracula et prophetiae 118; secundario doctrinae fructus ac historia 118; negativa et positiva 118; eorum valor 119; errores 120; vera acceptio et vis criterii interni 121; criteria externa negativa non demonstrant doctrinam esse revelatam, utiliter tamen adhibentur 123; criteria externa positiva intrinseca quam vim habeant 124.

Cultus internus et externus est Deo tribuendus 70.

D

Definitiones dogmaticae 658.

Deistae 93.

Democratia 323.

Deterministae quoad miracula 130.

Dignitas scientiarum 47.

Divinitas religionis Christianae comprobatur ex celerrima ejusdem propagatione 262; ex restauratione morum 270; ex martyrum constantia 273, 278; ex ejusdem religionis inter adversa conservatione 282.

Doctores Ecclesiae 692.

Doctrina Christi dogmatica et moralis 257; probat divinitatem religionis Christianae 257.

E

Ecclesia, etymon 285; significatio 286; religiosa, politica, profana et judicialis 286; religiosa late quilibet coetus 286; strictius *militans, -purgans* et *triumphans* 286; strictissime sola *militans* 286; Ecclesia *docens* et *discens* 287; universalis et particularis 287; definitio militantis 287; falsae notiones donatistarum, pelagianorum, catharorum, waldensium, wicleffistarum, hussitarum 288; ecclesia schismaticorum 289; diversa schismata 289; ecclesia Novatorum, *Lutheranismus, Calvinismus, Anglicanismus* 290; Ecclesia fuit in statu patriarchal! 293; instituta statim post lapsum Adae 294; perfectior in lege mosaica 295; quale fuerit magisterium sacerdotale in Veteri Testamento 296; Ecclesia Novi Testamenti convenit generice cum synagoga, sed differt ab ea specifice 297; instituta fuit immediate a Christo 299; quando instituta fuerit 302; nascentis Ecclesiae tria stadia 306 sqq.; Ecclesiae Christi finis primarius et secundarius 198; primarius potest esse proximus, remotus et ultimus 309, 311; Ecclesiae *corpus* et *anima* 341; materia et forma 341; Ecclesia est essentialiter visibilis 344; est societas perfecta 348; negant protestantes, liberales et rationalistae 364; est legalis 352; negant naturalistae et radicales 351; est infallibilis in conservando et custodiendo deposito revelationis 356; negant protestantes, jansenistae, pistorienses, et modernistae 355; est indefectibilis 359; negant donatistae, protestantes, Quesnell, naturalistae, etc., 358; non est essentialiter mutanda 363; extra Ecclesiam non est salus 364 sqq.; Ecclesia est una unitate fidei, cultus et regiminis 373; respuunt protestantes et rationalistae 372; est sancta 381; est catholica 388; est apostolica 393; errores 392.

Ecclesia romans 395; est hierarchica 397; est una triplici unitate, symbolica, liturgica et hierarchica 419; set sancta 428; est vere catholica 434; est apostolica origine, doctrina, et legitima Pastorum ab apostolis successione 440; sola Ecclesia romana est vera Christi Ecclesia 444; est infallibilis in rebus fidei et morum 456; Ecclesia docens est infallibilitatis activae subjectum 460;est infallibilis in dijudicandis factis dogmaticis 481 sqq; in declarando valore dogmatico propositionum et censuris inurendis 485; in ferendis legibus disciplinaribus 486; in solemni canonizatione Sanctorum 487; in ordinibus religiosis adprobandis 492; in declarandis veritatibus virtualiter revelatis 494; et in declarandis conclusionibus theologicis 495; Ecclesia catholica est judex controversiarum fidei 498; nullatenus Statui subordinatur 560; negant hoc pro-

testantes, rationalistae, gallicani, jansenistae et rcgalistac 559; Ecclesia non est a Statu sejungenda 564; habet potestatem indirectam in Statum 568; Ecclesiae officia 570; jura 571.

Episcopus 318; episcopi sunt jure divino presbyteris superiores 320; singuli non sunt infallibiles 461; singuli episcopi residentiales habent jurisdictionem ordinariam et plenam in suos subditos 529; eam probabilius accipiunt immediate a Romano Pontifice 530.

Error nullus est in S. Scriptura 601.

Evangelia sunt quatuor 199; sunt genuina 201; errores 200; integra manent 211.

Evangelistae fuerunt veraces 208; errores 206.

Evidentia quid 114; differt a certitudine 114; duplex actualis et radicalis 21; actualis non est necessaria semper ad scientiam 21, 23; objectiva et subjectiva 114; intrinseca et extrinseca 114; *in attestante* 114: evidentia *credibilitatis* et *credentitatis* 114.

Excommunicatio 554; excommunicati *vitandi* et *tolerati* 554; vitandi non sunt membra corporis Ecclesiae 556; bene tamen tolerati 554.

F

Facta dogmatica 481; formaliter implicite revelata sunt 483; factum dogmaticum de libro Jansenii ejusque quinque propositionibus 484.

Fatalistae 130.

Fides ecclesiastica 482; **non** exsistit 482.

Fontes revelationis 579.

Forum externum et internum 504; quid pertineat ad forum externum et quid ad internum 504.

Frohsohammer I00.

H

Haereticus 544; materialis et formalis 544; occultus vel notorius 544; haeretici occulti sunt membra externa et imperfecta Ecclesiae 546; notorii non sunt membra Ecclesiae 548.

Hierarchia, nomen 312; definitio 313; ordinis et jurisdictionis 313; Novatores et rationalistae negant in Ecclesia esse hierarchiam 314; Christus instituit eam in Ecclesia 315; hierarchia constat episcopis, presbyteris et ministris 316, 396.

I

Idiomu originale Scriptui 111 **uni 58J.**
Indnt«<illbllllun 357*

Indifferentismus absolutus et relativus 76; universalis et particularis 70.

Infallibilitas 354, 454; activa et passiva 354. 458; infallibilitatis activae subjectum duplex, Romanus Pontifex et corpus docens Pastorum 458; infallibilitatis objectum primarium 475, 477 sqq.; infallibilitatis objectum secundarium 493 sqq.; infallibilitas conciliorum 684.

Infideles 158.

Inspiratio Scripturae 592; non est revelatio 593; unde nobis innotescat 610; se extendit non solum ad sententias sed etiam ad verba 615; quomodo 615.

Integritas libri 209; substantialis et absoluta 209.

Interpres authenticus S. Scripturae est infallibile Ecclesiae Magisterium 626.

Interpretatio S. Scripturae 623; est duplex, *authentica* et *exegetica* seu *scienti/ica* 623; authentica, ejus objectum 624; authenticam nemo dat nisi infallibile Ecclesiae magisterium 626; magisterium infallibile Ecclesiae directe interpretatur S. Scripturam in rebus fidei et morum 628; res quoque physicas, historicas, etc., aliquando interpretatur authentice 628, 629; interpretatio scientifica 630; regulae interpretationis 631; praecepta interpretationis catholicae 632.

Investigatio revelationis 160; ratio revelationis inquirendae non est dubium positivum 163; nec examen philosophicum 164; nec experientia interna 165; nec fides traditionalistarum 166; sed qui revelationem inquirit, debet cognoscere auctoritatem Dei, et examinare omnia revelationis criteria, ut factum revelationis cognoscat, veram revelationem a falsis discernat, eamque credibilem reddat 167.

J

Judaei negant miracula Christi 2x9; negant pariter Christum resurrexisse 234; negant denique vaticinia V. T. impleta fuisse in Christo 248.

Judex controversiarum fidei est Ecclesia catholica 498; non ratio naturalis, nec Sacra Scriptura, nec Ecclesia tribus communionibus constituta nec princeps aliquis saecularis 498.

Julius Simon quoad miracula 130, 132.

Jura Eoolotiae in Statum 571; jura Status 57»

Jurisdictionis potestas data est Ecclesiae a Christo 502.

L

Lammennais 100.

Latitudinarismus 76.

Lectio S. Scripturae 634; circa hoc Ecclesiae disciplina 635; non est omnibus indiscriminatim ad salutem necessaria 636; non expedit omnibus in lingua vulgari sine notis 637.

Legatio divina Christi comprobatur ex ejus testimonio 214, 217; ex ejus miraculis 226; ex ejus vaticiniis 232; ex sua e mortuis resurrectione 242.

Legatus Dei, 212.

Lex divina et humana 350; legalitas, 350.

Liber genuinus et apocryphus, 199.

Liberales absoluti 67; radicales et mitiores 82.

Liturgia 663.

Libertas conscientiae 574: libertas cultuum 575; libertas docendi 576.

Libri sacri 580; legales, historici,' sapientiales et prophetici .581; protocanonici et deuterocanonici 582; quot sint 582; omnes sunt cum omnibus et singulis eorum partibus divinitus inspirati 597.

Loci theologici 579; sunt decem 579.

Locutio ex cathedra 462.

M

Maohiavellus 67.

Magisterium 448, 449; institutum est a Christo in Ecclesia 451; negaverunt protestantes, increduli ac modemistae 450; exercetur per ***solemne judicium*** et per ***ordinarium*** et ***universale magisterium*** 448; est infallibile in rebus fidei et morum 456; magisterii objectum primarium et secundarium 475; objectum primarium sunt veritates fidei et morum a Deo formaliter explicite vel formaliter implicite revelatae 477; magisterii objectum secundarium 493, 494; magisterium infallibile Ecclesiae est authenticus interpres Scripturarum 626; directe interpretatur S. Scripturam in rebus fidei et morum 628; aliquando res physicas, historicas, etc., 628, 629; est organon authenticum traditionis conservandae et propagandae 657·

Mahumetismus 284; Mahumae vita 284; doctrina 284; moralitas 284.

Martyr 271; martyrium 274; innumeri fuerunt martyres 274; eorum tormenta 275; virtutes 276; effectus 277; eorum constantia comprobat divinitatem religionis Christianae 273, 278.

Materialismus 87.

Materialistae 67.

Matutina cognitio I.

Membra Ecclesiae 531; actu vel in potentia 531; aliqui pertinent ad animam alii ad corpus Ecclesiae 531; non omnes praedestinati sunt semper membra Ecclesiae 534; non solum justi sed etiam plures peccatores sunt membra Ecclesiae 537; catechumeni non sunt actu membra Ecclesiae 542; haeretici occulti sunt membra externa imperfecta Ecclesiae 546; haeretici notorii nullo pacto sunt membra Ecclesiae 548; schismatici materiales non videntur esse membra Ecclesiae 552; haeretici formales publici non sunt membra Ecclesiae 552; haeretici occulti etiam formales sunt membra externa, non interna, Ecclesiae 553; excommunicati vitandi non sunt membra corporis Ecclesiae 556; bene tamen tolerati 554.

Messias 212; praenuntiatus fuit in I-ege Veteri 246; vaticinia messianica Legis Veteris adimpleta fuerunt in Christo 249; probant Christum- fuisse Messiam 249 sqq.; Christus fuit Messias 214 sqq.; Messiae stirps, nativitas, dignitas, qualitates personales, passio et mors 250 sqq-

Miraculum, etymon 126; definitio 127; est de rebus ad ordinem naturae pertinentibus 128; opus insolitum 128; divisio, ***quoad substantiam, quoad subjectum,*** et ***quoad modum*** 128; ***supra naturam, praeter naturam*** et ***contra naturam*** 128; physicum et morale 128; miracula sunt possibilia 131; errores 130; aliquando facta sunt miracula 134; solus Deus virtute propria facit miracula 137; instrumentaliter faciunt ea angeli et homines 138; daemones nec instrumentalitcr 138; miracula cognosci possunt quoad veritatem historicam et philosophicam 141; sunt critérium certissimum divinae revelationis 146.

Motlernismus 714; errores circa philosophiam 716; circa theologiam dogmaticam 719; circa theologiam moralem 720; circa theologiam mysticam 721; circa S. Scripturam 722; circa disciplinam Ecclesiae 723; circa historiam 72.1. historia modernismi 725 sqq.; condemnatio 729 sqq.; remedia 736.

Monarchia 323; triplex 323.

Monumenta scripta et non' scripta 668

Mutatio morum fuit miraculum morale probans divinam originem religionis Christianae 270.

Mysterium 90; minus proprie ei proplie dictum 90.

N

Naturalismus 93; naturalistae 100.
Naturalisme 88, 100; quoad miracula 130.
Necessarium 12; absolute et hypothetice seu ex suppositione 12; ex suppositione duplex, simpliciteret secundum quid 12.
Necessitas theologiae ad diversa 14 sqq.
Nirvana 283.
Notae Ecclesiae 369; sunt quatuor 369.

O

Objectum, etymon 4; definitio 4; divisio, formale et materiale 4; formale *quod* et formale *quo* 4; objectum materiale theologiae 6; formale *quod* theologiae 7; objectum formale *quo* theologiae 9.
Obscuritas S. Scripturae 623.
Officia Ecclesiae in Statum 570; officia Status in Ecclesiam 573.
Ontologismus 87.
Oratio utilis est 69.
Ordo naturae 127; particularis, universalis, universalissimus 127.
Ordo supernaturalis 87.
Organon traditionis conservandae magisterium solemne Ecclesiae in definitionibus dogmaticis, symbolis, professionibus fidei 657 sqq.; et magisterium ordinarium Ecclesiae in Pastorum vivae vocis praedicatione, in liturgia, in scriptis Patrum, consensu theologorum, decissionibus SS. Congregationum, consensu fidelium et monumentis scriptis ac non scriptis 661 sqq.

P

Pantheistae 67.
Patres Ecclesiae, nomen 691; qualitates 691; ut Doctores et ut testes 673; ut Doctores privati 699; ut testes 700.
Patrum scripta 664.
Pentateuchus 178; ejus auctor 180, 181; systema documentorum 182; substantialiter integer manet 184, 186; continet dogmata a Deo Moysi revelata 189; leges item morales a Deo revelatas 190; et leges caeremoniales a Deo revelatas 191; forma regiminis populi israelitici fuit theperatia 192; lex mosaics abrogata fuit 195; quando fuit viva, quando mortua et quando mortifera 197.
Petrus Romam venit 401; errores 400; Romae cathedram episcopalem erexit 403; Romae martyrio coronatus est 405; quando 406.
Philosophi 7[illegible].
Philosophismus 87.
Potestas Ecclesiae 445; ordinis et jurisdictionis 445; haec ultima est magisterii et regiminis 445; potestas ordinis quid 445, 446; potestas magisterii quid 445; potestas regiminis quid 445; potestas legifera, judiciaria et coactiva 445; potestas legifera 505; collata est Ecclesiae a Christo 507; potestas judiciaria 508; collata est Ecclesiae a Christo 509; potestas coactiva 510; Ecclesiae competit ab auctoritate civili independens 512.
Praedestinati non omnes neque soli sunt actu membra Ecclesiae 534.
Praedicatio vivae vocis in Ecclesia 664.
Primatus 327; duplex 327; committitur Petro 329 sqq.; in primatu jurisdictionis Petrus habuit perpetuos successores 340; jure divino adnectitur romanae sedi 415.
Principia theologiae considerari possunt entitative et formaliter 32; entitative sunt supernaturalia non formaliter 32; concurrunt active ad conclusionem 32.
Progressus objectivus et subjectivus 361; objectivus quoad essentialia et accidentalia 361; quid doceant Giintherus, americanistae, modemistae et rationalistae 362; non mutat sensum dogmatum 671 sqq.
Professiones fidei 660.
Propagatio religionis Christianae 260 sqq.; fuit celerrima 263; probat divinam ejus originem 262; innumera superavit obstacula 264; mediis ad hoc inadaequatis 265.
Prophetia, etymon 148; realis descriptio 149; definitio 150; divisio, ex parte luminis *perlecta* et *imperfecta* 151; ex parte objecti *comminationis, praedestinationis* et *praescientiae* 151; ex parte medii *intellectualis, imaginaria* et *sensitiva* 151; ex parte modi *cum alienatione* vel *sine alienatione a sensibus* 151; est possibilis 154; est critérium divinae revelationis 156.
Propositio particularis contenta in universali toti Ecclesiae revelata est immediate de fide 483 et nota.
Protestantismus caret unitate Ecclesiae Christi 423; caret sanctitate Ecclesiae Christi, essentiali, activa et passiva 430; caret catholicitate Ecclesiae Christi 436; caret apostolicitatc Ecclesiae Christi 442.
Proto-Evangelium et Messias 246, 250.
Pueri in secta haereticali rite baptizati sunt membra Ecclesiae, quousque usum rationis adepti erroribus genitorum adhaereant 550.

R

Raulica loo.
Rationalismus 87, 93; absolutus et moderatus 93.
Rationalistae 88, 93, ıoo; et criteria revelationis 120, 145; quoad miracula 130, r33i quoad cognitionem miraculorum 140; quoad Evangelia 200, 210; quoad miracula Christi 219; quoad vaticinia Christi 230; quoad resurrectionem Christi 234; et quoad vaticinia V. T. 282.
Regalistae negant independentiam Ecclesiae 559.
Regimen triplex, democratia, aristocratia et monarchia 323; regimen Ecclesiae monarchia 325.
Religio, etymon 62; definitio 63; divisio, vera et falsa; naturalis et supernaturalis; primaeva, mosaica et Christiana 65; profitenda a singulis hominibus 68; a societate 74; unica est vera religio 77; ab omnibus, etiam a societate profitenda 78, 81, 83; in una vera religione sunt diversi status 80.
Religio Christiana 255; ejus divinitas demonstratur ex sublimitate doctrinae 257; ex ejus celerrima propagatione 262 sqq.; celerrime propagata est 263; mores gentilium emendavit 269; haec morum mutatio fuit miraculum morale quod probat divinam religionis originem 270; divinitas religionis Christianae comprobatur ex martyrum constantia 273; et ex ejus conservatione 282.
Revelatio 9, 87; definitio 89; formalis et virtualis 9; formalis explicita et formalis implicita 9; virtualis inclusive et connexive 9; virtualis est objectum *quo* theologiae 9; quatenus attingit in objecto formaliter revelato proprietates inclusive contentas est objectum *quo* theologiae 9; immediata et mediata 91; intellectualis et sensitiva 91; generalis (catholica) et privata 91; supernaturalis quoad substantiam et quoad modum 91; supernaturalis tum immediata tum mediata est possibilis 94, 95, 971 an et quomodo necessaria 99; simpliciter necessaria ad veritates supematurales cognoscendas 101; non vero ad veritates naturales cognoscendas 103; moraliter necessaria ad summam veritatum naturalium religiosarum cognoscendam 104; ad emergendum ex profundo barathro 107; revelationis factum nobis innotescit 111; qualis debeat esse haec cognitio 112; est inquirenda 160; omnes tenentur revelationem sibi notam amplecti 170.
Revelationibus privatis adsentire tenetur, qui eas accepit 168; non alii 168; revelatio generalis cognita amplectanda est 170; revelatio *primitiva, mosaica* et *Christiana* 171; Deus ante Moysem aliqua protoparentibus et patriarchis revelavit 174; revelatio primitiva qualis fuerit 176; revelatio mosaica 178 sqq.; revelatio Christiana praesertim continetur in Evangeliis 198.
Resurrectio Christi probat ejus divinam legationem 242; ut objectum prophetiae et ut miraculum 242; Christus vere resurrexit 238.
Romanus Pontifex est successor Petri 409; quatenus successor Petri jure divino accipit et exercet primatum jurisdictionis 412; cum ex cathedra loquitur in rebus fidei et morum, est infallibilis 462; habet potestatem jurisdictionis supremae in universam Ecclesiam 520; est superior episcopis etiam in Concilio congregatis 523; ab ejus sententia non licet appellare ad Concilium nec ad Papam bene informatum 523; habet potestatem jurisdictionis ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam et in omnes ac singulos fideles 526,

S

Sanctitas 378; realis et persohalis 379; activa et passiva 379; carent sanctitate ecclesiae protestantes 430; et ecclesiae schismaticae 431.
Sapientia quid 29.
Schisma 551.
Schismaticus materialis et formalis 551; occultus vel publicus 551; materialis publicus non videtur esse membrum Ecclesiae 552; schismatici publici non sunt membra Ecclesiae 552; occulti etiam formales sunt membra Ecclesiae 553; schismatici carent unitate Ecclesiae Christi 425; carent sanctitate Ecclesiae Christi 431; carent catholicitate Ecclesiae Christi 437; carent apostolicitate Ecclesiae Christi 443.
Scholasticae theologiae historia 18.
Scientia explicatur 21; in statu imperfecto et perfecto 21; est de necessariis 10
Scriptura Sacra 580; est immunis ab errore 601.
Sedes et sedens 417.
Sensismus 87.
Sensus S. Scripturae 618; *litterali·· <l spiritualis* seu *mystica* 619; sensus Iit toralis semper inest S. Scripturae (>78; an aliquando duplex 620; sensus spin tualis triplex, *allegoricus, moralis* seu

tropologicus et *anagogicus* 621; sensus uccommodatitius 622.
Sooleta· 71; religiosa et civilis 72; civilis perfecta et imperfecta 72; ejus auctoritas 72; ejus materia, forma et finis 72; finis proximus, medius et ultimus 72.
Societates biblicae 638.
Status jura 572; officia 573.
Strauss quoad Evangelia 200; quoad voracitatem Evangelistarum 207; negavit miracula Christi 219; et vaticinia Christi 230.
Subalternatio scientiarum 25; conditiones 25-
Subjectivismus 87.
Sublimitas doctrinae 124, 157.
Subordinatio directa et indirecta 568.
Supornaturale 32, 87; quoad substantiam et quoad modum 32, 87.
Syllabus 474; ejus valor 474.
Symbola 659.

T

Testamentum vetus et novum 581.
Theistae 93.
Theologia, etymon 1; realis notio 1; in genere duplex, theodicea et theologia ex principiis revelatis 1; theologia Dei, beatorum et viatorum 1; definitio 2; divisio, speculativa et practica 3; ascetica, mystica, pastoralis et ritualis 3; generalis et specialis 3; generalis speculativa complectitur *apologeticam*, *De Ecclesia* et *De Locis* 3; positiva, polemica et scholastica 3; exegetica, patristica, synodica et symbolica 3; est simpliciter necessaria ad cognitionem plurium veritatum 14; est necessaria secundum quid ad cognitionem veritatum, quae naturaliter investigari queunt 14; est Ecclesiae collective necessaria simpliciter, ut Ecclesia suum finem adipiscatur 15; singulis hominibus non simpliciter sed est secundum quid necessaria ad salutem 15; theologia scholastica non est Ecclesiae simpliciter necessaria bene tamen utilis 18; theologia est proprie scientia 23; theologia viatorum est subalternata scientiae Dei et beatorum 25, 27; est sapientia 31; quoad entitatem non est supernaturalis 34; est objective certior aliis scientiis, non subjective 38; est dignior cunctis disciplinis 48; non remanet in haeretico 51; theologia acquisita permanet in patria formaliter ad exercitium 55; quomodo sit addiscenda 58.
Theologia speculativa fundamentalis 59; ejus ambitus 59.
Theologorum consensus 665; theologi ut Doctores privati et ut testes fidei 701.
Tolerantismus dogmaticus 76; omnino rejiciendus 78; tolerantia politica 81; non est absolute concedenda 85; hypothetice permitti potest 85.
Traditio, late 639; strictius 639; *divina, apostolica* et *ecclesiastica* 640; *dogmatica* et *moralis* 640; aliae divisiones 640; exsistunt traditiones divinae, quae verbum Dei contineant 643; traditio divina praecedit tempore S. Scripturam 648; latius patet quam Scriptura 648.
Traditionalistae lOO.
Traditiones divinae immutabiliter ad nos usque pervenerunt 653; immutabiliter permanent 657, 671, 674.
Traditiones populares in S. Scriptura 600, 606.
Transcendentalismus 87.

u

Unum et unicum 371; unitas Ecclesiae 373; carent unitate ecclesiae protestantes 423; et ecclesiae schismaticae 425.

V

Vaticinia messianica 244 sqq.; adimpleta fuerunt in Christo 249 sqq.; probant Christum fuisse Messiam 249 sqq.
Veracitas libri 206.
Verba singula S. Scripturae sunt inspirata 615.
Veritas absoluta et relativa 670; veritatis relativae conceptus est absurdus 674.
Veritates formaliter explicitae et formaliter implicite revelatae 9, 480; virtualiter inclusive et virtualiter connexive in revelatis contentae 9; pro tota Ecclesia a Deo revelatae et nondum definitae sunt de fide divina quoad se seu materialiter 40; revelatae et definitae sunt de fide quoad nos et formaliter 40; revelatae particulariter 40; revelatae virtualiter tantum 40; veritates a Deo revelatae sunt nobis evidenter credibiles 115.
Versiones Scripturarum 584; orientales 585; graecae 586; latinae 587.
Virtutes intellectuales sunt *intellectus, sapientia, scientia, prudentia* et *ars* 21.
Visibilitas Ecclesiae 341; per se et per accidens 342; negatur a donatistis, pelagianis, waldensibus et novatoribus 343; Ecclesia est essentialiter visibilis .344.
Vita Eoolo.fiae 124
Vulgata 588; ejus authentia 588.